Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
31 H
7
IX 17
VII 42
11 82
M

Digitized by Google

# PRINCIPIA
## TOTIUS
# THEOLOGIÆ
## MORALIS ET SPECULATIVÆ,
EX
## S. SCRIPTURA, CONCILIIS,
SANCTIS PATRIBUS,

MAXIME

## S. AUGUSTINO,

Et aliis probatis Auctoribus compendiosè deprompta,

*AUTHORE*

## FLORENTIO DE COCQ,

Eccleſiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonſtr. Canonico, ac ibidem S. Theologiæ Lectore.

TOMUS PRIMUS.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus BALTHAZARIS AB EGMOND, &
Sociorum. M. DC. LXXXII.

*Cum Approbatione.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

P A

10

Digitized by Google

Digitized by Google

# EMINENTISSIMO
# AC
# REVERENDISSIMO
# PRINCIPI
# DECIO
# S. R. E.
# CARDINALI
# AZZOLINI, &c.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS,

*Vix pede in Vrbem fixo, eminentiſſima nominis Tui fama, quam dudum ex Belgio noſtro ſuſpexeram, me etiam-*

*num timidum ad ſe allexit, & ultrò evocavit. Verebar etenim, ſplendore nominis, eminentiâ famæ, & dignitate officii perſtrictus; donec Benignitatis Veſtræ fama libertatem addidit, ſecuro greſſu & animo, purpuræ veſtræ me ſubmiſsè ſubjiciendi. Expertus loquar ea. Eſt E. V. magnanimitas & benignitas, ut inſtar numinis cujuſdam, ad humilia quoque & abjecta, animum & oculos convertere non dedignetur. Præ cæteris tamen, jure ſuſpicitur ſummus E. V. amor ſacrarum litterarum, & ad eaſdem fovendas & promovendas zelus indefeſſus: quibus in ſummo Orbis Chriſtiani faſtigio, Doctrinam illam ſuprà Petram ſolidatam, SS. Conciliis ſtabilitam, & SS. Eccleſiæ Patribus, maximè S. Auguſtino confirmatam, generosè conſervat illæſam; & à ſiniſtrâ impugnatione vindicat illibatam. Hujus rei teſtimonia,*

*mihi*

*mihi ſuppetunt plurima, quæ & contraria impoſtura ſæpè ſenſit convicta, & zelo E. V. Lubens adſcribit veritas propugnata. Sileo aliarum virtutum heroïcarum portenta, quæ in Te ſolo, omnia eminentiſſimè reſplendent: quantum de Sedis Apoſtolicæ ſtatu mereatur labor Tuus & zelus: quo ſolo, totum Chriſtianum Orbem Tibi obſtringis, dum ejus ſalus ab illius ſedis incolumitate dependet. Cætera proferre in medium, & laudes Tuas ſpecialiùs commendare, prohibet modeſtia, & magnanimitas Tua, omni noſtrâ laude longè ſublimior; quam proindè nolui latius explanare, ne videar adulari. Liberè tamen opellam hanc noſtram E. V. tholo appendo, & in tutelam nominis veſtri ſupplex conjicio: dum eadem adhuc rudis & informis, conſilio E. V. & annutu prodit in lucem. Neque enim his deëſſe licuit, cujus conſilium veneror ut*

 *præce-*

*præceptum. Vnum eſt interim quod voveo, ut ſplendore nominis veſtri irradiari mereatur : favore E. V. foveri : zelo veſtro defendi : & totum ( ſi quid habeat ) meriti, ab E. V. mereatur mutuare : pro quâ ego D. O. M. rogare non deſinam ut E. V. Eccleſiæ ſuæ adjuvandæ, Doctrinæ ſuæ conſervandæ, & gloriæ ſuæ in omnibus promovendæ, diu ſervet incolumem, quod ex animo voveo.*

EMINENTIÆ VESTRÆ

Antverpiæ
5. Januarii
1682.

Humillimus Famulus

FR. FLORENTIUS DE COCQ,
*Ord. Præmonſtr. S. T. Lector.*

# PRÆFATIO
## AD
# LECTOREM.

ECce hîc, Principia Theologiæ, maximâ ex parte à nobis prælecta, & plurimorum votis ad typum expetita. Dudum quidem hæſi, & an eadem publicari expediret, meritò dubitabam, ob quorum doctrinam jam inde calumniantium factiones eram expertus. Cùm enim varia aliquorum, & maximé recentiorum dogmata, vel ex vagæ probabilitatis officinâ nata, vel SS. Patribus, & in primis S. Auguſtino ex diametro contraria, ſchola noſtra rejiceret & oppugnaret: Odium peperit veritas, & plurimorum in nos facta eſt calumniantium concordia, quorum tamen in aliis punctis erat ſumma diſſenſio. Sic Herodes & Pilatus facti ſunt amici in illâ die: Sic ſuperveniente Catholico, uniuntur ſectæ, aliàs ſibi infenſiſſimæ. Sed ecce in ipſo altercantium fervore, accurrit ipſa veritas, quæ plurima à nobis antea oppugnata, eadem proſcribit & anathema-

 tiſat.

tiſat. Hâc igitur opportunitate, publici juris feci, quod multorum votis & conſiliis deſiderabatur; & principia Theologiæ tam moralis, quam ſpeculativæ, ex Sacra Scriptura, Sanctis Eccleſiæ Patribus, & maximè S. Auguſtino legiſlatore noſtro, & ex probatiſſimis Authoribus, in uſum Theologorum, potiſſimùm Novitiorum, non tam nova compoſui, quam conjunxi maximè fundata & ſelecta. Scholaſticam, quà *Speculativam*, nec omninò omiſi, nec adeò latè extendi, ut plerique alii. Potiſſima & famoſiſſima, juxta & utiliſſima puncta, paulò fuſiùs propoſui, ut in iiſdem compenſem, quod in minùs utilibus poſſet fortè deſiderari. Nec ignoro, quantum aliquando diſputetur in inutilibus multis, cum diſpendio temporis, faſtidio lectoris, & ſine profectu diſcipulorum. Idem olim notavit S. Aug. l. 2. de gen. ad litt. c. 9. ubi ait: *Multi multum diſputant de iis rebus, quas majori cum prudentiâ noſtri Authores omiſerunt.* Et Melchior Canus de ſuo tempore ita ſcribit l, 9. de locis c. 7. *Alterum vitium eſt, quod quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras & difficiles conferant, eaſque non neceſſarias: Quo in genere, multos etiam è noſtris peccaſſe video, ut eas quoque quæſtiones latiſſimè proſequerentur, à quibus Porphyrius*

*phyrius abſtinuit: Homo impius, ſed in hâc re prudens. . . . . . . . . noſtri autem Theologi, importunis vel locis, longâ de his oratione differunt, quæ nec juvenes portare poſſunt, nec ſenes ferre.*

*Moralem* tamen paulò fuſiùs expoſui, ſuccinctè tamen, ex quâ ſcientiâ uberior fructus expectari poteſt, & major Theologorum & aliorum profectus. Nihil enim altè ſpeculari proderit, niſi & adſit rectè agendorum ſcientia, in ſcientia morali maximè contenta.

Brevitati tamen ubique intendi, cui teſte S. Hieronymo prol. in Eſdram, juxta Salomonem, ſtudendum eſt; & addit, *Senſum magis ſectandum eſſe, quam verba adverſus Philoſophos, & ſæculi hujus Doctores, qui dogmatum ſuorum falſitates conantur aſſerere varietate ac multitudine ſermonum.* Hinc & minus rethorici eloquii campum quæſivi & Dialecticorum tendiculos, aut Ariſtotelis ſpineta: Theologum enim ago, non Philoſophum aut Oratorem.

Quòd verò à citatione Authorum plurimorum, tum faventium, tum contradicentium ſæpè abſtineam, nullâ dedignatione, aut ullo malo fine factum eſt, ſed ut ſuperfluitatem partim devitem, partim aliorum invidiam. Scio enim illud Terentii: *Nihil eſt dictum, quin dictum prius*, & generaliter aliis ſincerè attribuo, quòd ab

ab iiſdem ante nos fuit confirmatum. Contrariæ quoque ſententiæ authores plerumque ſileo, ne eoſdem ad invidiam cenſear recenſere: Unde & cum Hieronymo ità ad Cteſiphontem ſcribente, dicere poſſem: *Nullius in hoc opuſculo nomen propriè tangitur, adverſus Magiſtrum pravi dogmatis locuti ſumus: qui ſi iratus fuerit, atque reſcripſerit, ſuo quaſi mus prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera ſuſcepturus. Vilium enim hominum eſt*, addit alibi ad Demetriadem, *et ſuam laudem quærentium alios viles facere, quia alterius vituperatione ſe laudari putant: & qui ſuo merito placere non poſſunt, placere volunt in comparatione pejorum.* Veneror quoque hanc Pontificis noſtri moderni admonitionem in fine Bullæ 65. propoſitiones condemnantis expreſsè poſitam, & nobis ſingulariter ab eodem Sanctiſſimo Patre oretenus commendatam, ut ab injurioſis contentionibus omnes impoſterum abſtineant, *Et ut paci & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuſcriptis, quam in Theſibus, diſputationibus ac prædicationibus caveant ab omni cenſurâ & notâ, nec non à quibuſcumque convitiis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede re cognitâ ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.* Ali-

Aliquorum tamen contradicentium linguas non multùm moror, ſine quibus nulla elucubratio: Neque mirum, ſi contra nos Zoili fremant, cum adverſus illos, qui gloriâ invidiam ſuperare debuerant, livor eorum exarſerit. Unde legant qui volunt; qui nolunt, abjiciant: eventilent apices, litteras calumnientur: Magis ſinceri Lectoris judicio provocabor ad ſtudium, quam illorum detractione & odio deterrebor. Nec enim affecto laudes hominum, nec vituperationes expaveſco, ſed *Veritatem quærimus & prout fragilitati humanæ conceditur, in veritate ambulare nitimur.* Hinc reprehenſores non audio ſed ſequor magiſtros: Carpere enim & detrahere, vel imperiti poſſunt, docere non item. Quare rurſum cum præfato Eccleſiæ Doctore ſincerè voveo & dico, quòd ipſe ſcribit & vovet contrà Lucifer: *Utinam mihi ſic ſemper diſputare contingat, ut ad meliora proficiens, deſeram quod malè tenebam.*

Communem quoque obloquentium vocem præſentio, quâ paſſim occlamant de obligatione legis naturæ vel divinæ ex æquo agentibus, *Medice cura te ipſum: In ſolis ſcholis de illâ agi, domi aliter practicari, &c.* Jam dudum decantata, ac ſi Scriptor, Doctor aut Prædicator docendo fieret impeccabilis. Fateor enim verum ſæpè eſſe illud S. Bernar-

di

di Serm. 18.in cant. *Canales multos hodie habemus in Eccleſiâ,conchas vero perpaucas. Tantæ charitatis ſunt, per quos nobis fluenta cæleſtia emanant,ut ante effundere quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, & prompti docere, quod non didicerint,& aliis præeſſe geſtientes qui ſeipſos regere neſciunt.* Fateor quoque ſæpè in judicium & condemnationem propriam ſcribi & prædicari, nec tamen ideò verum eſſe deſinit, quod prædicatur; eo ſolo quòd prædicator contra prædicata delinquat. Quapropter ſubmiſsè cum S. Gregorio ſemetipſum accuſante, omni Scriptori & prædicatori dicendum eſt, quod ait in Ezech. l. 1. hom. 11. *O quam dura ſunt mihi iſta quæ loquor; quia memetipſum loquendo ferio, cujus neque lingua, ut dictum eſt, prædicationem tenet, neque in quantum tenere ſufficit, vita ſequitur linguam..... ego reum me eſſe non abnego, torporem meum atque negligentiam video. Erit fortaſſe apud pium judicem impetratio veniæ, ipſa cognitio culpæ.*

Tu interim benevole lector labore noſtro utere, & ſi quid proficuum inveneris, illud veritati ejuſque ſtudio mecum adſcribe. De cætero omnia mea judicio & cenſuræ S. Rom. Eccleſiæ humillimè ſubmitto.

*Domine Rex meus, & Deus meus, tibi ſerviat quidquid utile didici: tibi ſerviat, quod loquor, & ſcribo, & lego. S. Auguſt. 1. Confeſ. c. 15.*

IN-

# I N D E X
## TRACTATUUM, CAPITUM ET SECTIONUM.

QUæſtio Proœmialis. fol. 1
SECT. I. *Quid, & quotuplex ſit Theologia.* ibid.
II. *De primo Theologiæ fundamento quod eſt Scriptura Sacra.* 5
III. *De Traditionibus.* 6
IV *De Sanctis Patribus & Doctoribus.* 8
V. *De Doctoribus Scholaſticis.* 10
VI. *De Philoſophia, ſive ſcientia naturali.* 13

## TRACTATUS PRIMUS.

*De Deo Trino & uno, omnium rerum Conditore & Gubernatore.*

### CAPUT PRIMUM.

DE Deo. 15
SECT. I. *De Dei Exiſtentia.* ibid.
II. *Quibus mediis erui poſſit Dei exiſtentia.* 18
III. *An poſſit dari invincibilis ignorantia Dei.* 20
IV. *An Dei notitia haberi poſſit abſque ſpeciali Dei gratiâ.* 21

V. Quid

V. *Quid ſit Deus?* 22
VI. *An poſſit demonſtrari Deum eſſe unum, non plures.* 24
VII. *De Perfectione Dei.* 25
VIII. *De Immenſitate Dei.* 26
IX. *De Immutabilitate Dei.* 29
X. *De Æternitate Dei.* 33
XI. *De Viſione Dei.* 36
XII. *Quanam Beati in Deo videant.* 39
XIII. *An aliquis in hac vita poſſit videre Deum, ſive divinam eſſentiam?* 40

## CAPUT SECUNDUM.

SECT. I. *De Scientia Dei.* 43
II. *Qualis ſit Scientia Dei.* 44
III. *De Objecto Scientiæ Divinæ.* 46
IV. *An, & quomodò Deus cognoſcat futura contingentia.* 48
V. *De Scientia Dei futurorum contingentium ſub conditione.* 52
VI. *De Scientia Media.* 54
VII. *An Scientia Dei ſit immutabilis.* 57

## CAPUT TERTIUM.

### De Voluntate Dei.

SECT. I. *An in Deo ſit voluntas, & quotuplex.* 58
II. *An voluntas Dei ſit libera.* 60

III. *Quomodò Deus velit omnes homines ſalvos fieri.* 61
IV. *Voluntas Dei non adfert rebus volitis neceſſitatem.* 66
V. *An voluntas Dei ſit malorum.* 67

## CAPUT QUARTUM.

SECT. I. *De Providentia Dei, ejuſque objecto.* 70
II. *De Prædeſtinatione.* 74
III. *Qualis fuerit Prædeſtinatio Angelorum.* 77
IV. *De Prædeſtinatione Hominum.* 80
V. *An efficax electio hominum, ſit facta ante præviſionem meriterum?* 83
VI. *Diſſolvuntur argumenta in contrarium allata.* 86
VII. *Diſſolvuntur alia argumenta à ratione deſumpta, & rejiciuntur incommoda prætenſa.* 89
VIII. *An electio gratuita facta ſit poſt præviſionem peccati originalis?* 92
IX. *An prædeſtinatorum numerus ſit certus & quomodò.* 93
X. *De effectibus Prædeſtinationis.* 95
XI. *Quid ſit reprobatio & quomodo ſit facta.* 98
XII. *De causâ & effectu reprobationis.* 100
XIII. *Quomodò prædeſtinatio & reprobatio ſit certa.* 102

CA-

## CAPUT QUINTUM.

### De Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio.

SECT. I. *De Proceſſione Divinarum Perſonarum.* 104
II. *De Relationibus Divinis.* 107
III. *De Perſonis divinis.* 108
IV. *De Perſona Patris.* 111
V. *De Perſona Filii.* 112
VI: *De Perſona Spiritûs Sancti.* 113

## CAPUT SEXTUM.

SECT. I. *De Potentia Dei.* 115
II. *Quandonam mundus ſit creatus.* 117
III. *De Creatione Angelorum.* 119
IV. *De numero & differentia Angelorum.* 122
V. *De gratia & merito Angelorum.* 123
VI. *De Malitia Angelorum quoad culpam.* 126
VII. *De Pœnis Dæmonum & loco Pœnarum.* 127

## CAPUT SEPTIMUM.

SECT. I. *De Creatione primi Hominis.* 130
II. *De Donis Hominis integri quoad Corpus.* 133
III. *De Donis Hominis integri quoad animam.* 135
IV. *De Tentatione & Lapſu Protoparentum.* 142

V. *De*

V. *De ſtatu Puræ naturæ.* 145
*An homo creari potuerit cum concupiſcentia.* ibid.

## TRACTATUS SECUNDUS.

De ultimo fine, ſive beatitudine, & actibus humanis, eorumque regulis, quibus beatitudo eſt conſequenda.

### CAPUT PRIMUM.

SECT. I. *De beatitudine formali & objectivâ.* 149
II. *De Donis animæ & Corporis beatorum.* 152
III. *An beatitudo ſemel habita deperdi poſſit.* 154
IV. *An beati Canonizati actualiter videant Deum.* 155

### CAPUT SECUNDUM.

De Actibus Humanis.

SECT. I. *De libertate arbitrii ſive voluntatis.* 157
II. *An omnis neceſſitas repugnet Libertati.* 159
III. *De Actibus Humanis.* 164
IV. *De Voluntario & Involuntario.* 166
V. *Quænam impediant voluntarium & liberum.* 170
VI. *De Concupiſcentia.* 172
VII. *An Concupiſcentia Augeat voluntarium.* 178

* *

VIII. De

VIII. *De Ignorantia; quid ſit, & quotuplex.* 181
IX. *An ignorantia cauſet involuntarium.* 184
X. *An detur ignorantia invincibilis in jure Humano & Divino.* 185
XI. *An detur ignorantia juris naturæ, quæ ſit invincibilis.* 187
XII. *An & quando ipſa ignorantia ſit peccatum.* 193

## CAPUT TERTIUM.

### De Bonitate & malitia actuum humanorum.

SECT. I. *De eſſe morali & naturali actûs humani.* 195
II. *Vndenam deſumenda ſit bonitas actuum humanorum.* 196
III. *An omnis actus humanus, ut ſit bonus, debeat ex præcepto referri in Deum ut finem ultimum.* 198
IV. *An hîc ſufficiat relatio habitualis, ſita in eo, quod opus aliquod de ſe ſit ordinabile ad Dei gloriam.* 201
V. *Quale ſit dictum præceptum & quale peccatum ejus prævaricatio.* 204
VI. *An detur actus in individuo indifferens, id eſt nec bonus nec malus moraliter.* 207
VII. *De bonitate actûs interni & externi.* 210
VIII. *Quænam requirantur ad malitiam actûs humani, ſive peccati.* 212

IX. *Va-*

IX. *Variæ diviſiones peccatorum.* 215
X. *Regulæ ad dignoſcendum an aliquid ſit peccatum mortale an veniale.* 218
XI. *Aliæ quæſtiones circa peccata venialia.* 220
XII. *Aliæ peccati actualis diviſiones.* 223
XIII. *Vndenam deſumatur numerica & ſpecifica ratio peccatorum.* 228
XIV. *Vndenam deſumenda ſit gravitas Peccatorum.* 231

## CAPUT QUARTUM.

### De Subjecto Peccatorum.

SECT. I. *Quodnam poſſit eſſe ſubjectum peccatorum.* 233
II. *De delectatione Moroſa & conſenſu in illam.* 235
III. *De cauſis Peccatorum.* 238
IV. *De Peccato Originali.* 241
V. *De Pœnis peccati Originalis.* 247
VI. *An parvuli ſine Baptiſmo morientes, plectendi ſint etiam pœna ſenſûs, ſive ignis.* 249
VII. *De aliis pœnis & effectibus peccatorum.* 251

## CAPUT QUINTUM.

### De Regulis actûs moralis.

SECT. I. *De Legibus.* 253
II. *Quomodo materia Legis debeat eſſe poſ-*

*ſibilis, & ob bonum commune.* 255
III. *Diviſiones variæ Legis, ac primò de Lege æterna.* 257
IV. *De Lege Naturali.* 258
V. *An Lex naturalis admittat mutationem, Epykiam aut diſpenſationem.* 260
VI. *Refutantur Argumenta in contrarium.* 263
VII. *De Lege humanâ Eccleſiaſticâ.* 266
VIII. *De Lege humana Civili.* 269
IX. *An Legiſlator poſſit obligare graviter in materia Levi, vel leviter in materia gravi.* 271
X. *An Lex humana poſſit præcipere actus merè internos.* 274
XI. *Quinam obligentur lege Civili.* 276
XII. *An ad hoc ut lex obliget, requiratur promulgatio.* 279
XIII. *An ut lex obliget, requiratur acceptatio ſubditorum.* 282

## APPENDIX.

*An lex Pontificia obliget in Belgio ante Placitum Regis.* 286

Item.

*An Tridentinum per omnia ſit receptum in Belgio.* ibid.
XIV. *An modus legis cadat ſub Legem.* 288
XV. *De Lege Pœnali.* 291
XVI. *An Conſuetudo habeat vim introducendi & abrogandi legem.* 294

XVII. *De interpretatione & diſpenſatione Legis.* 297
XVIII. *De Privilegiis.* 302
XIX. *De Lege novâ & lege veteri.* 306

## CAPUT SEXTUM.

### De Conſcientiâ.

SECT. I. *Quid ſit Conſcientia & quotuplex.* 309
II. *De Conſcientia recta & obligatione hanc ſequendi.* 312
III. *De Conſcientia erronea.* 314
IV. *De Conſcientia dubia.* 318
V. *De Conſcientia Probabili.* 321
VI. *An liceat ſequi ſententiam merè probabilem.* 323
VII. *An licitum ſit ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliori, quæ ſit tutior.* 328
VIII. *An & quomodo aliquando liceat ſequi opinionem probabilem in iis, quæ ſunt contra jus naturæ.* 331
IX. *De Conſcientia ſcrupuloſa.* 333
X. *An & quomodo voluntas noſtra debeat eſſe conformis voluntati divinæ, ad hoc ut ſit recta.* 336

## CAPUT SEPTIMUM.

### De Gratiâ.

SECT. I. *Quinam in hâc materiâ præcipuè ſint imitandi.* 337
II. *Quænam in hac materia fugienda, ac* 1. *de Hæreſi Pelagiana.* 340
III. *De Hæreſi Semipelagianorum, ſive Maſſilienſium.* 343
IV. *Quænam ſint præcipua puncta in quibus Pelagiani & Semipelagiani ſunt condemnati.* 344
V. *De Hæreſi Lutheranâ & Calvinianâ in hac materiâ.* 346
VI. *De gratia ejuſque diviſionibus.* 350
VII. *De Gratia ſufficienti & efficaci.* 354
VIII. *An omnibus hominibus detur gratia proximè ſufficiens.* 359
IX. *Reſpondetur argumentis in contrarium allatis.* 362
X. *Vndenam proveniat defectus gratiæ ſufficientis, ſive cui imputari debeat, quòd homo eâdem careat.* 365
XI. *An in ſtatu naturæ lapſæ detur gratia merè ſufficiens, quæ nullo reſpectu ſit etiam efficax.* 368
XII. *De Differentia gratiæ hominis lapſi & hominis integri.* 373
XIII. *Reſpondetur argumentis in contrarium.* 376

## CAPUT OCTAVUM.

### De Neceſſitate Gratiæ.

SECT. I. *An homo ſine gratia poſsit cognoſcere aliquod verum.* 379
II. *An homo ſine gratia poſsit agere opus aliquod moraliter & undequaque bonum.* 381
III. *Satisfit argumentis in contrarium allatis.* 384
IV. *Quo ſenſu illud verum ſit, quod ex S. Auguſtino habet Conc. Arauſ.* Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. 387
V. *An homo ſine Dei gratia poſsit Deum amare ſuper omnia.* 389
VI. *An Juſtus ad quodlibet opus bonum indigeat gratia actuali.* 392
VII. *An homo ſine gratia poſsit ſuperare aliquam tentationem.* 394
VIII. *An homo ſine Dei gratia poſſit adimplere legem.* 396

## CAPUT NONUM.

### De effectibus gratiæ.

SECT. I. *De Juſtificatione.* 399
II. *De modo præparationis ad juſtificationem.* 400
III. *Quid juſtificatio, ſive in quo conſiſtat.* 403
IV. *De Cauſis juſtificationis.* 405

V. *An prædictas diſpoſitiones ſequatur infallibiliter juſtificatio* ; Item , *An in omnibus juſtificationis modus ſit æquè facilis.* 407
VI. *De merito.* 410
VII. *De Conditionibus ad merendum de condigno requiſitis.* 412
VIII. *Quid requiratur ad bonitatem actûs meritorii.* 414
IX. *An detur opus undequaque bonum , quod tamen ad ſalutem æternam non conducit , ſive quod non ſit meritorium.* 416
X. *De Objecto actus Meritorii.* 417

## APPROBATIO ORDINARII.

P*Rincipia totius Theologiæ Scholaſticæ ex ſanioribus Sacræ Doctrinæ fontibus deſumpta,* labore & induſtriâ Rev. Adm. Domini FLORENTII DE COCQ, Eccleſiæ D. Michaëlis Antverpiæ Ordinis Præmonſtr. Canonici, utiliter imprimentur ad uſum omnium, qui tutiores ad ſalutem vias tam ſibi, quam aliis inveſtigant. Ita cenſeo, hâc 30. Dec. 1681,

ARN. EYBEN, *Cath. Antverp. Can. Theol. Lib. Cenſor.*

## APPROBATIO.

P*Rincipia totius Theologiæ Moralis & Speculativæ*, &c. Authore FLORENTIO DE COCQ, Eccleſiæ S. Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonſtr. Canonico & ibidem Sac. Theol. Lectore, utiliter imprimentur, ut inde eliciantur ſaniores & ſecuriores Sacræ Theol. Concluſiones. Datum Bruxell. die 7. Septemb, 1682.

J. DE CUYPER, *Sac. Theol. Licent. Archipreſb. Bruxell. Lib. Cenſ.*

# QUÆSTIO PROOEMIALIS DE THEOLOGIA,

## Ejus Locis, & diſpoſitionibus ad eamdem addiſcendam requiſitis.

### SECTIO PRIMA.

*Quid, & quotuplex ſit Theologia.*

THEOLOGIA juxta S. Auguſtinum lib. 8. de civit. c. 1. eſt Scientia de Deo rebuſque divinis: unde de illa ſcientia tractantes, dicti ſunt *Theologi*. Cùm verò ſcientia hæc, ex variis fontibus poſſit erui; variè quoque de eadem ſentiri poteſt. Solo naturæ lumine ſcientiam aliquarum rerum divinarum nacti ſunt gentiles Philoſophi, maximè præ cæteris *Platonici*, qui tamen Theologorum nomine vix digni, eo quòd proprio Theologiæ fonte & medio eſſent deſtituti. 1. *Quid Theologia.*

Propriè ergò, & juxta receptum ſcholarum ſenſum, Theologia eſt talis de Deo & rebus divinis ſcientia, quæ Divinæ Authoritati innititur. Porrò ſcientia quædam immediatè tali motivo innixa eſt, & dicitur propriè *Fides Theologica*, quâ credimus & aſſentimur illis quæ Divina Veritas revelavit, idque propter Veritatis illius authoritatem. 2. *Fides Theologica.* Alia autem ſcientia jam dictæ ſcientiæ incumbit, & res Fidei concinno ordine deducere ſatagit, firmis rationibus confirmare, & validis argumentis ab impugnatoribus ſtudet ſtabilire. 3. *Theologia fidei innititur.* Ab hac metho-

methodo deſumenda eſt Theologicæ ſcientiæ notio, quæ res Fidei ſupponit, & varia ex eiſdem deducit fundamenta & dogmata, Fidei tamen ultimatè innixa.

4. *Vndenam Theologia dicta ſit Scholaſtica.* Dicitur ſcientia illa aliquando *Scholaſtica*, eo quòd facili methodo & ordine in ſcholis uſitato, res divinas pertractet & doceat. Hanc Calvinus, & alii noſtri temporis ſectarii, ut *Inſcitiam & inanem fallaciam* proſcribunt, Academias eamdem amplectentes *Lupanaria* nuncupant, & DoctoremAngelicum hujus ſcientiæ promotorem, hâc de causâ inter 7. phialas iræ Dei

5. *Vtilitas Scholaſticæ Theol.* conſtituunt. Verum infundatè & præcipitanter: habet enim Scholaſtica Theologia ſuam utilitatem, dum res Fidei explanat, & dilucidè proponit, ad quod de ſe eſt ordinata. Etſi enim aliquando quidam dum importunis mediis res divinas ſcholaſtico ordine explicare ſatagunt, eaſdem magis intricent & obſcurent: minimè tamen abuſus ille Theologiæ ſcholaſticæ, ſed ſcholaſticis importunis mediis utentibus, aut opportunis abutentibus eſt adſcribendus. De quo mox plura.

6. *Theologia practica & ſpeculativa.* Dividitur ſcientia prædicta, in Theologiam *Practicam* & *ſpeculativam*, quatenus hæc ſoli cognitioni & ſpeculationi rerum divinarum incumbit; aut illa mores humanos ad æternæ legis regulas efformando & menſurando invigilat. Hoc tamen certum ſit, Theologiam eouſque collimare, ut de quibuſcumque rebus tractet hæc ſcientia, id univerſim, & de ſe ſatagat, ut hominem ad ſuum finem ultimum, qui Deus

7. *Tota Theologia rectè dicitur practica.* eſt, dirigat; media ad id opportuna aut neceſſaria præſcribat ac proponat, quâ ratione Theologia tota poterit dici practica, niſi de nomine litigare quis velit.

8. *Theologia eſt ſcientia præſtantiſſima omniũ ſcientiarum.* Ut ut ſit, certum eſt ſcientiam hanc eſſe omnium ſcientiarum præſtantiſſimam, tum quòd objectum præſtantiſſimum ſpectet, ſcilicèt res divinas; tum quòd medio præſtantiſſimo innixa ſit, puta divinæ authoritati; ex quorum majori dignitate & firmitate oritur ſcientiarum dignitas & præſtantia. Denique ex parte finis infinito modo reliquas ſcientias & artes antecellit, dum ad ſummam felicitatem & beatitudinem hominem deducit & ordinat.

## SECTIO II.

### *De primo Theologiæ fundamento, quod eſt Scriptura Sacra.*

PRIMUM omnium promptuarium, ex quo depromi poſſint res divinæ, quas Theologia ſpectat, eſt Scriptura Sacra: *Hæc*, teſte Apoſtolo, *omnis divinitùs inſpirata, utilis eſt ad docendum, & ad erudiendum in juſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*, 2. ad Tim. 3. Quidquid enim Scriptura Sacra continet, à Spiritu ſancto ſtatutum eſt, unde & dicitur *verbum Dei*. Hinc eſt, quod S. Tridentina Synodus proponens Evangelii veritatem & puritatem confirmare, & morum diſciplinam redintegrare, Scripturam Sacram primò proponat ut lapidem Lydium, ad quam omnis veritas eſt menſuranda, cùm teſte Pſalmiſtâ Pſalm. 118. *Principium verborum tuorum Veritas.* Hunc ergò habentes firmiorem Propheticum ſermonem, benefaciunt illi attendentes, quaſi Lucernæ in caliginoſo loco, cùm qui ſequitur Chriſti vocem in Scriptura contentam, non ambulet in tenebris, ſed habebit lumen vitæ & diſciplinæ, & lucerna pedibus noſtris ſit verbum ejus, & lumen ſemitis noſtris: adeò ut rectè Richardus Vict. l. de præpar. animæ ad contempl. c. 81. audeat dicens: *Suſpecta eſt mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum authoritas.*

9. *Theologia innititur principaliter Scriptura Sacra.*

10. *Scriptura Verbum Dei, veritas, &c.*

Scriptura hæc, Libros illos complectitur, quos S. Trid. Synodus *Sacros* vocat & enumerat, ne alicui de Legitimis Libris ſupereſſe poſſet dubitatio. Vide Conc. ſeſſ. 4. de lib. can. cui Eccleſiæ definitioni, niſi acquieſcant omnes, facilè tot erunt textus, quot Scholæ: hinc Hæretici omnes, ut olim Manichæi, *Scripturas ſic accipiunt*, ait S. Auguſt. lib. de bono perſev. c. 11. *ut ſuo quodam privilegio, imò ſacrilegio, quod volunt*

11. *Scripta Sacra ab Eccleſia recipienda ſunt.*

12. *Bibliorum Hæreticorum varietas unde oriatur.* *ſumant, quod nolunt, rejiciant.* Frivola verò eorumdem eſt opinio, quâ docent Scripturam Sacram à non ſacrâ ſuo ſe ſapore, & per ſe cuilibet ſe ſegregare, cùm de legitimis Scripturæ libris, ipſi inter ſe diſcordent, & qui uni ſapiunt, alteri inſipiant Scripturæ libri.

13. *Obſcuritas Sacræ Scripturæ: ejus radix* Porro varios ſenſus patitur aliquando Dei Verbum. *Litteralem, myſticum*, &c. Imo aliquando ſenſus in ſpeciem ſibi repugnantes, quâ ratione aliquando obſcurum eſt, & difficile ejus ſenſum indagare. Obſcuritatem Scripturæ augent inſuper variæ figuræ, tropi, ſchemata, parabolæ, allegoriæ, &c. Quibus Scripturæ Sacræ abundant, uti & myſteriorum altitudines in S. Eloquio familiares, & alia plurima, quæ animum legentis detinent & ſuſpendunt. *Divinitus autem*, ait

14. *Ratio obſcuritatis.* S. Aug. ſerm. 2. de Doct. Chriſt. *Hoc proviſum eſt, ut multa in Scripturis obſcurè dicta retineantur, quæ denſiſſimam caliginem obducunt, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum, cui facilè inveſtigata plerumque vileſcunt.*

15. *Ratio intelligendi S. Scripturam.* Unde liquet, quàm infundata hæc Lutheri ſit ſententia, cùm ait: *Facillima hæc eſt* (Scriptura) *& apertiſſima ſui ipſius interpres, omnia probans & judicans, clarior omnium Patrum commentariis.*

Ad ſuperandam igitur S. Eloquii obſcuritatem ante omnia advertendum, quòd Scriptura Sacra propriâ interpretatione non fiat, quâ ratione dedit Deus uni ſermonem ſcientiæ, alteri genera linguarum, unum poſuit Doctorem, alios Apoſtolos, prout Spiritus dividit, ut vult, ſua dona gratiarum. Per hos nos Deus edocet, quo ſenſu intelligendum ſit Dei verbum,

16. *Ex malo intellectu S. Scripturæ oritur Hæreſis.* adeò ut eo modo & animo illud legi debeat & intelligi, quo eſt conſcriptum. A quo, ſi quiſpiam deflectat, præſentiſſimum incurrit errandi periculum. *Neque enim*, ait S. Aug. tract. 18. in Joan. *natæ ſunt hæreſes & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, niſi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter aſſeritur.* Cujus periculum eo majus eſt, & proximius, quo Scriptu-

ra

ra Sacra ut naſus cereus horſum illorſumque facilè ſe trahi permittat, & quò traxeris haud invitus ſequatur, ut ait Alb. Pygius controv. 3. de Eccleſ. Ne ergo in re dubia erroris remaneat occaſio, uſui venire poſſent ſequentes regulæ in inveſtiganda veritate & legitimo Scripturæ ſenſu indagando. 17. Regulæ legendi Scripturam.

I. Scriptura Sacra eo ſenſu accipienda eſt, quo eandem accipit Eccleſia. Cum enim hæc ſit columna & firmamentum veritatis, & à Spiritu Sancto regatur & inſtruatur, ſequitur, quòd ejuſdem determinationi quoad ſenſum Sacræ Scripturæ, ut judici infallibili ſit acquieſcendum. I. Regula.

II. Legitimus Scripturæ ſenſus per traditionem nobis innoteſcit; de hac agam ſectione ſubſequenti. Illa enim ab Apoſtolis ad nos uſque, verum earumdem ſenſum de manu ad manum quaſi tranſmittit, adeò ut tamquam Apoſtolicam Doctrinam ſuſcipi oporteat, quod Traditio confirmat. Audi S. Baſilium l. de Spiritu S. c. 27. *Si conſuetudines*, ait, *non ſcripto proditas rejiciamus, imprudentes & ea, quæ in Evangelio habentur, damnabimus: imò potiùs ipſam Fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus*: quia ſcilicet, pro cujuſlibet affectu & prurigine trahetur Verbum Scriptum ad diverſos & incertos ſenſus, ſi non inhæreatur intellectui à Majoribus per Traditionem accepto. Vide ſectionem ſubſequentem. II. Regula.

III. Ex hac dicta regula ſequitur hæc alia, quòd verus Scripturæ ſenſus à Sanctorum Patrum Doctrinis ſit mutuandus: illi enim ſunt fideles Dei Verbi non Scripti depoſitarii, & Verbi Scripti veraces commentatores. Adeò ut rectè Leont. Byſ. l. 1. contra Neſtor. & Eutich. concludat & dicat: *Poſt Apoſtolos & Prophetas, Doctores poſuit in Eccleſia Deus, ſecundùm providentiam Spiritûs S. incomprehenſam, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti: quare qui Patres illos non recipit, qui in Eccleſia clari & celebres ſunt, planè ordinationi & conſtitutioni Dei reſiſtit.* Vide plura de illorum authoritate Sect. 4. Sequenti. III. Regula.

IV. Regula. IV. Regula ad obtinendum Verum Scripturæ ſenſum, deſumi poteſt ab ipſa Scriptura Sacra: quòd enim in uno loco ſubobſcurum eſt ac intellectu difficile, in alio loco dilucidè magis & clariùs ſubinde proponitur. Hinc clariora Scripturæ loca, alia minùs clara elucidant, non èconträ; quâ ratione ſæpè peccant aliqui, dum clariora loca per obſcuriora elucidare ſatagunt, cùm eo pacto ſeſe in errore magis immergant & obfirment.

V. Regula. V. Regula deſumi poteſt ex generali modo Scripturam legendi, quo legi debet ſenſu obvio & quem præ ſe fert, niſi aliunde ſequatur incommodum. Non enim à proprio ſenſu ſine cauſa detorqueri poteſt Scripturæ ſenſus, ſed eo ſenſu intelligenda eſt, quem de ſe importat, niſi urgens ratio aliud ſuadeat. Cui regulæ niſi ſollicitè attendatur, innumeræ naſcentur in uno Scripturæ loco diviſiones, repugnantiæ, &c. ac tandem ſumma in rebus omnibus Theologicis inconſtantia & incertitudo.

## SECTIO III.

### *De Traditionibus.*

12. *Theologia innititur Traditioni.* TRADITIONIBUS pro magna parte, ut fundamento ſuo, innititur Scientia Theologica. Cùm enim plurimas res Fidei, Verbum Dei Scriptum non contineat, aliâ viâ ad nos devenire eas oportet, ſcilicet viâ Traditionis. Et quamvis Traditiones omnes tam veterum, quàm recentiorum Hæreticorum pertinacia ſemper proſcripſerit; tamen aliud nos docuerunt Apoſtoli & ſuccedentes Apoſtolis Eccleſiæ Præſules in variis Conciliis congregati. *Ego enim*, ait Apoſt. 1. Cor. 11. *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et iterum, *Tenete Traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermones, ſive per epiſtolam.* 2. Theſſal. 2.

Unde etiam Patres Concilii Nicæni 2. Act. 7. *Si quis*, dicunt, *traditionem Eccleſiæ, ſive Scripto, ſive conſue-*

*conſuetudine valentem, non curaverit, anathema ſit.* Idem docet S. Trid. Synod. ſeſſ. 4. in decreto de libris canonicis. Hinc S. Chryſoſt. in dictum Apoſtoli locum 2. Theſſal. 2. ita loquitur: *hinc patet, quòd non omnia per epiſtolam tradiderit* (Apoſtolus) *ſed multa etiam ſine litteris: eädem verò fide digna ſunt, tam illa, quàm iſta.* Denique Scriptura concidit, niſi Traditio adveniat. Undenam enim dignoſces, hunc librum eſſe Canonicum, non alium; Undenam noſces Epiſtolam ad Romanos potiùs eſſe recipiendam ut Canonicam, quàm aliam ad Laödicenſes, cùm habeat titulum ejuſdem Authoris, quæ ab omnibus exploditur, ut ait Hier. in Paulo. 19. *Traditio S. Scripta Confirmat.*

Triplex autem eſt Traditio, ſcilicèt *Divina, Apoſtolica* & *Eccleſiaſtica*, prout à Chriſto Apoſtoli aliqua non ſcripta acceperunt, vel nos eadem ab Apoſtolis, vel ab Eccleſiæ Prælatis propoſita, & à populo Chriſtiano uſitata accepimus. Traditio autem Divina & Apoſtolica paris eſt authoritatis cum verbo Dei Scripto; ſicut enim mandatum Principis idem eſt, ſive ſcripto, ſive voce proferatur, ita Verbum Dei idem eſt, ſive Scriptum ſit, ſive Traditum. Eccleſiaſtica autem Traditio ejuſdem eſt authoritatis cum definitione Eccleſiæ, cùm Traditio illa eam in ſe comprehendat. Unde varia quæ Traditio dictabat, enumerans Tertull. de corona militis ita ait: *Harum & ſimilium diſciplinarum ſi leges expoſtules, Scripturam nullam invenies, Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Vide quod ante ex D. Baſilio attulimus regula. 2. 20. *Traditio Apoſtolica Eccleſiaſtica & Divina.* 21. *Traditio Divina & Apoſtolica paris authoritatis cum Verbo Dei & Apoſtolorum.*

Ut autem dignoſci poſſit, quænam Traditio ſit Apoſtolica vel Divina, aſſignant aliqui has regulas; primò, quòd tunc conſtat eſſe traditionem talem, ſi ab Eccleſia talis ſit definita; ſi Traditio afferat aliquid ab Apoſtolis, vel à Chriſto eſſe inſtitutum: ſi Eccleſia aliqua, quæ ſemper habuit Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, dicat Traditionem aliquam eſſe Apoſtolicam, &c. 22. *Regula dignoſcendi Traditiones.* I. *Regula.*

Secundò, Divina Traditio erit, ſi ſit legitima, & aliqua II. *Regula.*

aliqua docet de fundamentalibus Fidei vel Eccleſiæ, aut certè de re aliqua, quam conſtat Eccleſiam non poſſe inſtituere.

III. *Regula.* Tertiò, juxta D. Auguſt. l. 4. de Bap. cap. 24. pro Apoſtolica habenda eſt Traditio, quæ aliquid docet, quod cùm in S. Litteris non habetur, univerſa tamen tenet Eccleſia, neque conciliis inſtitutum eſt, ſed uſu ſemper eſt retentum.

23. *Quandonam Traditio facit aliquid eſſe de fide.* Hoc tamen ſollicitè notandum eſt, non omnem Traditionem facere rem aliquam eſſe de Fide, niſi conſtet eam eſſe Apoſtolicam, vel Divinam, vel etiam niſi definitione Eccleſiæ ſit firmata: ſunt enim multæ Traditiones fidelium uſu introductæ, non tamen omnium conſenſu, etſi aliquibus Traditionibus contraire temerarium ſit, & maximè periculoſum.

24. *Traditionibus auſcultare eſt neceſſarium Theologo.* Ex dictis patet quàm ſedulò Theologo invigilandum ſit Traditionibus Divinis & Apoſtolicis, cùm ejuſdem cum Verbo Dei Scripto ſint authoritatis, & quibus in re dubia tam quoad fidem, quàm quoad mores ſtabilimur & docemur.

---

## SECTIO IV.

### *De Sanctis Patribus & Doctoribus.*

25. *SS. Patribus ſollicitè auſcultandum.* POST dictas de Scriptura Sacra & Traditione regulas, ſecura admodùm ad veritatem Theologicam eruendam regula eſt Doctrina SS. Patrum. Illi enim ſunt fideles (uti dixi) Verbi Traditi depoſitarii, *Ita*, ut ait Hieron. de Patribus ſe præcedentibus dialogo contra Lucifer. c. 8. *& nobis Majores noſtri, & illis ſui tradiderunt Majores*, etiam Apoſtoli Patrum prædeceſſores. Hinc eſt, quòd tam ſollicitè Scriptura Sacra Diſcipulos omnes admoneat, ne deſpiciant narrationem Seniorum, interrogent Majores ſuos, ut confiteatur nec abſcondant Patres ſuos, &c. Hinc

 rurſùm

rurſùm veteres Doctores errorem diſpergentes & veritatem confirmantes, ſolam SS. Patrum Doctrinam aſſumunt, tamquam quæ ſufficiat, ut Veritas ſtabiliatur. Audi S. Bern. Epiſt. 77. ad Hug. Vict. *Patrum*, ait, *tantùm opponimus ſententias, ac verba proferimus, & non noſtra; neque enim ſapientiores ſumus, quam Patres noſtri.* Horum denique authoritatem tanti fecerunt ipſi Romanæ Eccleſiæ Pontifices, ut Zozymus Papa cap. *Contra ſtatuta*, cauſ. 25. q. 1. expreſsè dicat: *Contrà ſtatuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem Sedis poteſt authoritas, apud nos enim inconvulſis radicibus vivat antiquitas, cui decreta Patrum ſanxêre reverentiam, &c.*

Porrò non omnium SS. Patrum in quacumque re Theologicâ eadem eſt authoritas. Unius enim dogmata ab Eccleſia ſunt canonizata & confirmata, uti S. Auguſtini in materia de prædeſtinatione & gratia: unus ſpecialiter & ex profeſſo Catholicam veritatem tradit & adverſus hæreticos propugnat: Alterius Apoſtolis vicinior fuit in doctrinâ communicatio, &c. quo fit, ut iis attentis eorumdem creſcat in doctrina authoritas. 26. *Non omnium Patrum eadem ubique eſt authoritas.*

Cùm verò SS. Patrum Doctrina, præ ingenii & ſcientiæ magnitudine eorumdem, nobis ſæpè ſit recondita & difficilis, certa requiritur in eorum ſenſu perquirendo ratio. Hinc loca eorumdem difficiliora per clariora ſunt exponenda, non è contra: & ſi quando in ſpeciem repugnare videantur aliqua S. Patris documenta, vel dicto medio opus eſt, vel ad doctrinam & dogmata recurrendum eſt, quibus ex profeſſo agit de re, de qua diſputatur: Denique quæ in provectiori ætate conſcripſerunt, in ætate minùs provecta conſcripta emendare & dilucidare ſolent & debent; Varia enim uſu temporis didicerunt & retractârunt SS. Patres, uti conſtat ex libris retractationum S. Auguſtini & aliis: Sic Summa D. Thomæ plurima loca ejuſdem operum dilucidat & tacitè retractat, quæ ſubinde Doctrinæ illius Summæ videntur repugnare. 27. *Modus intelligendi SS. PP.*

28. *Cæteris paribus præferendi ſunt ſeniores.* Si tamen iis ſepoſitis, quæ antea dixi authoritatem SS. Patrum adaugere, cætera ſint paria, præferendi ſunt ſemper SS. Patres Apoſtolorum temporibus viciniores. Fit enim in his, uti in ſtructura artificiali, quòd quo propior eſt petra fundamento, eo ſit ponderis gravioris, & quo unda fonti proximior, eo ſit purior, juxta illud poëtæ;

*Purius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.*

---

## SECTIO V.

### *De Doctoribus Scholaſticis.*

IN re Theologicâ lucem præbent Doctores Scholaſtici, Verbo Divino & Sanctorum Patrum authoritate, res Theologicas proponentes. In his evolvendis rectè inſiſtet Theologiæ Diſcipulus, quibus Sanctorum Patrum opera ut ſolidus cibus non conveniunt, ſed quibus lacte opus eſt. Varia tamen in eorumdem delectu præcavere oportet.

29. *Qui Scholaſtici præferendi.* Primò quidem, ut aſſumantur illi, qui ſcripta ſua ad S. Scripturæ & SS. Patrum Doctrinam potiſſimùm referunt, & eâ ſua dogmata confirmant; ſecùs de illis, qui ratiuncularum tricis, Ariſtotelicismis & ſimilibus Theologiæ diſpendiis incumbunt, parum de SS. Patribus ſolliciti. Qua in re enormiùs errant, qui præcipuè S. Auguſtini dogmata aut palam rejiciunt, aut depravant, prout de ſe palam profiteri non verentur aliqui, ubi tamen ait Breviarium Rom. in Feſto S. Auguſtini, quòd omnes Scholaſtici eumdem Præſulem ſequantur, aut ſaltem ſequi debeant. Hinc eſt, quòd Theologiam Scholaſticam vocet Sixtus V. Bulla *Triumphantis Jeruſalem*, *Patrum hæreditatem*, quòd à Patribus hæreditariè ad Scholaſticos dimanaverit Scientia Theologica.

30. *Novatores præcavendi.* Secundò præcavendi ſunt illi, qui novitatum prurigine ducuntur, qui ſibi & aliis ſatisfactum judicant, ſi quid

quid novi ſolummodò proferant. Vera etenim Theologia antiqua eſt; &,ut moresChriſtianorum eo puriores, quo Chriſto & Apoſtolis viciniores; ita & Theologia Moralis vetus eſt, & ſi quæ nova ſit, ut quidam fatentur, vera non eſt, nec genuina, ſed corrupta & depravata. Non enim Theologia moribus indies in pejus abeuntibus regulanda eſt, ſed Theologiæ veteri novi mores ſunt conformandi. Vera enim Theologia decurſu temporis non magis variari poteſt, quàm ipſa incommutabilis Veritas. 31. *Vera Theologia antiqua eſt.*

Tertiò ſuſpecti ſint illi, qui non niſi mitioribus doctrinis, probabilitatibus invehendis, & viam cœli ampliando incumbunt. Sicut enim, teſte D. Hieron. cont. Jov. *Pſeudo-Prophetæ ſemper dulcia pollicentur*; ita plerumque pſeudo-Theologi mitiora dogmata propinant, probabilitatibus eadem deliniunt, plerumque ut venena ſaccaro. Quicumque ergò, ut cœli tramitem dilatent, probabilitates congerunt, quibus ea licita eſſe clamant, ſi ſolummodò probabilia, etiamſi tenuiſſimo probabilitatis adjutorio, glorientur ſe Theologiæ depravatores, ne dicam & morum Chriſtianorum. Neque ideò in aliud extremum declinandum eſt, quaſi ſemper in illud, quod ſtrictiùs ligat, ſit inclinandum; ſæpè enim inter utrumque procedit Veritas, etſi in re dubia & periculoſa plerumque inclinandum ſit in partem tutiorem. 32. *Mitiores cavendi.* 33. *In medio tutum.*

Quartò, prædictis ſatis affines ſunt illi, qui erga Confratrum ſuorum Doctrinam eo ducuntur zelo, ut eoſdem ſequantur ut grues aut oves, parum intenti Veritati aut Sanctorum Patrum authoritati, omnia vera & genuina arbitrantes, quæ plurimorum Scholaſticorum, maxime recentiorum authoritate relatâ, communire poſſunt & proponere. Hinc unus pro veritatis ſuæ ſententia 100. imò ducentos Theologos conglomerat, quorum nullus aliquando Doctrinam ſuam alicujus S. Patris aut Scripturæ teſtimonio confirmat, quaſi Theologica authoritas aliorum ſolummodò pondere æſtimanda eſſet, & ſuſcipienda. Certe, 34. *Nemini oportet animo præoccupato adhærere.*

cum

cum plurimis dicere auſim, unius S. Auguſtini aut alterius S. Patris majorem eſſe authoritatem, quàm 100. Scholaſticorum hujus aut alterius ſæculi, Scholaſticis uberrimi. Hinc diſcipulo Theologico omnis in primis exuendus eſt præoccupatus animus, ne voto aut juramento ſeſe obſtringat, hunc vel illum authorem Scholaſticum neotericum in doctrina per omnia
35. *Veritas nuda eſt & libera.* imitandi, quo rectum judicium, & veritatis aſſecutio præpediri ſolet, dum animus voto ligatur aut juramento. Memini me profeſſionis alicujus profeſſorem argumentorum pondere preſſum, audiviſſe publicè proteſtantem, ſe aliam oppoſitam ſententiam in animo ſentire, etſi aliam propugnare & profiteri ex voto conſtringeretur. Libera enim & nuda veritas ſit
36. *Veritati vovendū & in illam jurandum.* oportet, liber ſit animus, qui eam deſiderat. Aliud eſt, ſi nos voto aut juramento ipſi veritati obligemus, quod & fit, dum in aliquibus Academiis laudabiliter juratur in S. Auguſtinum & D. Thomam, dum ex voto Ordo noſter intendit D. Auguſtino, Societas D. Thomæ, uti & Dominicani & Carmelitæ, ita tamen ut ſi quid aliud Eccleſia definiat, ab opinione aliquando ſit recedendum; nec ideò alterius Scholæ ſententias leviter liceat condemnare. Hinc Canus de locis, l. 8. c. 4. ita ait: *Sanè arguendi ſunt Scholaſtici nonnulli, qui ex opinionum, quas in Scholis acceperunt, præjudiciis, viros aliàs Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tantâ facilitate, ut meritò rideantur. Nobis autem Schola noſtra magnam quidem licentiam dat, ut quodcumque maximè probabile occurrat, id nobis jure liceat defendere, ſed non licet tamen eos, qui nobis adverſi ſunt, temerè ac leviter condemnare.* Non enim pro opinionibus pugnandum eſt, ut pro aris & focis.

37. *Judicium S facultatis Lovan. Theolog de delectu Scholaſticorū.* Quænam autem Scholaſtica Theologia in primis ſit amplectenda, admonuit jam dudum diſcipulos ſuos ſacra Facultas Theol. Lovan. *Ut eam in primis non ex quibuſvis, ſed probatiſſimis Scholaſticis (qualis inter cæteros eſt D. Thomas) petendam putent.* Deindè, *ut nec unam ſolámque ſibi aut diù nimis colendam exiſtiment, ſed* dili-

*diligenter cùm ſcripturarum quoque litterarum, tum Veterum quoque, ac in primis B. Auguſtini (qui Scholaſticæ diſciplinæ quaſi fons ac parens fuit) lectionem adjungere ne negligant. Periculum enim alioquin non parvum eſſet, ne peſtiferi errores ex Scholaſticis nonnullis hauriantur, niſi ex B. Auguſtini officina ſalutaribus ſe quiſque antidotis præmuniat.*

---

## SECTIO VI.

### *De Philoſophia, ſive ſcientia naturali.*

CUM Philoſophia ſit ſcientiarum clavis, rectè quoque ad arcana quædam Theologiæ puncta reſeranda eadem ſubſervit. Cum verò, ut ante diximus, Theologica Scientia innitatur Fidei & Traditioni, & aliis eadem confirmantibus, ſequitur clariſſimè, quòd ratio naturalis & ſcientia illi innixa ancillari hîc debeat, non dominari. Sæpè enim quod Fides negat, ratio affirmat, aut contra; adeò ut ad rationem, ut ad judicem & teſtimonium infallibile in re Theologica ſemper appellare ſit vetitum. Hinc tot demonſtrationes naturales in Fide pernicioſæ, quâ ratione Philoſophi aliquando dicti ſint *Hæreticorum Patriarchæ*, teſte Hieron. ad Cteſiph. *Qui Eccleſiæ puritatem perverſâ maculavêre Doctrinâ.* Hinc rurſum rogat Tertullianus l. de præſcript. *Quid Athenis & Hieroſolymis? Quid Academiæ, quid Eccleſiæ?* Et S. Hier. dial. cont. Pelag. *Non nobis curæ eſt quid Ariſtoteles, ſed quid Paulus doceat.* Ejus rei incommodum ſentit jam dudum Theologia Scholaſtica, dum ejuſdem puritatem corrupit nimius Philoſophiæ uſus, & ſcientia naturalis intemperantiùs uſurpata, adeò ut ex illa altercationibus terminorum & obſcuritatibus innumeris Theologiâ ſcateat & abundet; nam, ut ait S. Paulinus Epiſt. 21. *In hoc omnis ars Philoſophorum laborat, ut aſſertione fictorum lucem veritatis obſcuret, & inanium contentionum laqueis ſollicitatas à vero mentes implicet, & in-*

38. *Philoſophia in re Theologica ancillari debet.*

39. *Qualis Philoſophorum aliquorum genii ſiat.*

40. *genii fraude decipiat, & fuco ſermonis inducat.* Purior ergò & vetus Theologia ex Scriptura & SS. Patribus ſua dogmata depromebat, parum de Philoſophia ſollicita, unde & major in eadem erat pariformitas, & ſcientia labii unius: at decurſu temporis Philoſophiæ ſtudium liberaliùs in res Theologicas confirmandas aſſumpta eſt, Patribus & Scriprurǽ minùs attentum, unde copioſior Theologorum diſcordia & difformitas eſt exorta.

*Primi Theologi parũ Philoſophia intenti.*

41. Nec ideò omnis planè ſcientia naturalis hîc penitùs eſt proſcribenda, cùm ex conformitate ad rationem naturalem res Theologicæ magis eluceſcant, & ut clariores & veriores proponantur, ex qua parte lucem ſubminiſtrat Philoſophia. Si verò aliqui hîc excedant, ſciendum eſt, non propter bonarum rerum abuſum uſui legitimo calumniandum eſſe, nec induſtriam humanam in tradendis utiliter ſcientiis ſuffocandam eſſe, quia limitem ſubindè prætergreditur, ſed intra cancellos à veritate præſcriptos potiùs eſſe revocandam.

*Abuſus aliquorũ non debet uſui legitimo calumniari.*

42. Deinde, quandoque neceſſarium erit, Philoſophiæ adjutorio res Theologicas confirmare, v.g. ſi Philoſophicis machinationibus impetantur res Fidei, ſi hoſtes ejuſdem nihil ſpiritualis ſapiant, ſed ad rationis trutinam omnia menſurent: quo pacto D. Thomas ſuam Scholaſticam variis Philoſophicis præ cæteris communivit & deduxit.

*D. Thomas præ cæteris Philoſophiâ uſus eſt familiariùs.*

TRA-

# TRACTATUS I.

## DE

## DEO TRINO ET UNO,

### Omnium rerum Conditore & Gubernatore.

## CAPUT PRIMUM

### *De Deo.*

### SECTIO PRIMA.

#### *De Dei exiſtentia.*

DEUM eſſe Fides docet, & naturalis ratio 43. *An Dei*
evincit. Etſi enim eouſque aliquorum creſ- *exiſtentia*
cat naturæ depravatio, ut Deum negent, *ſit per ſe*
& in corde dicant, non eſt Deus, naturali *nota.*
tamen lumine contrarium conſtat.

An autem ſit per ſe notum Deum eſſe, controvertitur: lis pendet ex diverſâ explicatione, vocis *per ſe notum.* Alii, ut communiter Thomiſtæ, docent hanc 44.
propoſitionem *Deus eſt*, eſſe quidem per ſe notam ſe- *Quid ſit*
cundùm ſe, ſed non quoad nos. Illam enim vocant *per ſe no-*
propoſitionem per ſe notam, cujus prædicatum eſt *tũ: quid*
de eſſentiali & intrinſeca ratione ſubjecti: exiſtentia *notũ quoad nos.*
autem, quæ de Deo hic prædicatur, eſt talis, adeoque & per ſe nota. Ut autem ſit per ſe nota quoad nos, ulteriùs requiritur, ut quilibet auditis terminis, cognoſcat ejus quidditatem, & abſque medio cognoſcendi videat conjunctionem terminorum, quod au-

ditâ hâc propoſitione, *Deus eſt*, minime fit. Alii autem eamdem propoſitionem volunt quoque eſſe per ſe notam quoad nos, & docent ſatis eſſe ut aliqua propoſitio ſit per ſe nota quoad nos, quòd de ſe ſit talis, ut ſine medio cognoſcendi, terminorum connexio videri poſſit, etſi ob imperfectionem intellectûs de facto non videatur talis connexio. Et talem docent eſſe omnem omninò propoſitionem eſſentialem, cùm omnis illa de ſe ſit talis, ut illâ auditâ, quilibet facilè cognoſcat terminorum connexionem, etſi aliquando aliqui ob imperfectionem intellectûs illam connexionem non cognoſcant.

Rectiùs tamen docent, Deum eſſe, eſſe quidem per ſe notum ſecundum ſe, ſed non quoad nos. Ratio eſt, quòd illa propoſitio ſit per ſe nota, cujus prædicatum eſt de intrinſeca ratione & eſſentia ſubjecti, uti eſt exiſtentia reſpectu Dei: non tamen eſt per ſe nota quoad nos, cum hæc propoſitio, *Deus eſt*, non ſit talis, ut quilibet eâ auditâ cognoſcat objecti quidditatem, ſed alio inſuper medio egeat, quo in ejuſdem notitiam devenire poſſit, uti clarè patet ex eo, quòd varii etiam auditâ eâdem propoſitione, in dubium vocârint, an Deus exiſtat; imò aliqui illud penitùs negaverint, ut Athei. Deinde non poſſumus aſſentiri illi, quod eſt contrarium per ſe noto, quod tamen faciunt Athei.

Quæret aliquis, an ergò Dei notitia omnibus omnino inſit? Varia ſuadent affirmativam partem, juxta illud D. Auguſtini tract. 106. in Joan. ubi ait. *Hæc eſt vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omninò ac penitùs poſſit abſcondi.* Et in Pſalm. 74. *Deus*, ait, *ubique eſt publicus . . . . . . quem nemo permittitur ignorare*, Idem docet Hieron. in illud Jo. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, &c.

Alii tamen negant. 1. quidem, quòd ſcripturâ teſte Pſalm. 17. dicatur, *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus:* Quod Pſ. 78. dicat: *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt:* Item quòd Apoſtolus 1. cor. 15. apertè

apertè dicat: *Ignorantiam Dei quidam habent*, & 1. Theſſ. 4. *gentes*, ait, *quæ ignorant Deum*; quibus adde, omni tempore inventos eſſe Atheos.

Verumtamen ut hæc duo conciliemus, notandum eſt, duo hîc ſatis eſſe certa. Primum quidem Dei notitiam in particulari, ſeu ſecundùm particulares ſuas proprietates à variis non haberi; quod & S. Scriptæ ſatis oſtendunt. Alterum, quòd alii omnem omninò de Deo opinionem rejiciant, judicantes omnia fato evenire, omnia caſu gubernari, prout ſomniant Athei. 45. *Quomodo Dei notitia omnibus inſit.*

His poſitis, reſpondeo pro affirmativa parte SS. PP. docere, omnibus omnino, Dei notitiam ineſſe confuſo modo, cùm numquam eouſque humana mens abſorbeatur, quin aliqua Dei notitia ſe menti humanæ ingerat, etiam iis, qui Deum negant; cùm eundem confiteri ſubinde cogantur, velint nolint, quem neſcire cupiunt, v. g. dum vindictam Dei ſentiunt in ſe, aut in aliis experiuntur, Deum exhorreſcunt, adeò ut quem lingua negat, conſcientia admittat. Deinde, omnibus omninò ineſt Dei notitia quoad appetitum ad eumdem, dum omnes omninò beatitudinem appetunt, quæ eſt Deus. Cùm quo bene conſiſtit, quoſdam etiam Deum ignorare, dum ita vivunt, ac ſi nullus foret ſcelerum vindex, nec ultor à tergo Deus. Item etiam, quòd aliquorum natura in tantum depravetur, ut Deum mundi hujus authorem non agnoſcant: etſi ut notat S. Auguſtinus in illud Pſalmi 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus, inſania illa paucorum ſit*, ut ait ſerm. 10. de verbis Domini.

Ex quo patet, quomodò verùm ſit quod SS. PP. docent, omnes ſcilicèt homines Deum cognoſcere, item quod ait ſcriptura S. Job. 36. v. 25. *Omnes homines vident eum*: omnes enim cognoſcunt & vident Deum, modo ſaltem imperfecto & confuſo, ante dicto.

## SECTIO II.

*Quibus mediis erui poſſit Dei exiſtentia.*

46. *Quomodò exiſtentia Dei poſſit demõſtrari.* Disputant authores, an demonſtrari poſſit Deum exiſtere. Pro cujus intelligentiâ recolligendum eſt, duplicem apud Logicos eſſe demónſtrationem, unam *à priori*, ideſt, quâ ex cauſa demonſtratur effectus: aliam à *poſteriori*, in qua è converſo per effectus demonſtratur cauſa. Hinc primò certum eſt, non poſſe demonſtrari à priori Deum eſſe, cùm uti Dei, ita nec exiſtentiæ ejus in ullo genere cauſæ poſſit dari cauſa, per quam Dei exiſtentia poſſet demonſtrari. Reſtat ergo, ut poſſit exiſtentia Dei demonſtrari à poſteriori, ideſt per effectus, idque rationibus planè evidentibus & convincentibus Deum exiſtere, qua de cauſa jure merito inexcuſabiles dicit Apoſtolus eos, qui Deum ignorant, aut debitum cultum Deo denegant, de quibus in ſequentibus.

47. *Media perveniẽdi in notitiã Dei.* Prima ergo ratio qua Dei exiſtentia demonſtratur, deſumitur ex parte motûs & eorum quæ moventur: in iis enim tandem devenire oportet ad aliquod movens primum, quod cætera moveat, ipſum verò ſit immobile.

I.

II. Secunda ratio ſumitur ex parte cauſæ efficientis, in qua tandem deveniri oportet ad cauſam aliquam primam à nullo dependentem.

III. Tertia ex rerum omnium gubernatione. Omnia enim agere videmus propter finem, etiam illa quæ cognitione carent: quare admittendum aliquod ens, quod cætera omnia in finem ſuum dirigat. Velut ſi ſagitta eumdem ſemper feriret ſcopum, admittendum eſſet agens aliquod ſagittam illam continuò dirigens.

IV. Quarta ex mira totius univerſi fabrica, prout colligitur artifex ex artificio.

V. Quinta ex miraculis & prodigiis, vim creatam exceden

cedentibus, qualia ſunt reſuſcitatio mortuorum, & ſimilia.

Sexta: Pœnæ & ſupplicia malefactoribus immiſſa Deum eſſe teſtantur, unde viſis Egyptiorum plagis Jethro clamabat exod. 18. *Nunc cognovi, quia magnus Dominus ſuper omnes Deos.* *VI.*

Septima: Idem evincit malevolorum anxietas & conſcientiæ ſtimulus, qui delinquentes torquet, & quo à Deo quaſi refugere velint, ut in Protoparente, peccato commiſſo mox apparuit, dum à facie Dei ſeſe abſcondit. *VII.*

Octava ex conſenſu omnium omnino nationum, de quo ita Cicero de natura Deorum; *nulla eſt tam barbara natio, nulla gens tam efferata, cui non inſideat hæc perſuaſio, Deum eſſe.* *VIII.*

His omnibus accedit Fides noſtra, atteſtans ad Hæb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt.* Idem facit ubique Scriptura Sacra, adeò ut ab exiſtendo nomen Dei conſtituat exodi 3. *Ego ſum, qui ſum.* Quæ omnia hâc ſententiâ complectitur S. Aug. lib. 15. de Trinit. c. 4. *Neque*, ait, *divinorum librorum authoritas tantummodò Deum eſſe prædicat, ſed omnis quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus, univerſa ipſa rerum natura proclamat.* *IX.*

48. *Credere fas eſt Deo, quia hoc dixit ſe eſſe.*

Unum tamen hic urget, quomodò credere quis poſſit aliquem eſſe, quia hoc dixit, hoc enim ridiculum videtur & abſonum: ad quod Reſpondeo: In primis poteſt ſupponi tamquam lumine naturali notum, Deum eſſe: Deindè poteſt prudenter idem credi, propter divinam revelationem id atteſtantem. Adde, quòd quis poſſit prudenter credere Deum eſſe, eò quòd cum ſuis ſignis credibilitatis illud credendum proponat Scriptura Sacra, adeò ut, etſi nihil ante de Deo ejuſque exiſtentia audiviſſet, deberet tamen exiſtentiam ejus ita propoſitam credere. Vide quæ dicam in ſimili, agendo de fide.

## SECTIO III.

*An poſſit dari invincibilis ignorantia Dei.*

49. *Non poteſt dari ignorantia Dei invincibilis.* AFFIRMANT plurimi poſſe dari ignorantiam invincibilem Dei ad breve aliquod tempus, at pauci admittunt poſſe dari hominem bono judicio præditum, qui totâ vitâ Deum ignoret invincibiliter, uti etiam, poſſe dari rempublicam invincibiliter Deum ignorantem.

Vera tamen ſententia negat, dari poſſe ignorantiam Dei invincibilem, in aliquo rationis compote. Clarè id innuit Scriptura Sacra Sapientiæ 13. ubi ait: *Vani ſunt omnes homines; in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. ... nec his debet ignoſci: ſi enim tantum potuerunt ſcire, ut poſſint æſtimare ſæculum, quomodò hujus Dominum non faciliùs invenerunt?*

Hinc Pſalmiſta Deum provocat dicens Pſalm. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* Idem docet Apoſtolus ad Rom. 1. & alibi.

His accedit S. Cyprianus l. de vanitate idolorum, ubi ait: *Vulgus in multis Deum naturaliter confitetur.... atque hæc eſt ſumma delicti, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſſis*, utique invincibiliter.

50. *A ratione* Accedit & ratio, quòd illa ignorantia non ſit invincibilis, quæ deponi poteſt mediis oportunis & ordinariis: ignorantia autem Dei talibus mediis vinci poteſt, ut puta per reflexionem ad creaturas, mundi totius fabricam, &c. Motiva ante dicta, ex quorum conſideratione, facili negotio adſcendi poteſt ad cognitionem Dei. Nec longo aut arduo ad hoc opus eſt diſcurſu: cum ſapientiâ æternâ atteſtante, vani ſunt illi, qui æſtimare ſæculum cùm poſſint, hujus dominum faciliùs non inveniunt.

Si tamen brevi temporis ſpatio aliquem Dei notitiâ carere poſſe contendant aliqui, hoc interim ad-

dunt

dunt, non eſſe præſumendum de ſuavi providentia Creatoris, quòd aliquem ratione utentem, diu in ejuſmodi ignorantia relinquet, ſine cogitatione ſaltem aliquali Dei, & quidem tali, quâ aſſurgere poſſit ad ulteriorem Creatoris ſui inveſtigationem, quæ ex creaturis & aliis prædictis maximè nobis eſt conſentanea, ut eapropter Apoſtolo Deum ignorantes, ſint inexcuſabiles.

Notandum autem prædicta omnia intelligenda eſſe, non tantùm de cognitione Dei ſpeculativa, ſed etiam practica, id eſt cui conjuncta ſit debita Dei religio, & cultus. Habitâ enim ſcientiâ & cognitione exiſtentiæ Dei, facili negotio inveſtigamus & cognoſcimus debitum Deo cultum eſſe exhibendum.

## SECTIO IV.

*An Dei notitia haberi poſſit abſque ſpeciali Dei gratiâ.*

EX Philoſophorum gentilium Doctrina conſtat, ſolo naturæ ductu eos cognoviſſe varia virtutum officia. Simili modo dici poſſet, eoſdem cognoſcere potuiſſe ſolis naturæ viribus, eſſe cauſam aliquam primam, quæ omnia moveat ac dirigat, à nullo prorſus dependentem, quæ nil aliud eſt, niſi Deus, qualem cognitionem conſecutos docent, maximè Platonicos. Sicut enim, natura noſtra, non eſt in tantum per peccatum corrupta quin ſaltem poſſit cognitione ſpeculativâ aliquando ſcire, quid juxta rectam rationis regulam agendum ſit aut omittendum, de quo alibi; ita etiam non videtur ratio in tantum obtenebrata, ut ſaltem aliqualis Dei cognitio haberi poſſit ſolis naturæ viribus. Quamvis hoc quoque fatendum, quòd ſicut gentiles Philoſophi, in inveſtigandis virtutum officiis ſæpiùs erraverunt, & maximè in conſtituendo officiorum fine, ad quem eſſent officia dirigenda: Ita quoque, non poſſint ſolo

51. *Poteſt haberi notitia Dei ſine gratia.*

naturæ ductu habere ita exactam Dei notitiam, quin in variis errent, uti patet in variis gentilium erroribus, quibus nunc volucres, nunc ſerpentes, nunc dæmones Deum nuncupabant.

52. *Non illa tamẽ quæ nos ad juſtitiam diſponit.* Hoc tamen hîc notandum; quòd ſicut ſcientia illa à Deo eſt, ideſt per ſpecialem Dei gratiam homini confertur, quâ ſurgitur ad debitum Dei cultum, & ad juſtitiam, neque talis viribus naturæ obtineri poteſt, aliàs initium ſalutis eſſet ex nobis: Ita etiam ſcientia illa Dei, quâ paulatim homo diſponitur ad amorem Dei, ad religionem Deo exhibendam & ultimatè ad juſtitiam, abſque dubio per ſpecialem Dei gratiam eſt obtinenda: quâ ratione aliquando talis Dei notitia comprehenditur ſub fide, ſub quâ aliquando comprehendunt omnes pias de Deo illuſtrationes intellectus; quapropter dicitur quoque initium fidei non eſſe ex nobis. Nulla enim ad juſtitiam diſpoſitio, quæ ſolis naturæ viribus poſſit obtineri. Vide plura de hac materia in tractatu de gratia.

## SECTIO V.

### *Quid ſit Deus?*

CUM certum ſit, non poſſe in hac vita clarè & perfectè cognoſci divinam eſſentiam, etiam certum eſt perfectè à nobis dici non poſſe, quid ſit

53. *Melius Deus noſcitur via negationis, quam affirmationis.* Deus. Hinc Job 36. *Ecce*, ait, *Deus noſter vincens ſcientiam noſtram.* Sicut tamen imperfectè, & in quantum patitur naturæ noſtræ capacitas, Deus à nobis in hac vita cognoſcitur, ita etiam eodem modo dici poteſt, quid ſit Deus.

Meliùs tamen juxtà D. Auguſtinum invenitur quid ſit Deus, viâ negationis quàm affirmationis, &, ut ait S. Doctor in Pſalm. 85. *Faciliùs dicimus, quid non ſit, quam quid ſit. Terram cogitas? non eſt hoc Deus ....*

*omnia*

*omnia cogitas quæ ſunt in terra, in mari, in cælo? non eſt hoc Deus .... ſolum poſſum dicere, quid non ſit.* Rationem dat, cùm ſubdit in Pſalm. 85. *Deus ineffabilis eſt, & ideò faciliùs dicimus, quid non ſit, quàm quid ſit.* Ut tamen aliqualis Dei habeatur deſcriptio, docent primò eum eſſe ſubſtantiam ſpiritualem completam. Quòd ſit ſubſtantia definitur cap. *firmiter* de ſumma Trinit. colligitur idem ex Scriptura S. quæ Deum dicit eſſe præditum vitâ, & ratione, quod non niſi ſubſtantiæ competit. Denique Deus eſt cauſa omnium omninò rerum etiam ſubſtantiarum: adeòque ipſe ſubſtantia eſt, cùm cauſa non ſit minoris perfectionis, quam ſit effectus.

Quòd ſit ſubſtantia ſpiritualis, colligitur ex prædicto capitulo *firmiter*, & ex hoc Joan. 4. *Spiritus eſt Deus.* Idem patet ex aliis, quæ docent Deum eſſe immortalem, inviſibilem, immenſum, quæ corporibus convenire minimè poſſunt. 54. *Deus eſt ſpiritualis.*

Quod autem dicat Scriptura S. Geneſis 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ex quo aliqui opponunt Deum habere corpus ſpecie humanâ: Deindè quòd alibi aures & manus Deo adſcribat, nihil obſtat prædictis, cùm homo factus ſit ad imaginem & ſimilitudinem Dei, non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animã, quantùm ad intellectum & voluntatem. Deo autem attribuuntur manus, &c. Non quòd propriè illas habeat, ſed eaſdem metaphoricè dumtaxat habere dicitur, ad ſignificandas varias Dei operationes, quæ in ſimilibus membris reſidere ſolent. 55. *Homo Deo ſimilis quoad animam.*

Ex quo ſequitur, Deum non componi ex materia & forma. Cùm enim partes compoſiti ſint priores compoſito, ſequeretur aliquid admittendum eſſe, quod ſit Deo prius. Deinde cùm quodlibet compoſitum reſolvi poſſit in ſuas partes, quodlibet etiam eſt in potentia ad non eſſe, quod Deo competere non poteſt, cùm ſit ens neceſſarium. 56. *Deus non componitur ex materia & forma.*

Notent hinc Paſtores & Catechiſtæ, hanc Doctrinam pueris à tenero intimare, ne Deum ſibi pro- 57. *Spiritualitas Dei eſt pueris*

*tenero bene inculcanda.* ponant, ut Regem aut ſenem venerabilem, aut quovis modo corporeum, quod rudi & carnali populo proprium eſt, ſed ut ſpiritum à quo cætera omnia dependent, & à quo omnia conſervantur.

Quòd autem ſit ſubſtantia completa, probatur ex eo, quòd aliàs poſſet componere totum, quod eſſet ſe ipſo perfectius.

Impropriè tamen aliquando homines dicuntur dii juxta illud S. Aug. in Pſalm. 118. Serm. 16. *Non exiſtendo ſunt homines dij, ſed fiunt participando illius vnius, qui verus eſt Deus.*

---

## SECTIO VI.

*An poſſit demonſtrari Deum eſſe unum, non plures.*

58. *Deus eſt unus: & ſi plures eſſent dii, nullus eſſet Deus.* EX fide conſtat Deum eſſe unum, non autem plures. *Scimus*, ait Apoſtolus 1. cor. 8. *quoniam nullus eſt Deus, niſi vnus.* Et Epheſ. 4. *vnus Dominus, una fides, unum Baptiſma.*

Nec ſolâ fide, ſed ratione quoque demonſtrari poteſt Dei vnitas. Prima ratio eſt, quòd Deus ſit ens ſummè perfectum. Hinc, ſi darentur plures dii, neuter eſſet ſummè perfectus, cùm neuter nec formaliter, nec eminenter in ſe contineret perfectiones alterius, unde ſequeretur complexum ex vtroque perfectius fore, quam alter ſeorſim.

Secunda ratio eſt, quòd aliàs hujus vniverſi adminiſtratio confuſa eſſet & inordinata. Cùm enim Deus ſit liberrimæ voluntatis, fieri poſſet quòd vnus aliquid vellet, quod alter nollet. Hinc regimen Dei eſt omni modo perfectiſſimum, quod eſt monarchicum.

Tertia ratio eſt, quòd cùm unus Deus ſit mundo & omnibus ſufficientiſſimus, alter foret ſuperfluus.

Quapropter rectè dixit S. Athanaſ. orat. cont. idol. *multitudo numinum, nullitas eſt numinum.* & a Lactan-

Lactantio l. 2. inſtitut. Chriſt. c. 1. rectè dictum ſit, quod cùm gentes jurant, non Jovem aut Deos multos nominent, ſed Deum, edoctæ ſcilicet, ex naturali ratione, Deum ſolum eſſe, & unum eſſe, aut nullum.

Ex quo palam fit, quàm turpiter erret ille qui docet, *deorum pluralitatem, ſtando puris principiis naturalibus, defendi poſſe & propugnari.*

---

## SECTIO VII.

### *De Perfectione Dei.*

NOMEN illud *perfectum*, juxta D. Greg. l. 23. mor. c. 11. non poteſt Deo attribui, eò quòd illud, quod non eſt factum, non poſſit propriè dici perfectum, quod derivatur à *fieri.* Contrarium tamen uſus obtinuit, ipsâ ſcripturâ contrarium edocente, dum illud nomen Deo attribuit Math. 5. ubi di- 59.
citur: *Eſtote perfecti, ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt.*

*Quanam perfectiones ſint in Deo. Quid ſit perfectio ſimpliciter ſimplex quid perfectio ſecundum quid.*

Quæret aliquis, an omnes omnino perfectiones ſint in Deo? pro cujus pleniori intelligentia notandum eſt, alias eſſe perfectiones, quas vocant *ſimpliciter ſimplices;* alias, quas dicunt eſſe perfectiones *ſecundùm quid.* Perfectio ſimpliciter ſimplex, ſive *pura* dicitur illa, quæ ita perfecta eſt, ut nihil prorſus admixtum habeat imperfectionis.

*Perfectio ſecundùm quid*, dicitur illa, quæ ita perfecta eſt, ut tamen aliquid imperfectionis habeat admixtum: qualis eſt omnis creaturæ perfectio, cùm hoc habeat imperfectionis admixtum, quod in nihilum redigi poſſit, eo ipſo quo eſt creatura.

Inſuper notandum eſt, aliquid in Deo eſſe formaliter & ſecundùm ſe, aliud tantùm eminenter, ſive quod eminenter tantùm in ſe Continet, prout eſt omne omninò bonum.

His notatis Reſp. perfectiones omnes ſimpliciter ſimpli-

ſimplices formaliter eſſe in Deo, perfectiones autem ſecundùm quid, omnes in Deo eſſe eminenter: adeò ut omnes omninò perfectiones & omne bonum aliquâ ratione ſit in Deo, cùm ex ipſo, & in ipſo, & per ipſum ſint omnia; hinc ſeſe Moyſi oſtendens ait exodi

60. c. 33. *Oſtendam tibi omne bonum*, & lucæ 18. dicitur *nemo bonus, niſi ſolus Deus*, id eſt bonus per excellentiam, & omnis boni plenitudine. Hac ratione Deus vulgò dicitur: Optimus, Maximus.

*Quomodò Deus eſt ſolus bonus.*

Quæres 2. an ergo Deus & creatura non ſint quid perfectius Deo? Reſp. abſolutè quòd non, Deus enim eſt infinitè perfectus, omnium omninò rerum perfectionem in ſe complectens. Neque putari debet, quòd ex eo, quòd Deo conjungatur creatura aliqua ſuo modo perfecta, aliquid perfectionis exinde accedat, veluti compoſitum ex viro docto & grammatico, non debet dici doctius ſolo viro docto.

61. Quæres tertiò, an non poſſit dici, quod creatura ſit ſimilis Deo? Reſp. alia eſt ſimilitudo perfecta, alia imperfecta. Perfectâ ſimilitudine nihil Deo poteſt eſſe ſimile, cùm ſolus ſit infinitè perfectus. Imperfectè tamen poteſt creatura dici Deo ſimilis: ſic Geneſ. 1. dicitur ſpecialiter de homine, quòd ſit factus *ad imaginem & ſimilitudinem Dei.* Hinc de perfecta ſimilitudine quærit Pſalmiſta Pſalm. 70. *Deus quis ſimilis tibi*? & Pſalm. 85. *Non eſt ſimilis tui in diis Domine.*

*Quomodò creatura poſſit eſſe Deo ſimilis.*

## SECTIO VIII.

### *De Immenſitate Dei.*

62. Immensum nihil aliud de ſe importat, quàm aliquid non habens menſuram: hinc cum infinito poſſet confundi. Uſu tamen loquendi Sanctorum Patrum & Doctorum ſignificat, infinitatis modum ſecundùm præſentiam, quo ſcilicèt Deus non eſt limitatus ad aliquem locum, aut rem aliquam, quâ ratione ſæpè dici-

*Quid ſit immenſum.*

dicitur *incircumſcriptus*. Diſtinguunt alii immenſitatem ab omni præſentia & ubiquitate, ex eo quòd immenſitas ſit radix & origo, ex qua alia duo procedunt, quæ Deo fuit coæterna: omnipræſentia verò & ubiquitas creaturis affixa eſt; quamquam meliùs illa tria alii confundant.

Deus ergo eſt immenſus, ideſt per ſuam ſubſtantiam occupat univerſa locorum ſpatia. Concluſio illa eſt de fide, Scripturâ teſtante Jeremiæ 23. ubi ait: *Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Sic Sapientiæ 1. dicitur: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum:* & Pſalmiſta Pſalm. 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in Cœlum, &c.* 63. *Deus immenſus.* 64. *Ratio immenſitatis Dei.*

Ratio autem hujus eſt infinitas Dei, quæ omnem omninò imperfectionis terminum excludit, v.g. durationis, potentiæ, adeòque etiam præſentialitatis, cùm eſſe alibi, quandam dicit perfectionem.

Aliam rationem hujus prædictæ concluſionis docent aliqui ex D. Thoma eſſe hanc, quòd Deus ubique præſens ſit, eo quòd ubique operetur, unde immenſitatem probant ex operatione in omni loco. Verùm juxta alios parum efficaciter procedit hæc probatio. Primò quidem quòd probabile ſit, poſſe agens agere in diſtans immediatè; deinde poſſe id fieri ſaltem ſupernaturaliter; ergo ex eo quòd aliquid alibi agat, non ſequitur illud agens ibi eſſe, ubi agit & in quod agit, cùm poſſit agere in diſtans, ut ſupponitur. Adde quòd ad operandum non requiratur agentis intima præſentia ad rem in quam agit, ſed ſatis eſt ad eamdem approximatio. 65. *Ratio D. Thomæ*

Nec quidquam obeſt, quo ſe fundant alterius ſententiæ patroni, quòd Pſalmo 138. dicat Pſalmiſta: *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es .... etenim illuc manus tua deducet me*, quaſi illud *etenim* eſſet cauſalis ſignificans ex eo quòd manus Dei, ideſt operatio Dei deducat nos, Deum in Cœlo & in inferno & ubivis eſſe

præ-

præſentem. Nec etiam obſtat aliud Evangeliſtæ act. 17. *in ipſo vivimus, movemur & ſumus*, ex quo probat Evangeliſta, *quod Deus non ſit longè ab unoquoque noſtrûm*. In primis enim illud *etenim*, non eſt cauſalis, ut prætenditur, ſed idem eſt quod *etiam*; adeò ut ſenſus ſit, *Si aſcendero in Cœlum, tu illic es.... etiam illuc manus tua deducet me*, adeò ut potiùs ſit particula ampliativa aut adductiva, quam cauſalis.

66. *Deus adeſt cuique quoad cognoſcibilitatem.* Deindè loquitur Evangeliſta de præſentia ſecundùm cognoſcibilitatem, probans ex eo quòd in Deo vivimus, movemur & ſumus, Deum facili negotio ab unoquoque noſtrûm poſſe cognoſci; redarguens Athenienſes, qui aram erexerant *Ignoto Deo*, uti ex contextu patet.

67. *Deus adeſt rebus etiã ſordidiſſimis.* Ex dictis patet error aliquorum, qui docuerunt Deum ſolum eſſe in Cœlo, quaſi Deo indignum eſſet terrenis præſentem eſſe, & iiſdem contaminaretur. Nullum enim contagii periculum, dum Deus ſpiritus eſt, prout rectè oſtendit S. Auguſt. L. de natura boni c. 29. allato exemplo lucis, quæ pervadens loca ſordidiſſima, non contaminatur.

Specialiter tamen dicitur, Deum eſſe in Cœlo, eo quòd ſpecialiter ibidem ſit per manifeſtationem ſuæ gloriæ, quâ ratione dicitur Cœlum, *Thronus Dei*: eodem quoque modo ſpecialiter dicitur eſſe in juſtis, Sanctis, eo quòd ſpecialiter eos inhabitet, eos juſtificans & beans.

68. *Deus non eſt in ſpatiis imaginariis.* Quæret aliquis an Deus ratione ſuæ immenſitatis, ſit etiam in ſpatiis imaginariis? ℞. abſolutè quòd non. Ratio eſt, quòd dum Deus dicitur eſſe alibi, importetur ordo ad aliquod ſpatium, vel quidpiam quod exiſtit, numquam autem dicitur aliquid eſſe in aliquo, quod non eſt: ſpatia autem imaginaria nihil ſunt, & tantummodò aliquid ſola mente effictum. Ex quo ſequitur Deum ante mundum conditum non fuiſſe in loco, utpote qui nullus erat: ſed fuiſſe in ſe ipſo, juxta illud Dion. Carth.

Dic

*Dic ubi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet?*
*Tunc, ubi nunc: in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.*

Quamvis quoque aliquando dicatur Deus ratione ſuæ immenſitatis cœlos tranſcendere, univerſa excedere, &c. nihil illud aliud hoc importat, niſi Deum ratione ſuæ immenſitatis extendi poſſe, etiam ad millium Cœlorum ſpatia, caſu quo crearentur: & hoc modo de Deo canit Eccleſia:

*——— Quem totus non capit orbis,*
*In tua ſe clauſit viſcera factus homo.*

Quæritur ulteriùs quomodò Deus ſit ubique. Reſp. in primis certum eſt, eum non eſſe ubique circumſcriptivè, quaſi ſingulæ ejus partes correſpondeant ſingulis partibus loci, quod propriè corporum præſentiis competit: neque etiam definitivè, eò quòd illud, quod hoc modo eſt in loco, loco illo coarctetur, nec illum locum excedat; hoc autem Deo competere non poteſt, quem totus non capit orbis, & qui excelſior Cœlo eſt, & profundior inferno. Reſtat ergo, ut repletivè Deus dicatur eſſe ubique, id eſt totus ſit in toto & totus in ſingulis partibus, ſic ut nullo loco coarctetur, ſed omnia prorſus præſentiâ ſuâ compleat. 69. *Quomodo Deus ſit ubique præſens.*

Dicitur denique Deum ubique eſſe præſentem, per præſentiam, potentiam & eſſentiam, juxta illud

*Enter, præſenter, Deus eſt, & ubique potenter.*

Quatenus eſſentia Dei omnia penetrat, potentia ſua omnia operatur, & omnia præſentia ſunt & aperta oculis ejus.

---

## SECTIO IX.

### *De Immutabilitate Dei.*

NOTANDUM eſt, varios eſſe immutationis modos. Primò quoad exiſtentiam, quando aliquid de eſſe, pergit ad non eſſe, aut è contra. Secundò quoad locum, dum mutat locum. Tertiò quoad accidentia, 70. *Modi mutationis varii.*

cidentia, quæ quis acquirit aut deperdit. Quartò quoad cognitionem, dum aliqua antea incognita noſcit. Quintò quoad volitiones aut decreta, dum quis quod voluit, deinceps non vult, aut è contra.

His poſitis, fides docet, Deum eſſe omninò immutabilem. Probatur ex Script. Malachiæ 3. *Ego Deus, & non mutor.* Jacobi 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

71. *Nullo modo Deus poteſt mutari.*

Deinde probari poteſt inductione. Non enim mutari poteſt primo modo, cùm ſit ens neceſſariò exiſtens. Non ſecundo, cùm ratione ſuæ immenſitatis ſit ubique, ut mox probavimus. Non tertio, cùm enim ſit in ſua eſſentia ſimpliciſſimus, nullius accidentis eſt receptivus, & cùm ſit actus purus, ad nullam perfectionem eſt in potentia, quam ſcilicèt poſſet acquirere. Non quarto, cùm omnia cognoſcat, omnia ſcrutetur etiam corda & renes. Non denique quinto, cùm in decernendo ſit ſemper ſapientiſſimus. Quomodò tamen voluntas ejus non mutetur, dicemus de voluntate Dei in ſequentibus.

Adde quòd, ut ait alibi S. Auguſt. Omnis mutatio aut eſt in melius, aut in pejus, quarum neutra in Deo reperiri poteſt.

Objicies primò: De Fide eſt, quòd in Deo ſit generatio Filii à Patre, & proceſſio Spiritûs Sancti ab utroque: atqui generatio & proceſſio illa, important mutationem: ergo. Reſp. illa in divinis mutationem non importare, nec omni generationi eſſe intrinſecam. Cùm enim omni mutatione id fiat, quòd aliquid eſſe incipiat, aut abſolutè, aut ſaltem ſecundùm quid, quod ante non fuerat; aut etiam aliquid eſſe deſinat tali modo, quòd ante fuerat: illud in divinis locum habere non poſſe, per ſe patet, in quibus quidquid eſt aut erit, ab æterno fuit.

72. *Generatio in divinis non eſt mutatio.*

73. *Quomodò Deus iraſcitur, pœnitet, &c.*

Objicies ſecundò: Deus videtur mutari, dum iraſcitur, eum pœnitet alicujus v. g. quod fecerit hominem, quæ paſſiones ſine mutatione fieri non poſſunt.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Deum non propriè iraſci, pœnitere, &c. ſed tantùm Metaphoricè, eò quòd in Deo ſimiles actiones & opera obſervemus, qualia videmus & obſervamus in hominibus ſimilibus paſſionibus agitatis. Unde S. Auguſt. l. Enchridii c. 33. *Cùm Deus dicitur iraſci, non ejus ſignificatur perturbatio, qualis eſt in animo iraſcentis hominis, ſed ex humanis motibus tranſlato vocabulo, vindicta ejus, quæ non niſi juſta eſt, iræ nomen accepit.* Idem dici poteſt de aliis paſſionibus, quas Deo adſcribunt Scripturæ.

Objicies tertiò: Videtur Deo mutationem adſcribi Pſalm. 17. ubi dicitur: *Cum Sancto Sanctus eris, & cum perverſo perverteris.* Item quando in Deo ponitur conſervatio, annihilatio, productio, &c. Reſp. ad primum, dici Deum perverti cùm perverſo, ratione diverſorum effectuum, quos erga alios & alios operatur, v. g. circa Sanctos Clementiæ, circa malos juſtæ ſeveritatis, quamvis in ſe idem & immutabilis perſeveret. Ad aliud Reſp. mutationes illas, quæ talibus actionibus interveniunt, eſſe in creaturis & effectibus, qui conſervantur, aut annihilantur, quamvis Deus mutationis author immutabilis perſeveret. Ratio ejus eſt, quòd actio Dei ſit voluntas Dei, quâ omnia fecit & facit in tempore, quæcumque facere voluit ab æterno: quæ voluntas ſemper eadem manet, etſi mutentur effectus qui producuntur conſervantur aut annihilantur. Quod etſi, teſte S. Auguſt. l. 1. de Trinit. c. 1. difficile intellectu fatendum ſit, utrumque tamen à nobis concipi poteſt. 74.

*Omnis mutatio quæ fit per conſervationē, annihilationem, &c. eſt in creatura, non in Deo.*

Objicitur quartò: In Chriſto variæ factæ ſunt mutationes, ergo & in Deo. Item etiam facta in Deo eſt mutatio, dum Deus aſſumpſit naturam humanam. Reſp. omnes mutationes, quæ in Chriſto acciderunt, fuiſſe tantùm in natura humana aſſumpta, non autem in natura Divina, ſecundùm quam dicimus Deum eſſe immutabilem. 75.

*Facta ſt in Chriſto mutatio quoad naturā humanam, non autem quoad Divinam.*

Deinde, mutatio illa quâ aſſumpta fuit natura humana à natura Divina, facta etiam eſt in natura humana,

mana, perſonalitate verbi terminante unionem Hypoſtaticam.

76. *Voluntas Dei abſoluta eſt immutabilis.* Objicies quintò; videtur voluntatem Dei eſſe mutabilem, dum l. 4. Regum c. 20. per preces Ezechiæ mutata eſt hæc Dei ſententia, qua dixerat, *Morieris & non vives.* Item, quando mutata eſt hæc alia per Jonam indicta Ninivitis, Jonæ 3. *Adhuc* 40. *dies & Ninive ſubvertetur.* Reſp. has & ſimiles indictas à Deo per Prophetas ſententias, non fuiſſe abſolutas, & abſolutam Dei voluntatem, illa quæ minabatur, immittendi: ſed tantùm volebat oſtendere, quid accidere natum eſſet, attendendo cauſas naturales & meritorias præſentes. Alii reſpondent, tales ſententias tantummodò eſſe comminatorias, oſtendentes, quid luent, niſi pœnitendo reſipiſcant. Alia de voluntate Dei efficaci dabuntur poſtea.

77. *Ex eo quod Deus ſit liber, non ſequitur quod ſit mutabilis.* Objicies denique in Deo eſſe liberum arbitrium, ergo flecti poteſt & mutari ad utrumlibet: Deinde quòd potentiam habet ad oppoſita, mutari poteſt: Reſp. in Deo eſſe arbitrium liberrimum de fide eſt; non tamen ideò ad utrumlibet flecti poteſt aut mutari, quaſi hoc facere poſſit & non facere, neque in eo eſſentialis libertatis ratio ſita eſt, ut alibi dicemus. Quamvis tamen admittamus, Deum quoque unum præ alio elegiſſe, quod fecit ab æterno, etſi in tempore quando unum eligit, aliud eligere poſtmodum non poſſit. Ex quo patet, quòd flecti & mutari, ſit magis aliquid imperfectionis in libero arbitrio, quam perfectionis, prout idem dicitur de potentia peccandi. Unde liquet quid dicendum ad illud, quod adjungitur in objectione, ſcilicèt, poſſe mutari illud, quod ad oppoſita ſucceſſivè mutari poteſt, Deo autem ab æterno ineſt talis ad oppoſita potentia, nec ſucceſſive ad illa mutatur.

78. *Origo immutabilitatis Divinæ.* Oritur autem hæc Dei immutabilitas ex infinita Dei perfectione, quâ quidquid ſtatuit, ſapientiſſimè decernit. Generaliùs tamen pro omni immutatione hanc dat originem S. Doctor Auguſt. tract. 38. in Joan. & l.

& l. 5. de Trinit. c. 2. quòd eſſentia Dei ſit ejuſdem exiſtentia, adeoque & neceſſaria. Audi S. Doct. *Sola eſt incommutabilis ſubſtantia, vel eſſentia quæ Deus eſt, cui profectò ipſum eſſe, unde eſſentia nominata eſt, maximè ac veriſſimè competit. Quod enim mutatur, non ſervat ipſum eſſe, & quod mutari poteſt, etiamſi non mutetur, poteſt quod fuerat, non eſſe; ac per hoc illud ſolum, quod non tantùm non mutatur, verum etiam mutari omninò non poteſt, ſine ſcrupulo occurrit, quod veriſſimè dicatur eſſe.*

---

## SECTIO X.

### *De Æternitate Dei.*

Admittitur paſſim à Theologis, hæc Boëtii Definitio æternitatis: quod ſit, *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Scilicèt *interminabilis*, tam ex parte initii, quam finis: *Vitæ*, ideſt perfectionis omnis. *Tota ſimul*, ſignificat nullam in æternitate dari ſucceſſionem. *Perfecta poſſeſſio*, ſignificat omnimodam perfectionem & à nullo dependentem. 79. *Quid ſit æternitas.*

Diſtinguitur autem æternitas ab Ævo (etſi aliquibus idem ſonet) quod Ævum propriè ſignificet durationem rei permanentis, ſed dependentis, v. g. Angeli, Animæ, &c. 80. *Quid ſit Ævum, quid ſit Tempus.*

Differt verò à tempore, quòd tempus ſit duratio ſucceſſiva, & non tota ſimul: adde, quòd ſit etiam terminabilis: *In æternitate autem* ait, S. Aug. in Pſalm. 2. *nec præteritum quidem eſt, quaſi eſſe deſierit, nec futurum quaſi nondum ſit, ſed præſens tantùm.* Quia quidquid æternum eſt, ſemper eſt.

Reſpondeo & dico: Deus æternus eſt. Eſt de Fide. Dicitur enim Pſalm. 9. *Dominus in æternum permanet:* Et item deuter. 32. *Vivo ego in æternum.* Idem probatur ex capit. *firmiter* de S. Trinit. 81. *Deus eſt æternus.*

Ratio ejus ſumitur rurſum ex infinitate Dei, quæ cùm omnimodam requirat perfectionem, etiam il-

lam requirit quoad durationem, qualis eſt ſola æternitas, quæ ſola eſt infinita. Idem rurſum probat S. Auguſtinus ex immutabilitate Dei, unde ait l. 4. de Trin. c. 28. *In quantum mutabiles ſumus, in tantum ab æternitate diſtamus.*

Idem quoque eruit ex eodem ante jacto fundamento, quòd exiſtentia Dei ſit eſſentia Dei, à nullo dependens & neceſſaria. *In ipſa* ait, c. 49. de vera relig. *æternitate nulla ſpatia temporis cerno, quia ſpatia temporis præteritis & futuris rerum motibus conſtant; nihil autem præterit in æterno, & nihil futurum eſt: quia & quod præterit eſſe deſinit, & quod futurum eſt, nondum eſſe cœpit. Æternitas autem tantummodò eſt, nec fuit quaſi jam non ſit, nec erit quaſi adhuc non ſit. Quare ſola ipſa veriſſimè dicere potuit humanæ menti:* Ego sum, qui sum: *Et de illa veriſſimè dici poterat:* Qui est, misit me.

Hinc etiam S. Joannes ſeptem Eccleſiis Aſianis gratiam precatur, *ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Apoc. 1.

82\. *Deus etſi æternus rectè tamen illi tribuitur præteritū & futurū.* Quæres, quomodò Deo competere poſſit *præteritum* & *futurum*, cum ſit æternus, in æternitate autem nihil aliud ſit, niſi *eſt*? Reſp. hoc rectè de Deo dici, quòd ſit ille qui eſt, fuit & venturus eſt, non quaſi per varias temporum differentias mutetur, ſed quòd æternitas omnes temporis differentias in ſe concludat, etſi verum ſit, præteriti & futuri temporis verba, minùs propriè Deo attribui, ſed propriiſſimè Verbum *eſt*, quod æternitati proprium eſt, cùm illa ſimul tota ſit & ſemper præſens, nec mutationem admittat nec ſucceſſionem. Adde, quod quando Deus dicitur fuiſſe aut futurus eſſe, tantùm importetur ordo ad tempus aliquod, quod reſpectu alterius temporis dicitur futurum aut præteritum, non autem ad æternitatem, quæ tota eſt ſimul & ſemper præſens. Hinc S. Auguſt. vel quiſquis eſt auctor l. de vera innocent. c. 367. *Quamvis,* ait, *natura incommutabilis non accipiat fuit & erit, ſed tantùm* est.... *tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus verſatur noſtra mortalitas,*

*talitas, non mendaciter dicitur & fuit, & eſt, & erit. Fuit in præteritis ſæculis, eſt in præſentibus, erit in futuris.*

Quæres an ergo Deus hoc tempore non fuerit majori tempore, quam fuit ante bis mille annos? Reſp. Quod ſic: nihil tamen inde confici poteſt contrarium dictis, quaſi in Deo aut æternitate fieret ſucceſſio, quæ ſecundùm ſe nunquam eſt major aut diuturnior, ſed ipſa æternitas ſemper manet ſecundùm ſe tota & indiviſibilis, etſi in ea ſucceſſionem aliquam homines apprehendant. Qua in re idem evenit, quod navigantibus, quibus terra moveri videtur, cum perſtet immobilis, etſi navigantes moveantur. Ita etiam dum vehimur tempore, videtur æternitas moveri ſucceſſione, & de minori fieri major: cum tamen in ſe tota maneat, & ſine ulla mutatione, ſicut tota mutatio ſit in nobis & in tempore. 83. *Æternitas eſt tota ſimul.*

Quæres an Deus ipſe rectè dicatur *Æternitas*? Reſp. ſi intelligatur hoc de æternitate, ut dicit durationem intrinſecam, ſic rectè Deus dicitur æternitas: cùm eo caſu nihil aliud ſit illa æternitas, niſi modus aliquis quo Deus exiſtit & exiſtet in æternum, adeò ut ſit ipſa Dei exiſtentia, à qua modus ille non differt. Aliud eſſet, ſi intelligeretur de externa duratione, quæ propriè eſt menſura aliqua exiſtentiæ rerum, quæ de Deo prædicari non poteſt, nec de ejus exiſtentia; etſi rectè æternitas ſecundùm externam durationem attribui poſſit Deo ut Authori. 84. *Quomodò Deus dici poſſit eſſe æternitas.*

Quæres ultimò, an ultra æternitatem detur duratio, juxta illud *Dominus regnabit in æternum & ultra*? Reſp. negativè. dictâ autem phraſi tantùm ſignificatur, Deum regnaturum tempore, quod concipimus longiſſimo v.g. durationis mundi, ultra quod regnabit Dominus. 85. *Quid regnare in æternum & ultra.*

## SECTIO XI.

### *De Viſione Dei.*

86. *Quot modis Deus videri poteſt.* VARII ſunt Modi Deum videndi. 1. Per fidem & in ænigmate. 2. Per effectus & per creaturas. 3. In ſpecie aut figurâ corporeâ: qualiter videri poteſt, ſive per ſenſum, ſive per imaginationem: deniquè videri poteſt, prout in ſe eſt.

87. *Deus eſt naturaliter inviſibilis.* His poſitis, dico 1. certum eſſe Deum videri non poſſe naturaliter oculo corporeo. Patet ex iis, quæ probant Deum eſſe ſpiritum, nihil autem oculo corporeo cerni poteſt, niſi ſit corporeum, aut tale appareat. Patet item ex iis, quæ dicunt Deum eſſe abſolutè inviſibilem. Hinc etiam Concil. Trid. ſeſ. 25. decret. de SS. Imag. docet & monet, ut *moneatur populus, non propterea divinitatem figurâri, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſſit.*

Dico 2. etiam Deus eſt naturaliter inviſibilis intellectui creato. Eſt de Fide definitum in Conc. Vien. Clem. *Ad noſt.* de Hæreticis, contra Beguardos & Beguinas contrarium ſuſtinentes: ubi dicitur, hanc hæreſim eſſe majorem, quam ſit hæreſis Pelagii, docentis hominem ſine Dei gratia poſſe juſtificari. Probant dictam ſententiam, Scripturæ quæ dicunt Deum eſſe inviſibilem, inhabitare lucem inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt, &c. id genus alia, quæ aliàs non ſubſiſterent.

Deindè Fides, Spes & Charitas, vires naturæ noſtræ exſuperant, ergo multo magis viſio beatifica, ad quàm illæ virtutes diſponunt. Undè idem eâdem ratione dici poteſt de intellectu angelico.

Objiciunt ad primam concluſionem; ergo falſum eſt Deum locutum eſſe facie ad faciem Moyſi, item os ad os, ut dicitur num. 12. Item quomodo verè dictur per Prophetam Job. c. 19. *Et in carne mea videbo Deum*

*Deum Salvatorem meum?* Item quomodo rurſum verum dicit c. 42. ubi ait: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te?* Reſp. nihil aliud Priori loco innui, niſi Deum perquam familiariter cum Moyſe communicaſſe & eſſe converſatum. Loqui enim os ad os, facie ad faciem, important amicam converſationem, unde figurata eſt ſcripturæ phraſis, ut aliàs ſæpiſſimè. 88.

*Quid ſit Deo, loqui ore ad os, facie ad faciem.*

Job autem loquitur priori loco de oculis cordis, poſt reſurrectionem: vel etiam ut alii, ſperabat oculis corporis videre Dei incarnationem. Idem dici poteſt ad ſubſequens, quod objicitur ex eodem: quamvis propriè hoc importet, quaſi dicat: plurima de te. Deus audivi, ſed experientiâ, tamquam oculo, plura video, quam audivi.

Objicies ad concluſionem ſecundam, quomodo ergo rectè dicitur beatitudo intellectui humano eſſe naturalis? Reſp. dicitur beatitudo nobis naturalis, quatenus nobis à natura indita eſt naturalis ad eamdem inclinatio & capacitas, non quod ad illam pertingere quis poſſit viribus naturæ. 89.

*Qualiter beatitudo ſit homini naturalis.*

Dico 3. poteſt Deus videri ab intellectu creato ſupernaturali auxilio inſtructo. Probatur ex variis ſcripturæ locis. 1. Matt. 18. *Quod angeli eorum* (parvulorum) *ſemper vident faciem patris, qui in cœlo eſt.* Deinde 1. Cor. 18. *videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem:* denique, *videbimus eum ſicuti eſt.*

Quæres, quomodo ergo Deus dicitur inviſibilis, nec à nobis videri poſſe? Reſp. dicitur Deus inviſibilis naturaliter; vel etiam non poſſe ita à nobis videri, ut comprehendatur. 90.

*Deus etſi videri poſſit Dei gratiâ, rectè tamen dicitur abſolutè inviſibilis.*

Porrò ad videndum Deum ſtatuitur aliquod lumen ut neceſſarium, quod oculum mentis de ſe viſioni Dei improportionatum, elevet, & viſioni illi attemperet, quod Lumen vocant *Lumen gloriæ*, etſi abſolutè tale lumen non ſit neceſſarium; cum per ſpecialem Dei concurſum, abſque dono hujus luminis poſſit intellectus Deum videre, uti poteſt elicere actus

ſupernaturales per concurſum ſpecialem, ſine aliquo dono ſuperaddito.

91. *Viſio beatorum eſt inæqualis, etſi ſit eadem ex parte objecti.* Quæres, an beati omnes æqualiter Deum videant? Reſp. quod non: ſed unus videt Deum alio perfectiùs, idque pro diverſitate meritorum. Patet apertè ex Concil. flor. & S. Hieronymo adversùs Jovinianum l. 2. Idem negavit Luther ſtatuens omnes æqualis beatitudinis cum Deipara, &c. Probatur tamen reſponſio, ex eo quod apertè ſcriptura dicat Joan. 14. *In domo patris mei, manſiones multæ ſunt:* Item 1. Cor. 15. *Quod ſicuti ſtella differt à ſtella in claritate, ita & reſurrectio mortuorum.*

Fundamentum Lutheri fuit, quod quilibet eſſet juſtus, juſtitiâ Chriſti, quæ omnibus æqualiter applicetur. De quo alibi agendum eſt.

Fundamentum autem Joviniani erat, quod Pater familias Mathæi 20. operantibus etiam inæqualiter in vinea, eamdem tamen jubeat reddi mercedem, ſcilicèt denarium diurnum. Reſp. etſi variè parabolam hanc exponant varii, rectiùs tamen dicitur, hîc ſignificari, Deum variis mundi ætatibus homines miſiſſe in vineam ſuam, ideſt Eccleſiam, & omnibus ſacto die, ideſt mnndi fine, dare denarium diurnum, ideſt vitam æternam, quæ omnium omninò eadem eſt retributio, eadem inquam objectivè, quatenus eſt ejuſdem objecti, ſcilicèt Dei viſio.

Quod autem additur de murmuratione diutius laborantium adverſus alios ſubſequentes, ſignificat Sanctorum admirationem ſuper copioſam gratiæ abundantiam, etiam ultimò vocatis datam, adeo ut aliquando noviſſimi fiant primi, & primi noviſſimi.

SECTIO

## SECTIO XII.

*Quænam Beati in Deo videant.*

DIco 1. beati non vident in Deo quæcumque in Deo latent. Ratio eſt quòd Deus ſit *incomprehenſibilis cogitatu*, ut dicitur Jeremiæ 32. fundatur autem hæc incomprehenſibilitas, quod Deus infinitæ perfectionis, à creatura finita non poſſit plenè comprehendi. 92. *Deus eſt incomprehenſibilis.*

Aliàs tamen Deus à creatura comprehendi poteſt, ideſt aſſequi (ut ſic loquar) & obtineri, uti dicitur, 1. cor. 9. *Sic currite ut comprehendatis*, quâ ratione comprehenſibilis dici poteſt.

Dico 2. Beati in Deo vident omnes perfectiones Deo eſſentiales, inſuper omnia attributa intrinſeca, quæ in Deo ſunt. *Non enim propter hoc* ait D.Th. hoc loco, *Deus incomprehenſibilis dicitur, quaſi aliquid ejus ſit, quod non videtur, ſed quia non ita perfectè videtur, ſicuti viſibilis eſt.* Probatur quoquè ex eo, quod eapropter beati dicuntur videre Deum ſicuti eſt, videre Deum clarè & diſtinctè; quæ omnia dici nequeunt, niſi videantur illa, quæ ad quidditatem ejus & perfectionem eſſentialem pertinent. Vident ergo beati Deum unum in eſſentia, trinum in perſonis, æternum eſſe, ſapientiſſimum, optimum, &c. 93. *Qua ratione Deus ſit incomprehenſibilis.*

Dico 3. beati vident in Deo omnia divina Myſteria, quæ hic per Fidem in vita crediderunt: Ratio eſt, quòd viſio correſpondeat Fidei, ſitque ejus præmium; deindè videbimus ibi facie ad faciem, quod hic vidimus per ſpeculum in ænigmate. 94. *Quænam beati in Deo videant.*

Dico 4. vident Beati in Deo totam hanc mundi machinam, ejuſque compoſitionem, & ordinem: omnia rerum genera & ſpecies, virtutem, & generaliter omnia, quæ pertinent ad perfectionem univerſi. Ratio eſt, quòd beatitudo, omnem omninò expleat

& ſatiet appetitum: rationales autem creaturæ, prædicta omnia ſcire appetunt & deſiderant. Eadem de cauſa, vident beati in Deo, omnia quæ ad ſtatum ſuum pertinent, cum horum ſcientiam maximè deſiderent.

Dico 5. non vident beati in Deo, imò nec videre poſſunt omnes omnino effectus poſſibiles, eo quod cauſam eorumdem ſcilicèt Deum plenè videre & cognoſcere non poſſint, vel ejus virtutem, quæ eſt infinita.

Volunt autem aliqui beatos videre creaturas in Deo cauſaliter, ideſt tamquam in cauſa. Alii volunt in Deo eoſdem videre formaliter, ut medio cognoſcendi, idque eâdem viſione, quæ tendit primò in Deum immediatè, & mediatè in creaturas: poteſt enim idem actus tendere in diverſa objecta, ſi ſibi ſint ſubordinata.

---

## SECTIO XIII.

*An aliquis in hac vita poſſit videre Deum, ſive divinam eſſentiam?*

INPRIMIS certum eſt, viſionem Dei non repugnare ſtatui viatoris, uti patet in Chriſto. Imò idem aliqui, extenderunt ad S. Auguſtinum, Deiparam, S. Benedictum & alios.

Affirmativam partem ſuſtinent non pauci inter quos D. Thom. 1. p. q. 12. a. 11. ad 2. & in 2. 2. q. 175. a. 3. Adnumerant alii S. Auguſtinum: quem tamen non ita aſſeveranter aut certò aliquid in hac parte ſtatuiſſe, patet ex l. 2. retract. c. 13. & 14. ubi de hac de materia agens ita ait: *In quo opere plura quæſita, quam inventa ſunt. & eorum quæ inventa ſunt, pauciora firmata, cætera verò ita poſita, velut adhuc requirenda eſſent.* Quin imò in aliis libris, quos ſenex edidit, qualis eſt de Trinit. 2. c. 16. contrarium affirmat, ubi apertè docet,

doçet, neminem faciem Dei videre poſſe, & vivere.

Undè negativa pars videtur verior, dum generaliter dicitur exodi 33. *Non videbit me homo & vivet.* & Joan. 1. *Deum nemo vidit umquam:* in hac vita. Et 1. Timoth. 6, *Quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt.* 95. *Homo non poteſt videre Deum in hac vita.*

Rurſum Moyſi volenti Deum videre dixit Deus exod. 33. *Non poteris videre faciem meam.* Et poſtea. *Poſteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris.* Undè & S. Leo ſerm. de transfigur. ait: *Illam ipſius Deitatis ineffabilem & inacceſſibilem viſionem, quæ in æternam vitam mundis corde ſervatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant & videre.*

Adde, quod beatitudo ſemel habita deperdi non poſſit, neque Deo eam ſubtrahente, cùm hoc eſſet pœna, quam non irrogat, niſi ob culpam, quæ in videntes Deum cadere non poteſt: neque etiam hoc homo velle poſſit, cum viſio hominem omni bono repleat, nec in eâ homo invenire poſſit, aliquam rationem mali.

Fatendum tamen, poſſe Deum per ſpeciale privilegium videri, cum nihil prorſus obſtet; hoc tamen alicui conceſſum eſſe non conſtat; cum illud conſtare non poſſit, niſi ex revelatione, quæ vel ex Scripturâ, vel traditione, vel ſanctis Patribus haberi poſſet. illa autem omnia contrarium potius perſuadent.

Maximum tamen & urgentiſſimum quod obſtat eſt, quod num. 12. dicatur, *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar illi. At non talis ſervus meus Moyſes.... ore enim ad os loquor ei & clarè & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Et ante exodi 33. promiſerat eidem Deus dicens: *Oſtendam tibi omne bonum*, ideſt me ipſum. 96. *Neque Moyſes, neque Paulus in hac vita Deū vidit.*

Idem prætendit adverſa pars de Paulo, qui 2. Cor. 12. fatetur ſe raptum eſſe uſque in tertium cœlum, & audiviſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Reſpondeò tamen ad prius. Deum promiſiſſe quidem

dem ſe Moyſi oſtenſurum, ſed poſt hanc vitam, aut etiam hîc, per contemplationem, & quantùm hîc Moyſes valeret. Dum verò dicitur Moyſes cum Deo locutus eſſe facie ad faciem, aut ore ad os, tantummodò ſignificatur, Moyſem familiariter cum Deo converſatum, ut ante diximus. Vel etiam locutum eſſe cum angelo in corpore aſſumpto, & in perſonà Dei ſeſe ita exhibenti. Quod confirmat, quod poſtmodum dixerit Moyſes Deo: *Oſtende mihi faciem tuam.* Denique juxta varios, poſtulavit Moyſes hîc videre claritatem Angeli caligine obvoluti, ſecum colloquentis.

Nihil autem urget prædicta antitheſis, quaſi Deus aliis Prophetis apparuerit in ſpecie & figuris, Moyſi autem in ſua eſſentia, dum eidem apparuiſſe ſe dicit, & locutum ore ad os, & non per ænigmata & figuras: illâ enim loquendi normâ, tantum innuitur Deum familiariùs ſolitum Moyſi apparere, quam aliis Prophetis, ut puta apparitione Corporali, voce, &c.

Quod autem ad Pauli raptum attinet: Reſp. juxta plurimos S. Paulum raptum eſſe tantummodò quoad animam, idque verè juxta alios, juxta alios tantùm apparenter & in extaſi, & ibidem audiſſe, ideſt cognoviſſe aliqua Divina Myſteria, non autem Divinam eſſentiam, quæ cognovit per ſpecialem revelationem, non autem per viſionem, quod claret ex illo 2. Cor. 12. *Ne magnitudo revelationum extollat me.* Adde, quod raptus ille contigerit antequam Paulus ſcriberet Epiſtolam ad Timoth. in qua tamen apertè de Deo ait, *quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.*

CAPUT

# CAPUT SECUNDUM

## SECTIO PRIMA.

### *De Scientia Dei.*

DE Fide eſt in Deo eſſe ſcientiam. Job enim c. 12. dicitur *Apud ipſum eſt Sapientia.* Et Eſther. 14. *Domine, qui habes omnium ſcientiam.* Ratio illius eſt, quod enti perfectiſſimo, competat optimus & perfectiſſimus agendi modus, qui eſt agere per voluntatem & intellectum, in quo eſt ſcientia. 97. *Scientia Dei eſt infinita, & perfectiſſima.*

Scientia hæc eſt infinita, juxtà illud Pſalm. 146. *Magnus Dominus, & Sapientiæ ejus non eſt numerus.* Hinc quidquid cognoſcitur, ſive ab intellectu angelico, ſive humano, longè perfectiùs cognoſcitur ab intellectu divino.

Omnis inſuper aliarum cognitionum imperfectio, à ſcientia Dei ſeparari debet; Undè nulla in Deo admitti poteſt opinio, nulla obſcura cognitio, nulla intellectûs diviſio vel compoſitio, nûlla deliberatio: ſed omnis Dei notitia eſt ſimplex, clara, infallibilis, & unico mentis intuitu, ſine ullo labore luſtrat & cognoſcit univerſa.

Segreganda itidem in Dei intellectu omnia comprincipia cognitionis, omnes ſpecies impreſſæ, cum illa in Deo ſint inania et merè ſuperflua. 98. *In Deo nõ eſt oblivio aut memoria.*

Rejicienda itidem eſt, in Deo memoria, uti & oblivio. Memoriâ enim repetimus ea, quorum aliquando habuimus notitiam, & quæ aliquo tempore ſopita fuit: hoc autem Deo non competit, nec competere poteſt, cum omnium omninò rerum cognitio ſit Deo ſemper præſentiſſima. Eadem eſt ratio de oblivione. Undè S. Proſper in ſententiis 108. *neque*

*obli-*

*oblivio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur, neque recordatio quia nihil obliviſcitur.*

Impropriè tamen dicitur aliquando Deus recordari, memoriâ memor eſſe &c. Ratione ſcilicèt aliquorum effectuum, quos operatur ratione delicti, vel virtutis præcedentis. Sic etiam impropriè dicitur memoria ſecunda patris, eſſe principium generationis Filii.

Scientia hæc non eſt in Deo accidentalis ſive aliquod accidens, ſed eſt ipſa Dei eſſentia, cum nullam diſtinctionem, ſive à ſe, ſive ab attributis inter ſe admittat ſimpliciſſima Dei eſſentia & natura.

## SECTIO II.

### *Qualis ſit Scientia Dei.*

99. *Scientia Dei non eſt diſcurſiva.* Quæritur primò, an ſcientia Dei ſit diſcurſiva. Ad cujus reſponſionem notandum eſt, duplicem eſſe diſcurſun: unum ſucceſſione, quando primò cognoſcitur unum, deindè cognoſcitur aliud. Alium verò ſecundùm cauſalitatem, quando notitia unius infert & cauſat notitiam alterius.

Neutro autem modo ſcientia Dei eſt diſcurſiva; non priori modo, cum omnia ſimul cognoſcat. Non poſteriori, cum omnia cognoſcat in ſe ipſo, idque ſimpliciſſimo intuitu.

Dicitur tamen ſcientia Dei *ſcientia propter quid*, cùm Deus videat ex qua cauſa ſit omnis effectus. Etſi notandum illud *propter* non importare cauſalitatem cognitionum, ſed tantùm objectorum cognitionis. Hinc non poteſt dici ſcientia Dei, *ſcientia quia eſt*, quia tunc importatur quod cognitio effectûs, cauſet & inferat cognitionem cauſæ, quod in Deo locum habere non poteſt.

100. *Quomodò ſcientia* Quæritur 2. an ſcientia Dei ſit cauſa omnium rerum? Reſp. in primis certum eſt, quòd ſcientia ut talis

lis, non ſit cauſa rei, cum de ſe ſit mera rei cognitio, & actus ſcientiæ, non ſit rem quam cognoſcit, producere, ſed ſolum cognoſcere, adeò ut eam productam ſupponat: hinc etiam multa ſcimus, quæ producere non poſſumus. Patet hoc etiam ex eo quod Deus cognoſcat mala, cognoſcat merè poſſibilia, quæ tamen non producit.

*Dei ſit rerū cauſa.*

Duplici tamen de cauſa, poterit ſcientia Dei dici rerum cauſa. 1. Quatenùs ejus ſcientia eadem eſt cum ejus eſſentia & potentia, quàm conſtat eſſe rerum cauſam. 2. Per ſe, & ut conſideratur tamquàm practica ſeu operativa, ſive quod idem eſt, quatenùs cum divina voluntate intelligitur eſſe conjuncta, quâ omnia operatus eſt, quæcumque voluit: hinc de ea dicitur: Pſalm. 103. *Omnia in ſapientia feciſti.*

Dices, potiori jure videntur res ipſæ eſſe cauſæ ſcientiæ divinæ, cum ideo Deus ſciat aliquid futurum eſſe, quia futurum eſt, ipſum autem non eſt futurum, quia Deus ſcit, ut loquitur Hieron. & Orig. Reſp. cùm Dei ſcientia ſit eadem quod Dei eſſentia, ſequitur nullam illius poſſe dari cauſam, neque illud quod in tempore eſt, poſſe eſſe cauſam ejus, quod æternum eſt. Hinc ſi Hieronymus aut Origenes ita locutus ſit, ut vult objectio, intelligitur illud de cauſa ſine qua non, vel de cauſa conſequentiæ: ſequitur enim, ſi aliquid futurum ſit, quod Deus illud prævideri.

101.

*Quomodò res poſſint dici eſſe cauſæ ſcientiæ Dei.*

Inſtabis: ergo etiam eodem modo præſcientia erit cauſa rerum, ideſt, ex eo quod Deus aliquid præ noſcat, ſequitur tantùm quod futurùm ſit, non quod ideo ſcientia Dei ſit cauſa rei exiſtentis aut futuræ, ſecundum ſe. Reſp hac de cauſa admitti poſſet rem futuram juxta noſtrum concipiendi modum eſſe cauſam ſcientiæ divinæ: neque ullam hîc importari imperfectionem, cum illa ſit tantùm cauſalitas per rationem efficta. Sic etiam ex eo quod peccata dicantur cauſa Vindictæ divinæ nulla importatur in Deo imperfectio, uti etiam dum dicitur: ſi nihil eſſet futurum

turum, non eſſet in Deo præſcientia. Tota ergo imperfectio, quæ hic conſiderari poſſet, ſumitur ex aliquo ficto per rationem fundamento.

## SECTIO III.

### *De Objecto Scientiæ Divinæ.*

Dico 1. Deus intelligit ſe ipſum, *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* 1. Cor. 2. cùm verò intelligens, & id quod intelligitur ſint omnino idem, ſequitur quod Deus intelligat ſe ipſum per ſe ipſum.

102. *Deus ſe ipſum cõprehendit.* Dico. 2. Deus ſe ipſum comprehendit, cum ſeſe cognoſcat, in quantum cognoſcibilis eſt. In quo notandum illud, quod dicit hic S. Thom. in Corpore *quod*, ſcilicèt, *tunc dicatur aliquid comprehendi, quando pervenitur ad finem cognitionis ipſius.* Uti etiam quod alibi dicit S. Auguſt. *quod* ſcilicèt *quidquid ſcientiâ comprehenditur, ſcientis comprehenſione finitur.* Ex illis enim non ſequitur, ex eo quod Deus ſeſe comprehendat, perveniat ad aliquem finem ſui in cognoſcendo. Non enim hic debet aut poteſt intelligi, comprehenſione perveniri ad aliquem finem poſitivum, ſed negativum, ut puta, dum quis ita venit ad finem cognitionis, ut eum nihil lateat: Nihil autem in Deo eſt, quod Deum latet.

103. *Noſcit omnes creaturas.* Dico 3. cognoſcit Deus omnia creata. *Non enim eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, & omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Ad Hæb. 4. Ratio eſt, quòd Deus ſe perfectiſſimè cognoſcat, adeoque omnia cognoſcit, ad quæ ſe virtus ejus extendit, cum cauſa non poſſit perfectè cognoſci, niſi noſcantur effectus, ad quos ſe cauſa extendit. Deindè, cum omnia creata dirigat ad ſuum finem, oportet eorum operationes cognoſcere, & conſequenter ipſa creata. Adde, quod cùm omnia creata ſint eminenter in Deo, in ſe ipſo eadem cognoſcat. Di-

Dices 1. Deus ab æterno illa cognoſcit, aut in tempore. Non poteſt autem ea cognoſcere in tempore, cùm non poſſit aliquid cognoſcere, quod antea non novit. Nec etiam ab æterno illa cognoviſſe dici poteſt, cùm aliàs omnia creata quæ Deus noſcit, ab æterno fuiſſe deberent, cum ſcientia Dei ſit rerum cauſa. Reſp. ſcientiam Dei non eſſe ſecundùm ſe rerum cauſam. Deinde ex D. Th. notandum quod quando aliquis effectus procedit à cauſa, procedat ab ea juxta determinationem talis cauſæ. Scientia Dei autem, à qua procedunt creaturæ, determinavit ut procederent ab ea in tempore, etſi illa determinatio, uti & ſcientia fuerint ab æterno.

Dico 4. Deus cognoſcit peccata. Etſi enim peccatum propriè conſiſtat in privatione debitæ rectitudinis, adeoque nihil ſit, uti omnis negatio, tamen eadem ſuo modo Deus cognoſcit, juxta illud Pſalm. 68. *Delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Quando autem dicitur Habac. 1. *Mundi ſunt oculi tui ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*, non ſignificatur Deum peccata non cognoſcere, ſed ſolùm non approbare, & de ſcientia approbationis, uti intelligitur illud Math. 25. *Neſcio vos.* 104. *Cognoſcit peccata.*

Dico 5. Deus cognoſcit res nondùm exiſtentes juxta illud ad Rom. 4. *Qui vocat ea, quæ non ſunt, tamquàm ea quæ ſunt.* Et Jeremiæ 1. *Priuſquam te formarem ex utero, novi te*: Ratio eſt quòd cognoſcendo perfectè ſeipſum, cognoſcat propriam virtutem, & omnia ad quæ virtus illa poteſt extendi. 105. *Noſcit res nondum exiſtentes.*

Dico 6. omnia illa cognoſcit Deus in ſe ipſo, ſeu in ſuâ eſſentiâ, quatenus divina eſſentia eſt Principale intellectum, in quo intelliguntur cætera. Undè Dionyſ. c. 7. de divinis nom. *ſe ipſam*, ait *noſcens Divina Sapientia, novit omnia.* Deindè etiam in ſe omnia prædicta cognoſcit tamquàm in cauſa, in qua eminenter continetur omnis effectus. 106. *Noſcit omnia in ſe ipſo.*

Dico 7. Deus cognoſcit prædicta omnia propriâ cognitione, ideſt ſecundùm particularia, & cuique rei 107. *Noſcit omnes perfectiſſimè.*

rei propria, tum eſſentialia, tum accidentalia, per quæ quæque res ab alia diſtinguitur. Ratio eſt, quòd Deus eâ clarè & diſtinctè cognoſcat: quòd omnes res ad finem ſuum dirigat, dando functiones proprias: quòd non poſſet dici, niſi omnium rerum qualitates & proprietates clarè cognoſceret.

Dico 8. Deus cognoſcit omnia etiam in particulari, cum omnia ſingularia ſint etiam in Deo ut cauſa: hinc dicitur Pſalm. 32. *Vidit omnes Filios hominum*: & Mat. 10. *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.*

108. *Noſcit infinita.* Dico ultimò Deus cognoſcit infinita; cum cognoſcat omnes cogitationes hominum & Angelorum, quæ in infinitum multiplicabuntur; illas autem ſcit ſcientiâ viſionis, ſi aliquando extiterint aut exiſtent, quæ omnes Deo ſunt præſentes. Deindè, cum etiam ſint infinita in potentiâ Dei, etiam intelligit infinita ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, ideſt, quâ noſcit ea quæ numquam exiſtent, ut ſunt merè poſſibilia; hinc dicitur, quòd Dei *Sapientiæ non ſit numerus.* Dicta autem intellige de infinitis potentiâ, cum infinita actu Deus non cognoſcat ſcientiâ viſionis, ut apertè docet S. Th. in 3. diſt. 14. a. 2. q. 2. poteſt enim Deus plura ſemper facere, quam faciet, adeò ut multitudo rerum in aliqua temporis differentia exiſtentium, non ſit tanta, quin poſſit dari major; infinito autem actu, non poteſt eſſe aliquid in eodem ordine majus, ut docent Philoſophi.

---

## SECTIO IV.

*An, & quomodò Deus cognoſcat futura contingentia.*

109. *In quo ſita ſit contingentia* CONTINGENTIA ſita eſt in indifferentia ad eſſe & non eſſe, & opponitur *neceſſario*, quod ita eſt, ut non poſſit non eſſe. Sumitur ſæpè contingentia, ex parte cauſæ liberæ, quæ ita ponit rem aliquam

quam, ut poſſit eam non ponere: etſi hoc in Deo locum non habeat, qui eſt ens neceſſarium, reſpectu cujus res dicitur contingens, quod ita ſit, ut potuerit non eſſe: adeò ut, propter divinam libertatem (etſi ipſe Deus ſit ens neceſſarium) res dicitur contingens. Sic omnia creata reſpectu Dei ſunt contingentia, quia ita omnia fecit, ut potuerint non eſſe facta.

Quæſtio præcipua hîc eſt, an Deus cognoſcat res illas contingentes, quæ à cauſa creata libera procedunt, quæ planè contingenter fiunt: ad quod reſponderunt aliqui, Deum illa non cognoſcere. Ratio illorum erat, quod illis admodùm difficile foret, cum illorum præſcientia conciliare libertatem; undè Stoici teſte S. Aug. l. 5. civ. c. 8. ea de cauſa negârunt libertatem in agendo & rerum contingentiam. Hos ſecutus eſt Wiclef art. 27. in Conc. conſtant. damnatus Seſſ. 6. Cicero quoque negavit talem præſcientiam, atque ita ut ait S. Aug. Loco cit. c. 9. *Dum vult homines facere liberos, fecit Sacrilegos*, ſuffurando Dei perfectionem.

Contrarium itaque de Fide eſt, & ita manifeſtum, 110.
ut S. Aug. ſupra dicat: *Confiteri Deum, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt.* De Fide autem eſſe patet ex Pſalm. 138. ubi dicitur: *Omnes vias meas prævidiſti.* Probatur idem ex diverſis prædictionibus actuum liberorum & contingentium, quas jam in multis impletas eſſe teſtantur S. Paginæ. Adeò ut hac de cauſa rectè dicat Tertul. l. 2. contra Marcionem: *Deum quot fecit Prophetas, tot habere teſtes ſuæ præſcientiæ.* Quomodò enim Deus illa prædicere potuit ſine eorumdem ſcientia? aliàs certè imprudenter & fallibiter ea prædiceret. Deinde Deus cognoſcit futura contingentia, dum actu ſunt, ergo & antequam ſint, cùm ſcientia Dei ſit æterna, nec aliquem acceſſum patitur aut variationem. Adde quòd cùm Deus in ſciendo ſit infinitæ perfectionis, adeoque cognoſcit omne cognoſcibile, etiam illa debeat cognoſ-

*Deus noſcit futura cõtingentia.*

cere. Denique non videtur quomodò ſine eorumdem cognitione Deus poſſet hoc univerſum rectè & ſapientiſſimè diſponere & gubernare.

111. *Quâ ratione omnia ſint Deo præſentia.* Dices 1. nihil eſt Deo futurum, ſed omnia illi ſunt præſentia. Reſp. illa quæ futura ſunt, non dici Deo præſentia, quaſi reipſa exiſterent, quando à Deo noſcuntur, aliàs omnia Deo forent coëva & coæterna; contradictoria ſimul exiſterent, & poſſent ſimul eſſe vera &c. Sed ſolùm dicitur, futura illa Deo eſſe præſentia, quia in quacumque temporis differentia aliquid ponatur, patet oculis Scientiæ Dei: ſicut aliquid homini præſens dicitur, quod in quacumque parte loci poſitum, homini patet.

112. *Omnia omninò, etiam futura contingentia ſunt determinata veritatu aut falſitatis reſpectu Dei.* Dices 2. futurorum contingentium non eſt determinata veritas, ubi tamen ſcientia non eſt niſi veri. Reſp. omnium omninò, etiam futurorum contingentium eſſe apud Deum, qui in ſua æternitate omnia videt præſentia, determinatam veritatem., licet apud nos, futurorum ignaros, veritas eorumdem determinata non ſit. Hinc Eſtius hìc, graviter cenſurat opinionem quæ docet, enuntiationes de futuro contingentes, nec eſſe determinatè veras, nec determinatè falſas; tum quia Dialecticæ repugnat, tum quia præſcientiam Dei evertit (quod enim nec determinatè verum eſt, nec falſum, determinatè ſciri non poteſt) Dialecticæ autem definitio enuntiationis eſt, *Oratio vera vel falſa*, quâ proinde comprohenduntur enuntiationes de futuro contingentes.

Dices 3. ergo ſcientia Dei falli poteſt: cùm enim futura contingentia poſſint eſſe & non eſſe, nec illorum natura per præſcientiam Dei mutetur, ſequitur & ſcientiam illorum poſſe falli. Reſp. diſtinguendo illud, quo dicitur contingentia futura poſſe eſſe & non eſſe, & eſſe prævíſa, & dico habere duplicem ſenſum, unum compoſitum, alium diviſum. Compoſitum quidem, ut ſenſus ſit ſimul aliquid eſſe prævíſum & tamen non evenire, quo caſu & ſenſu falſum eſt, poſſe prævíſa contingentia non evenire: diviſum au-

autem, ut ſenſus ſit, fieri poteſt, ut id quod prævíſum eſt, non eveniat, quo ſenſu verum eſt, quod contingentia prævíſa poſſint non eſſe: non tamen ex eo ſequitur, quod præſcientia Dei poſſit falli, cùm illud quod prævíſum dicitur, ſi non eveniat, non ſit prævíſum. Vel etiam dici poteſt, quod omnis res prævíſa, ut prævíſa à Deo neceſſariò eveniat, cum illa duo ſimul ſtare non poſſint, aliquid à Deo eſſe prævíſum & non evenire: quamvis eo ipſo quo contingentia ſunt, de ſe ſint talia, ut potuiſſent non evenire. 113. *Quomodo illud quod prævíſum eſt, poſſit non evenire.*

Ex quo ulteriùs colligi aliqualiter poteſt, præſcientiam divinam non adferre rebus prævíſis neceſſitatem, ſed res in ſe manere, uti ſunt, ſi ſint neceſſariæ, manere neceſſarias, ſi ſint contingentes, manere contingentes, &c. niſi ad ſummum neceſſitas quæ adferri dicitur, eſſet ex Hypotheſi aut ſuppoſitâ prævíſione; illâ enim poſitâ, ſequitur neceſſariò, quòd res prævíſa eveniet, neceſſariò inquam ſequitur, non autem ſequitur, quòd neceſſariò exiſtet. 114. *Quomodò præſcientia non obſit libertati.*

Pro cujus pleniori intelligentia notandum eſt, ſcientiam Dei ejuſque præſcientiam non tantùm eſſe de re aliquâ, ſed etiam de modo & exiſtentia talis rei: adeò ut quidlibet, uti prævíſum eſt, ita eveniet: ſi prævíſum ſit evenire neceſſariò, eveniet neceſſariò; ſi contingenter, eveniet contingenter, &c. in tantum ut præſcientia divina ſeſe attemperet connaturali agendi & exiſtendi modo illius rei quam prævidet.

Notandum quoque familiarem eſſe modum loquendi Sacræ Scripturæ, quo aliquando dubitativè de eventu alicujus rei loquatur, adeo ut præſcientia Dei videri poſſet reſpectu talis eventûs incerta & fallibilis. Verùm, tum loquitur S. Textus juxta naturalem conſtitutionem talis rei eventuræ, ut puta, quòd res aliqua de natura ſua ſit dubii eventûs. 115. *Quid ſignificet Sacra Scriptura dubitativè loquens.*

Quæres quomodò Deus cognoſcat futura contingentia? Reſp. Deum cognoſcere omnia quæ ſunt in ſuâ potentiâ, ergo & illa. Deindè comprehendit

cauſas creatas, adeoque omne id, quod eſt in illarum potentia, qualia ſunt futura contingentia. Inſuper omnia noſcit in æternitate, cui omnia ſunt præſentia, ita ut ſimplici intuitu noſcat omnia, quæ in quacumque temporis differentia exiſtunt, tamquàm ſibi præſentia. Denique illa certò cognoſcit ex certa determinatione voluntatis divinæ, eo quòd certò ab æterno noverit ea omnia quæ in tempore facere decrevit, vel permittere, ut ſunt peccata.

---

## SECTIO V.

*De Scientia Dei futurorum contingentium ſub conditione.*

Certum eſt Deum habere ſcientiam futurorum contingentium conditionalium: v. g. ſcit Deus, quòd domus comburetur, ſi domui applicetur ignis, &c. Cognoſcendo enim neceſſariam connexionem eventûs & conditionis, eadem cognoſcit. Nec Deo negari poteſt ejuſmodi ſcientia, cùm nobis eadem inſit, attentâ maximè cujuſvis rei naturâ.

116. *Deus noſcit futura cõtingentia conditionata.* Verùm quæſtio eſt de tali eventu conditionato, qui non habet neceſſariam cum conditione connexionem, & tamen numquàm eveniet, eo quòd numquam ponetur conditio, de quo eventu quæritur, an Deus habeat ejuſmodi notitiam. Ad quod quoque Reſp. affirmativè. Probatur ex Scriptura Sacra Geneſ. 11. ubi dicitur à Deo, de ædificatoribus Turris Babel: *nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* Et 1. Reg. 23. ubi David conſulens dominum rogat: *deſcendet Saul, &c.* Et ait Dominus: *deſcendet.* Et iterum: *ſi tradent me viri Ceilitæ in manus Saul?* Et dixit Dominus: *tradent.* Quæ omnia ſunt certò de futuro conditionato, cùm David nondum erat traditus, ſed tantùm dicitur quod tradetur, ſi ibidem permaneat.

117. *Deo non* Docent hîc aliqui Deum hæc prædicere per ſcien-

tiam conjecturalem, fundatam in eo, quid ſit natum fieri, attento præſenti rerum ſtatu, & quid in ſimili aliquando factum ſit. Fundant autem ſe in eo, quod in ſimili caſu dicat Chriſtus Math. 11. *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te*, FORTE *manſiſſent uſque in diem hanc*; ubi illud *fortè* ſignificare volunt conjecturam. Verùm reſp. ineptè Deo attribui conjecturas, & quòd aſſereret illud, cui poſſet ſubeſſe falſum. Neque illud *fortè* eſt quid dubitantis aut conjecturantis, ſed ſolùm dubii effectûs, ex natura ſuâ contingentis. Hinc etiam in Græco habetur *utique*, aut *omninò*, adeo ut illud *fortè* ſit aliquid confirmantis. *competit conjectura.*

Cùm ergo Scientia Dei ſit infinita, omne omnino verùm attingens, ſequitur etiam attingere futura contingentia ſub conditione, quæ tam ſunt vera, quàm contingentia.

Dices: videtur S. Auguſtinus ſcribens contra Semipelagianos negare in Deo talem præſcientiam conditionalium: Reſp. Verum eſſe, ita aliquando locutum eſſe S. Patrem Semipelagianos oppugnantem, in eo quòd docerent, hominem puniendum aut remunerandum, ſecundùm merita aut demerita quæ feciſſet, ſi supervixiſſet, prout ſtatuebant in parvulis morientibus, quod acriter oppugnat S. Doctor. Certum tamen eſt, S. Patrem ſæpè alibi apertè talem ſcientiam in Deo admiſiſſe, ut de cor. & grat. c. 8. ad illa verba Sap. 4. *placens Deo factus eſt dilectus, & vivens, &c. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*: Ex quo docet S. P. Deum prædeſtinatos ex hac vita vocare, quos novit in peccatum caſuros, ſi diutiùs viverent. Quamvis eumdem locum contra Semipelagianos tractans l. de prædeſt. c. 14. idem negare videatur, ſed ſenſu mox ante dicto. *S. Auguſtinus.*

118. Scientia hæc futurorum contingentium, Soli Deo eſt propria. Ipſe enim Solus novit omnia quæ ſunt in ſuâ & creaturæ potentiâ; Solus novit cauſas contingentes ſic determinandas aut impedibiles; Solus novit *Scientia futurorum contingentium eſt Soli*

Deo propria. novit omnia quæ efficiet aut permittet. Hinc ethnici eam Scientiam Soli Deo attribuebant, dum futura explorantes Deum tantùm, aut quod Deum ſtatuebant, conſulebant. Adeò ut rectè Dominus Iſaiæ 45. *Quæ ventura ſunt interrogate me.* & 41. *annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos.*

---

## SECTIO VI.

### *De Scientia Media.*

119. *Quid ſit ſcientia viſionis, quid ſcientia ſimplicis intelligentiæ.* GRavis inter DD. Theologos eſt contentio; qualis ſit illa Dei Scientia, quâ futura illa contingentia ſub conditione cognoſcat. Alii enim omnia à Deo cognoſci volunt, vel ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, vel ſcientiâ viſionis.

*Scientia Viſionis* eſt ſcientia, quâ cognoſcit res, quæ in aliqua temporis differentia exiſtunt.

*Scientia ſimplicis intelligentiæ* eſt, ſcientia quâ cognoſcit res omnes, quoquo modo eſſe poſſint.

120. *Quid ſcientia Media.* Alii autem ſtatuunt Scientiam Mediam, quæ ſit partim libera, partim naturalis, quæ verſatur circa objectum, cujus veritas non pendet quidem à decreto Dei libero (cùm ipſa illud antecedat) pendet tamen à libertate creaturæ; hinc dicunt Deum hâc ſcientiâ ſcire ante omne ſuæ voluntatis decretum, quid creatura faceret, ſi in his aut illis circumſtantiis poneretur. Hinc vocatur etiam ſcientia *conditionata*, aut *ex Hypotheſi*, quia eſt præſcientia non futuri abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione.

molina Scientiam hanc fatetur quidam à ſe primitus inventam ab hinc 90. circiter annis, à mille & annis pluribus SS. Patribus fuiſſe incognitam, &c. Quâ ratione etiam fortè ab aliis ſcientia illa dicitur *Heſternum commentum.*

Acriter interim oppugnatur ſcientia illa à variis, tamquam non admittenda, & variis Theologiæ principiis ex diametro repugnans.

Dico

Dico igitur primò. Talis ſcientia non eſt admittenda in ſtatu naturæ lapſæ, quaſi Deus ante omne ſuum decretum præſciat, quid ipſe cum voluntate in eo ſtatu facturus ſit; cum faciat hæc ſcientia in eo ſtatu gratiam pediſſequam, quæ eſt Domina; & Deus præſciat ſe cum voluntate aliquid facturum, quia facere illud decrevit. Plura de hac re dicam in materia de gratia. 121.

*An ſcientia Media ſit admittenda.*

Dico 2. Multo minùs neceſſaria eſt ad conciliandam libertatem arbitrii cum gratia pro eodem ſtatu, cùm potius gratiæ efficaciam in hoc ſtatu evertat. De eodem plura in materia de gratia.

Dico 3. Poſſet ejuſmodi ſcientia admitti, pro ſtatu hominis integri. Cùm enim Deus ejus voluntàtem ita inſtituiſſet in bono, ut in illo potuiſſet permanere ſi voluiſſet, adeò ut divina gratia expectaret determinationem liberi arbitrii: hinc in Deo admitti poſſet præſcientia, quâ præſciret, quid v. g. Adamus facturus eſſet, ante abſolutum ſuum decretum, quo decreverat cum eo concurrere, ſi in his aut illis circumſtantiis poneretur. Quapropter non tam ſcientiam illam, quam benè ſcientiæ illius uſum meritò condemnant aliqui.

Dico 4. Pro ſtatu naturæ lapſæ, cognoſcit Deus futura contingentia conditionata, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Cùm enim pro eo ſtatu Deus hominem moveat ad actum bonum efficaciter, dando voluntati ipſum actum, voluntatem indeclinabiliter movendo, ſequitur quod præſciat, quod voluntas certò operabitur, ſi velit eam movere & velit eam operari. De malo quod Deus prævidet, dicam ſtatim. Hinc præſcit abſolutè in ſuo decreto prævio, quo decrevit voluntatem dare & ad actum inclinare, etſi conditionato.

Dico 5. Poſſet interim abſolutè proſcribi talis ſcientia, ſi per decretum Dei intelligamus, tam decretum Dei permiſſivum, quam effectivum. Ratio ejus eſt, quòd impoſſibile ſit, quòd Deus aliquid præſciat ab homi- 122.

*Impoſſibile eſt quod*

*Deus aliquid præſciat, ſine prævio decreto ſaltem permiſſivo.*

homine futurum, niſi præſupponatur in Deo decretum, quo decrevit cum homine concurrere, vel ſaltem decrevit illud permittere.

His ſuppoſitis, facilè rejiciuntur omnia quæ pro neceſſitate hujus ſcientiæ ab aliquibus adferuntur. Qualia ſunt, quòd illa neceſſariò admittenda ſit Matt. 11. ubi dicitur: *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes pœnitentiam egiſſent*; Uti & 1. Reg. 23. ubi quærit David: *Si tradent me viri Ceilæ, & ſi deſcendet Saul?* Iterum Jeremiæ 28. ubi dicitur: *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis, vivet anima tua.* Et ſimilia, quæ pro ſtabilienda ſcientia media adverſarii objiciunt. Ad illa enim dicendum eſt, Deum ſciviſſe Tyrios pœnitentiam fuiſſe acturos, ſi virtutes in iis factæ fuiſſent, &c. Deum ſciviſſe Saulem deſcenſurum, viros Ceilæ Davidem fuiſſe tradituros ſi remanſiſſet David, &c. Non tamen id ſciviſſe per *Scientiam mediam*, cujus objecti veritas præcedebat liberum Dei decretum, quo decreverat iis dare pœnitentiam, ſi virtutes in iis factæ fuiſſent; ſed in decreto, quod veritatem iſtius conditionalis præcedebat. Eſt enim motus gratiæ neceſſarius, ut aſſenſus Fidei aut veræ pœnitentiæ à quopiam procedat. Unde ſupponit Deus gratiam, quam illis daturus eſſet, quando dicit, quòd Tyrii pœnitentiam egiſſent viſis ſignis & virtutibus.

Deinde ſciebat Deus Davidem eſſe tradendum in manus Saul, ſi ibidem manſiſſet, non tamen rurſum *Scientiâ mediâ*, ſed ſciebat hoc in ſuo decreto, quo ſtatuerat permittere, tum urbis obſidionem, tum Davidis traditionem, niſi David recederet. Cùm verò Deus abſolutè ſtatuerat non tradere Davidem, ideò curavit, ut inde recederet. Hinc ſenſus Scripturæ eſt hic: Saul deſcendet, ideſt, Saul jam ſtatuit deſcendere, & revera deſcendet, ſi ibidem manſeris; item viri Ceilitæ habent voluntatem te tradendi.

Denique ad locum Jeremiæ reſp. Poteſt, ut intelligamus Deum hoc prædixiſſe & præſciviſſe non per ſcientiam mediam antecedentem omne Dei decretum,

tum, ſed ex decreto, quo ſtatuerat Judæos in Jeruſalem remanentes punire, & illos cuſtodire, qui juxta conſilium Jeremiæ fugiſſent ad Principes Babylonis.

Plura quæ huc ſpectare poſſunt, dabuntur in materia de gratia & de prædeſtinatione.

## SECTIO VII.

### *An Scientia Dei ſit immutabilis.*

SCIENTIAM Dei immutabilem eſſe, ut eadem 123.
eſt cum eſſentia divina, per ſe patet. Cùm vero *Scientia*
Deus ſciat omne, quod cognoſci aut ſciri poteſt, id- *Dei eſt*
queſin æternitate, ſequitur omne cognoſcibile ſemper *immutabilis.*
ſcire, & ſemper ſciviſſe.

Objicies 1. Poſſunt plura eſſe vera quàm de facto ſunt; ergo circa plura poteſt verſari ſcientia Dei, quam de facto verſatur. Reſp. abſolutè falſum eſſe Deum poſſe plura ſcire, quàm modò ſciat, quaſi ſcientiæ Divinæ poſſit aliquid advenire, etſi hoc verum ſit potuiſſe Deum ab æterno non ſcire, quod ab æterno ſcivit, ſicut ab æterno potuit velle aliquid, quod ab æterno quoque potuit non velle. Unde ſicut Deus poteſt plura facere, quam fecit, v. g. tertium mundum, ita etiam illum potuit cognoſcere, ſi ſcilicet ab æterno illum producere voluiſſet.

Objicies 2. Aliud videtur eſſe quoad enunciabilia, v. g. Deus ante bis mille annos non ſcivit veritatem
hujus, *Chriſtus natus eſt*, quam tamen jam ſcit. Reſp. 124.
Ratione hujus & ſimilium, nullam in Deo fieri mu- *Objecta*
tationem, ſed totam mutationem, quæ hîc interve- *Scientiæ*
nit eſſe in objectis; mutatis autem objectis, non eſt *Dei mutantur,*
neceſsè, mutetur & ſcientia, etſi ſæpè hoc fiat; unde *nunquam*
ſicut eſt Fides una & eadem, noſtra & antiquorum *Scientia*
Patrum, licet illi crediderint Chriſtum futurum, nos *Dei.*
natum: ita & eadem eſt Dei ſcientia, quâ Deus olim Chriſtum futurum ſcivit, modo ſcit eum eſſe natum.

Quod

Quod ut meliùs intelligatur, notandum eſt quòd quidquid Deus ſcit, illud ſcire ab æterno & ſciviſſe eo modo, quo in tempore fiet, hinc unumquodque ſcit & ſciet pro ſuo tempore, cùm unico intuitu reſpiciat omne omninò tempus, quâ ratione ſcientia Dei non mutatur, etſi aliquando mutentur ſcientiæ divinæ objecta.

# CAPUT TERTIUM.

### *De voluntate Dei.*

## SECTIO PRIMA.

### *An in Deo ſit voluntas, & quotuplex.*

SECUNDÙM Fidem Catholicam agnoſcenda eſt in Deo voluntas. Math. enim 6. dicitur: *Fiat voluntas tua.* Ratio ejus eſt; quòd ubi eſt intellectus, ibi ſit & voluntas. Deinde habere voluntatem, eſt perfectio naturæ intellectualis, quæ proinde Deo negari non poteſt.

Hâc voluntate Deus quæcumque voluit, fecit: & omnia vult propter ſe ipſum, propter quem omnia operatus eſt: ſicut autem Deus intelligendo ſeipſum, noſcit omne cognoſcibile, ita amando ſe & ſuam bonitatem, vult omnia alia à ſe diverſa, propter ſe, idque uno volitionis actu ſimpliciſſimo.

125. *Quid voluntas ſigni, quid beneplaciti.* Voluntas hæc, etſi ſecundùm ſe ſit ſimpliciſſima, diſtinguitur tamen, juxta noſtrum concipiendi modum in diverſa membra, prout dicit ordinem ad diverſa objecta. Hinc diſtinguitur primò in voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti. Voluntas ſigni eſt voluntas Dei, quæ nobis per aliquod ſignum aut operationem innoteſcit. Eſtque hæc voluntas quintuplex, prout

Præ-

*Præcipit aut prohibet, permittit, conſulit, implet.*
Quando enim Deus aliquid præcipit, prohibet, permittit, &c. ſignum nobis eſt, ejuſmodi rerum in Deo eſſe aliquam voluntatem, quâ illud quod præcipit, velit, aut quod permittit, velit fieri aut non impedire.

Voluntas beneplaciti, juxta D. Thomam 1. part. q. 19. art. 11. & alios communiter, eſt voluntas propriè dicta, per quam res ipſa ſic volita verè in ſeipſa Deo placet.

Dividitur 2. Voluntas Dei in voluntatem antecedentem & conſequentem, ſeu ut alii vocant, primam & ſecundam. Voluntas antecedens eſt, quâ aliquid vult, non habitâ ratione circumſtantiarum. Conſequens autem, quâ aliquid vult non ſecundùm ſe, ſed habitâ ratione circumſtantiarum. v. g. judex vult omnium incolumitatem ſecundùm ſe, voluntate antecedente, vult tamen aliquorum mortem & pœnam, attentâ ſcelerum & peccatorum immanitate, quæ mortem merentur. 126. *Quid voluntas Dei antecedens, quid conſequens.*

3. Dividitur in voluntatem efficacem & inefficacem. Voluntas efficax eſt, quâ aliquid efficaciter vult, de qua dicitur, *Omnia quæcumque voluit fecit*; nec ſit, qui eidem poſſit reſiſtere, 127. *Quid voluntas Dei efficax, quid inefficax.*

Inefficax eſt quâ quidem aliquid vellet, ſed tamen non abſolutè illud vult, unde non ſemper habet effectum ſuum correſpondentem.

Voluntas beneplaciti quæ ſimul eſt efficax ſemper impletur. Cùm enim Deus ſit omnipotens, poteſt facere quod vult, & quando aliquid abſolutè vult, à nullo poterit impediri. Hinc ait D. Hieron. ad illud Iſaiæ 14. l. 5. & l. 6. *Hoc eſt Conſilium, quod cogitavi, &c.* ſola inquit, *perfecta virtus, in nullo impeditur, quo minus quod velit, & faciat.* Voluntas autem ſigni non ſemper impletur: voluntas enim Dei, quæ ſita eſt in præceptis, conſiliis, &c. poteſt contemni & negligi, ut experientiâ patet: hinc nullum fit peccatum, quin ſit contra Dei voluntatem. Notandum tamen voluntatem Dei abſolutam aliquando apud SS. Patres, vocari 128. *Quænam Dei voluntas ſemper impleatur.*

cari *præceptum*, & docent hoc ſenſu præcepta divina fruſtrari non poſſe, uti certum eſt: quo ſenſu dictum eſt Pſ. 148. *Ipſe mandavit & creata ſunt.* Verùm voluntas hæc, hoc ſenſu dicitur impropriè *præceptum aut mandatum.*

Voluntas tamen ſigni ſita in permiſſione & impletione, ſemper fit ut per ſe patet: quod enim Deus permittit, abſolutè fit; uti & quod implet.

---

## SECTIO II.

### *An voluntas Dei ſit libera.*

De Fide eſt, quod voluntas Dei ſit libera, uti dicitur Pſalm. 93. *Deus ultionum liberè egit.* & Epheſ. 1. *omnia operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Libertas enim eſt perfectio naturæ intellectualis, quæ proinde Deo deneganda non eſt. Adde ſi Deus neceſſariò ageret, non eſſent ei referendæ gratiæ pro collatis donis & beneficiis.

129. *In quo ſita ſit libertas Dei.* Libertas hæc Dei in eo ſita eſt, quòd ſit perfectiſſimus Dominus ſuorum actuum, & conſequenter effectuum dum fiunt, vel ut fiant aut non fiant: vel etiam, ut alii dicunt, hæc libertas ſita eſt in determinatione divinæ voluntatis, quâ Deus prævio perfectiſſimo rationis ſuæ judicio, ſe ad aliquid operandum determinat: in quo eſſentialem libertatis rationem abſolvimus, uti dicetur in materia de libertate in 1. 2.

Diſtinguunt tamen varii Authores inter varia objecta: & docent Deum ſeſe amare neceſſariò, alia

130. *Deus liberè ſeſe amat.* extra ſe liberè. Primum probant ex eo quòd nulla ratio boni poſſit inveniri, in ceſſatione ab amore ſui, nec fieri poſſit, quin Deus ſit in ſtatu feliciſſimo, qui ſine tali amore haberi non poteſt. Verùm Reſpondeo, Deum ſeſe liberè amare, uti & reliqua, cùm perfectiſſimo judicio rationis, ſe ad amorem ſui

&

& aliorum determinet, in quo ſita eſt libertas eſſentialis. Neque refert, quòd ab amore ſui jam non poſſit deſiſtere, cùm hoc non immutet prædictum Dei agendi modum naturalem, ſed omninò voluntariè ſuo amori inhæreat. Cùm verò Deus peccare non poſſit & ſit liberrimus, ſequitur hinc potentiam peccandi, non eſſe de ratione libertatis.

Deinde cùm Deus ſit ad bonum infallibiliter determinatus, ſequitur, quòd nec ad rationem libertatis requiratur agentis indifferentia, ad agendum æquè & non agendum. Plura de hac re, vide in prædicto loco.

---

## SECTIO III.

### *Quomodò Deus velit omnes homines ſalvos fieri.*

Dico 1. non eſt abſoluta & efficax Dei voluntas omnes ſalvandi. Probatur: quia ſi eſſet in Deo talis voluntas, nil impediret, quo minùs ſortiretur ſuum effectum, qui tamen non ſemper fit, ut per ſe patet. Probatur etiam ex S. Aug. variis locis atteſtante, multos non converti, quia Deus non vult: varios itidem non ſalvari, quia Deus eoſden ſalvare non vult. Sic Epiſt. 107. manifeſtè docet, multos non ſalvari, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult. Et 4. Cont. Julian. c. 8. De parvulis apertè docet, immenſum numerum parvulorum ſine Baptiſmo mori, quos Deus regno ſuo adjici non vult. Adde quòd Spiritus S. prohibuerit, ne Apoſtoli irent in Aſiam & Bythiniam Fidem prædicare, ſine qua tamem ſalvari non poterant, nec credere poſſint ſine prædicante. 131. *Deus non vult efficaci voluntate omnes ſalvos fieri.*

Una hîc ſufficiat pro ſententia noſtra S. Aguſtini authoritas, quam ponit prædicta Epiſt. 107. ubi ait: *Manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omninò, quâ locutione ſit dictum, quòd omnes* 132. *S. Auguſtinus.*

*omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cùm tamen multi ſalvi non fiant*, non quia ipsi, sed quia Deus non vult: *quòd ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis. ſed ſicut illud, quod dictum eſt, omnes in Chriſto vivificabuntur, cùm tam multi æternâ morte puniantur: Ideò dictum eſt, quod omnes quicumque vitam æternam percipiunt, non percipiant, niſi in Chriſto. Ita quod dictum eſt, omnes homines vult Deus ſalvos fieri*, cùm tam multos nolit salvos fieri, *ideò dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt, etſi quo alio modo illa verba Apoſtolica intelligi poſſint, ut tamen huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus, tam multos volentibus hominibus*, sed Deo nolente, *ſalvos non fieri, contraria eſſe non poſſint.*

Dices, hoc totum verum eſſe, ſi intelligatur de voluntate efficaci & antecedente, tamen Deum quantum in ſe eſt, velle omnes ſalvos fieri; multos tamem nolle, ponendo obicem per peccata. Reſp. Hoc abſolutè dici non poſſe, ut conſtat in parvulis ſine baptiſmo decedentibus; illi enim ſalvi non fiunt non tamen quia ipſi non volunt, ut ait S. Auguſt. qui & addit, *Quòd etiam facientibus & feſtinantibus parentibus & miniſtris, quæ poſſint, tamen baptiſma* Deo nolente *non detur.*

Inſtabis, Deus quantum in ſe eſt, vult quoque tales parvulos ſalvare, tamen non omnes ſalvari, partim propter incuriam parentum, partim ob eorum merita: Reſp. hoc ideò fieri, quia Deus eos renaſci non vult, in cujus manu eſt omnis anima viventis,
133. *S. Proſp.* ut ait ſanctus Proſper 1. de Voc. Gent. c. 22. de hoc eodem caſu agens, qui totum refundit in providentiam Dei, quòd unus baptiſetur, alter non baptiſetur. Deinde quòd hoc parentum meritis adſcribere non poſſis, diſertè declarat idem S. Doctor c. 31. carmine de ingratis, ubi ita canit.

*Nec meritis iſtud poteris aptare parentum,*
*Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,*
*Abſtuleritque aliis aliena ignavia vitam,*

*Cùm*

*Cùm videas multos ſanctis genitoribus ortos,*
*Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum,*
*Expoſitiſque aliis ob turpia crimina matrum,*
*Miſſam externorum curam, quæ ſtercore raptos*
*Per fontem vitæ, cæleſti traderet aulæ.*

Dices, quòd applicatio Baptiſmi propter aliqua impedimenta infantibus illis non contingat, non eſt Deo imputandum, quia Deus non ordinat, ut non poſſit iis applicari Baptiſmus, vel impedimenta illa occurrant; ſed tantùm permittit ſecundùm communem curſum rerum, ſicut permittit peccata. Reſp. 134.
hoc dici non poſſe, ſed Deum verè & propriè illa *Deus ordinat ne* impedimenta operari, per quæ applicatio Baptiſ- *Baptiſmus* mi impeditur, maximè ſi ſine culpa parentum id *applicetur.* fiat, uti patet in iis qui ſine culpa alterius in utero moriuntur. Cùm enim ideò non baptiſantur, neque ſalvantur, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult, fit, ut ſicut Deo volente baptiſantur, adminiſtratis per divinam voluntatis ordinationem mediis: ita Deo nolente non baptiſantur, impediente divina ordinatione Baptiſmi applicationem. Undè D. Aug. l. de dono perſev. ita ait: *Neque enim res humanas in parvulis, non divinâ providentiâ, ſed fortuitis agi caſibus opinandum eſt; cùm rationales vel damnandæ vel liberandæ, ſunt animæ: quandoquidem nec paſſer cadit in terram ſine Patris voluntate, qui in Cœlis eſt: aut parentum negligentiæ ſic tribuendum eſt, ut nihil ibi agant ſuperna judicia.*

Petes, quis ergo ſit ſenſus hujus Apoſtolicæ ſententiæ, datæ 1. Timoth. 2. dum ait: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri?* Reſp. aliqui hanc exponunt de voluntate Dei non abſolutâ, ſed deſiderii tantùm & velleitate. Verùm parùm conformiter Apoſtolo, qui dicit Deus VULT, non autem VELLET *omnes homines ſalvos fieri.*

Alii exponunt, & dicunt Deum omnes homines velle fieri ſalvos, quia illi quos ſalvat, tanto ſunt numero, ut dici poſſint *omnes*: verùm obſtat, quod Apo-

Apoſtolus ſignificet univerſalitatem propriam.

Aliorum ergo expoſitio eſt, quòd hâc ſententiâ ſignificetur, quòd Deus det omnibus gratiam ſufficientem. Verùm hoc falſum eſſe, demonſtrabo in materia de gratia.

Abſurdiſſima eſt & Pelagii expoſitio in Epiſt. Pauli, operibus D. Hieron. inſerta tom. 8. ut ſenſus ſit, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ſi vocationi Dei conſentire voluerint: idem ſentit Author carminum de providentia operibus Proſperi inſertus, quem Pelagianum eſſe conſtat, vel ex hoc:

*Dicite quem populum, quâ mundi in parte remotum,*
*Quoſvè homines, cujus generis vel conditionis*
*Neglexit ſalvare Deus?* ——————
—————— *Nunquid non ſemine ab uno*
*Venimus, aut alia eſt hominum natura bonorum?*
*Non aliter dives quam pauper naſcitur, optimus ille*
*Non plus accepit, quàm peſſimus. Æqua Creantis*
*Menſura eſt, uno qui lumine luminat omnes,*
*Si tamen aſſertoris opem feſtina voluntas*
*Præveniat*. &c.

Idem ſentiunt, Ambroſiaſter in Epiſt. Pauli, Julianus, Fauſtus Regienſis, &c.

Aliter alibi exponit S. Aug. quaſi Deus velit omnes ſalvos fieri, eo quòd nos faciat velle omnium ſalutem, quam voluntatem nobis Deus inſpirat. Quomodò autem id velle poſſimus, declarat Heſſelius dicens; Sancti de quolibet homine ſic vivente, volunt ut ſalvi fiant, non de omnibus hominibus ſimul, cùm certum ipſis ſit, quòd non omnes ſalventur. Verùm hæc expoſitio eſt parum propria.

Alia expoſitio eſt deſumpta ex S. Proſpero l. 2. de voc. gent. quatenùs Deus media & auxilia generalia contulit, & toti orbi propoſuit, quibus venire poſſit ad ſalutem, etſi ad eadem venire non poſſit ſine ſpeciali Dei gratia, qualia ſunt, lex naturæ omnium cordibus inſculpta; prædicatio Evangelii per totum terrarum orbem; pretium ſanguinis ſufficientiſſimè pro omnibus effuſi, &c. Verio-

Veriorem tamen & planiorem hujus loci interpretationem nobis ante ſuppeditavit S. Aug. adeò ut omnes homines Deus velit ſalvos fieri; quatenus nullus ſalvus fit, niſi Deo volente ſalvetur. Ita quoque dicitur Joan. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ideſt, quod nullus ſit, qui hic illuminatur, quin à Deo illuminetur. Sicut de Magiſtro qui unicus & ſolus in urbe docet, rectè dicitur, hic omnes docet, ideſt, nullus eſt qui docetur, quin ab ipſo doceatur. Æquè veram & ſolidam expoſitionem adfert idem Doctor Enchrid. 103. ubi ait. *Per omnes, intelligamus totum genus humanum per quaſcumque differentias temporum diſtributum: Reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, indoctos..... mares, feminas, &c. In linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, &c.* Idem ſentit ſanctus Proſper Reſp. ad object. Galic. ubi 8. ait: *Ex toto mundo, totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur.* Quod & explicans l. 2. de voc. Gent. c. 2. *Neminem*, ait, *meritò excepit, neminem ſeparavit genere, neminem conditione diſtinxit.* Idem clariſſimè ſentit S. Fulgentius de incarn. & grat. c. 31.

Conformiter ergo ad has, præcipuè duas ultimas expoſitiones, intelligi poteſt prædicta Apoſtoli ſententia, uti etiam hæc 2. Pet. 3. ubi de Deo dicitur: *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et hæc Ezech. 33. *Nolo mortem impii, &c.* Ideſt, niſi poſito peccato. Si verò quiſpiam prædicta de voluntate Dei efficaci & abſoluta intelligi contendat, per *omnes* intelligat ſolos electos, quos efficaciter ſalvare vult, & ſalvat, concludo cum Bellarmino ſerm. 2. de Grat. c. 8. ubi ait: *Credimus Deum abſolutâ voluntate velle ſalvare multos tum parvulos, tum adultos: & abſolutâ voluntate alios non velle ſalvare, tum parvulos, tum adultos.*

## SECTIO IV.

*Voluntas Dei non adfert rebus volitis neceſſitatem.*

136. *Voluntas Dei eſt immutabilis.* Ex eo quòd voluntas Dei ſit immutabilis, uti probabimus, ſtatuerunt aliqui voluntatem Dei adferre rebus volitis neceſſitatem.

Quòd autem voluntas Dei ſit immutabilis, probatur 1. ex eo, quòd ſit eadem cum eſſentia divina; hinc Malachiæ 3. *Ego Deus & non mutor.*

Ratio autem ſumitur ex eo, quòd quidquid Deus vult, ab æterno voluerit, nec poſſit habere novas rationes aliquid volendi aut nolendi, cùm ab æterno perfectiſſimè omnes rationes ponderaverit, & juxta earumdem conſiderationem ſeſe determinaverit. Hinc tota mutatio, quæ intervenit, fit in objectis volitis, minimè verò in voluntate divina.

Si tamen hinc inde aliquid non evenerit, quod tamen dicitur à Deo decretum, intelligendum eſſet, à Deo decretum fuiſſe comminatoriè, aut conditionatè, non autem abſolutè, de quo intelligenda ſunt, quæ de immutabilitate voluntatis Dei dicta ſunt.

137. *Voluntas Dei, etſi ſit immutabilis, nō tamen adfert rebus volitis neceſſitatē.* Hoc poſito probatur Dei voluntatem etſi immutabilem, non adferre rebus volitis neceſſitatem. Patet hoc ex actibus humanis & angelicis liberis, quos tamen Deus vult. Deinde aliàs tolleretur liberum hominis arbitrium, cùm omne quod homo vellet ex neceſſitate vellet.

Pro cujus intelligentia notandum eſt, quod quando Deus aliquid præſcit aut decernit, illud præſciat aut decernat agere aut permittere, juxta exigentiam cauſæ cum quâ operari vult, aut à quâ aliquid vult permittere, adeò ut ſe attemperet naturali agendi modo creaturæ. Hinc volendo actum humanum operari cum cauſa libera, vult eum operari, prout exigit naturalis agendi modus talis cauſæ, ideſt liberè.

berè. Adeò ut, meritò anno 1476. Proſcripta ſit hæc à Sixto IV. Petri de Rivo Philoſ. Lovan. ſententia : *Quod ſequitur ex inimpedibili, ipſum quoque eſt impedibile.*

Æquè vera eſt & hæc recentioris ſententia: *Quod ſequitur ex Hypoteſi, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ipſum quoque non eſt in noſtra poteſtate:* Ex eâ enim quoque ſequitur, tolli liberum arbitrium, bona opera, leges &c. cùm illa non ſint in noſtra poteſtate, dum ſequuntur ex Hypoteſi, quæ non eſt in noſtra poteſtate, ſcilicèt ex incommutabili Dei voluntate.

---

## SECTIO V.

### *An Voluntas Dei ſit Malorum.*

DOCET Calvinus Deum non tantùm permittere, 138.
ſed & poſitivè velle peccata, eaque ab æterno *Calviniſtæ docent*
decreviſſe, imò ad eadem procuranda, homines ma- *Deum eſſe*
los & dæmonem inſtigare, etiam non prævisâ homi- *authorem*
nis determinatione ad malum. Addit tamen illa, non *peccati.*
eſſe peccata reſpectu Dei; eo quòd Deus illa faciat bonâ intentione & bono conſilio, unde & negat Deum mali authorem aut approbatorem. Quomodò tamen illud ultimum fieri poſſit, docet ægrè admodum à nobis poſſe concipi: & rectè; cum ſit falſum & impoſſibile, cum impoſſibile ſit aliquem eſſe cauſam moralem peccati, qualis eſt alterum ad peccatum impellens voluntariè, & non eſſe peccati authorem aut approbatorem: neque excuſat conſilium aut intentio bona, cùm non ſint facienda mala, ut eveniant bona. Adde, quod juxta prædicta, Deus ſolus ſit peccati cauſa, cum juxtâ illorum principia, homo à Deo neceſſitetur ad actum, peccatum autem ſit actus liber.

De Fide ergo eſt, Deum non velle peccata, etſi eadem permittat, atteſtante Pſalmiſta Pſ. 5. *Non Deus*

139. *volens iniquitatem tu es.* Et ſapientia c. 14. *Odio ſunt*
*Deus permittit ſolum peccata.* *Deo impius & impietas ejus:* Ubi tamen eadem dicit c. 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Hinc rectè S. Fulg. l. 1. ad monimum. c. 19. *Illius rei Deus ultor eſt, cujus author non eſt.* Eſt autem ultor peccati, ergo non eſt author. Deinde conſtat, Deum peccata prohibere, punire, &c. Vide Conc. Trid. ſeſ. 6. can. 6.

140. *Quomodò definiat peccata.* Objicies 1. Videtur Deus mala decreviſſe, dum dicitur act. 2. *Chriſtum definito conſilio & præſcientiâ Dei eſſe traditum.* Item dum Geneſ. 45. dicitur Joſeph *Non fratrum Conſilio, ſed voluntate Dei in Ægyptum miſſum* fuiſſe. Reſp. primum aliqui exponunt, Chriſtum eſſe traditum definito Conſilio Judæorum, & præſcientiâ Dei, quâ eorum ſcelera prævidebat. Meliùs tamen dicitur definito patris Conſilio traditus, permiſſâ in ſe, non præordinatâ Judæorum malitiâ. Quin imò mors Chriſti non tantùm præviſa fuit, ſed & præordinata à Patre, abſtrahendo tamen à ſcelere & malitia occidentium, cum potuiſſet ut abſolutus Dominus vitæ & necis, Filium tradere in mortem per manus innoxias. Unde rectè dicitur, quòd non ex eodem ſpiritu proceſſerit voluntas moriendi, undè interficiendi, nec quòd de eodem ſpiritu exierit atrocitas ſceleris & tolerantia redemptoris: impias igitur Judæorum manus in ſe admſit & permiſit Chriſtus, non immiſit. Mortem tamen ſuam præordinavit & Conſilio ſuo prædefinivit prævidens hominis lapſum & redemptionem.

141. *Quomodò Deus convertat cor in odium, quomodò præcipiat peccata, obduret cor da, &c.* Objicies 2. Videtur Deus hominem movere in peccata, dum dicitur Pſ. 104. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ſuum.* Dum dicitur exodi quòd obduraverit cor Pharaönis, dum 2. reg. 16. *Præcepit Semei ut malediceret David,* &c. Reſp. notandum eſſe, Sacræ Scripturæ eſſe admodum familiare, nomine *præcepti* ſignificare nudam permiſſionem. Rem habes Math. 19. ubi Iudæis rogantibus, *Quid ergo Moyſes* MANDAVIT *dare libellum repudii?* Subdit Salvator: *Quoniam ad duritiam cordis veſtri* PERMISIT *vobis dimittere uxo-*

*res veſtras*, utens to *permiſit* pro to *mandavit*. Hinc Reſp. prædicta omnia intelligenda eſſe de nuda permiſſione, tum quòd Deus paſſim peccata prohibeat, execretur, puniat, &c. tum ne impietatis arguâtur. Innuitur autem hæc permiſſio ſæpe per actiones poſitivas, quia poſitivè Deus aliqua operatur circa aliquos, quæ de ſe ſunt bona, imò ex quorum occaſione debuiſſent bene operari, illi, quibus objiciuntur, unde tamen novit Deus, eoſdem ſuâ malitiâ occaſionem ſumpturos peccandi, uti fit quando aliqui occaſione donorum, aliis à Deo datorum, arripiunt occaſionem calumniandi, invidendi, &c. ſic dicitur convertiſſe Ægyptiorum corda, ut odirent populum Dei, ratione benedictionis & fertilitatis quâ Iſraël benedicebat, ex cujus occaſione accipiebant anſam odiendi Iſraël. Idem eſt de caſu obdurationis Pharaönis, cujus obduratio, cùm ſit motus animi adhærentis malo, ipſi Pharaöni, non Deo adſcribi poteſt, cùm ſit motus ille malus & diabolicus, de quo plura alibi de obduratione.

142. *Quomodò Deus obduret per potētiam, & patientiam.*

Obiter tamen hîc notànda eſt S. Auguſtini Phraſis, quâ ait l. 5. contra Jul. c. 3. Deum non tantùm obdurare *per patientiam*, ſed & *per potentiam*. Quâ phraſi nihil aliud innuit, niſi Deum tunc obdurare per patientiam, quando hominem malum in vita dudum tolerat, patienter ſcelera ejus pro eo tempore ſuſtinendo, neque puniendo, aut etiam non in tantum, ut reſipiſcat, ſed ut magis ſe obduret. Per potentiam autem obdurare dicitur, aliqua potenter operando, unde homines perverſi occaſionem ſumunt, ſeſe in malo obfirmandi, uti dixi de Pharaöne & Ægyptiis. Quovis autem modo Deus obdurare dicitur, ſolùm hoc agere dicitur permiſſivè.

143. *Quomodò peccatum ſit pœna peccati.*

Objicies ultimo, unum peccatum poteſt eſſe pœna alterius, adeoque ut tale, homini poteſt procurari à Deo. Imò quod unum peccatum poſſit eſſe homini utile, & ut tale etiam à Deo homini immitti. Sic D. Aug. l. 14. de civit. c. 13. dicit: *Audeo dicere ſuperbis*

*eſſe utile, cadere in aliquod apertum, manifeſtumque vitium.* Reſp. Deum aliquando hominem permittere in peccatum labi, ratione delicti præcedentis, qua ratione dicitur unum peccatum pœna alterius. S. Aug. verò tantùm prætendit, quòd ipſa peccati permiſſio, poſſit aliquando eſſe bona, non autem peccatum, quod de ſe malum eſt, & rationi rectæ difforme, adeoque nec de ſe conducens ad aliud tamquàm bonum finem: Etſi ad ſummum poſſit eſſe occaſio per accidens alicujus boni, quatenus eo poſito, Deus aliquod bonum operatur occaſione illius, eo modo quo in benedictione cerei paſchalis à Gregorio dictum eſt: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.*

Plura huc convenientia, dabo agendo de concurſu divino ad actus peccaminoſos.

# CAPUT QUARTUM.

## SECTIO PRIMA.

### *De Providentia Dei, ejuſque objecto.*

144. *Providentia Dei eſt ab æterno, executio ejus fit in tempore.* PROVIDENTIA eſt ſcientia Dei practica, quâ ab æterno præordinavit, & in tempore dirigit unamquamque rem in ſuum finem, præcipuè ultimum. Providentia hæc ab æterno extitit, ſed executio ejus, quæ in gubernatione potiſſimùm ſita eſt, fit in tempore. Actus autem præcipui, quibus providentiam ſuam in tempore exequitur, ſunt creatio, conſervatio, quæ nil eſt aliud, niſi creatio continuata, & ſuppeditatio mediorum cuique rei neceſſariorum aut utilium ad ſuum finem.

Quæritur, an Providentia divina tantùm ordine mediat

media ad finem neceſſaria, an autem finem etiam procuret. Reſp. cùm Providentia divina ſit efficaciſſima & certiſſima, ita media ordinat, ut & procuret finem. Dei enim Providentia in ſua diſpoſitione non fallitur. Tradidit & hanc doctrinam D. Th. 1. p. q. 22. A. 2. ad 1. & A. 4. ad 1. 2. & 3. quibus Locis videtur retractaſſe, quod tradiderat q. 6. de verit. a. 1. Hac ratione differt plurimùm providentia divina, à providentia humana, ad quam ſatis eſt quòd media ordinet, quæ fini conſequendo judicantur idonea, etſi finem præſtitutum non procuret, aut infallibiliter Conferat: Unde & ſapientiæ 9. dicuntur *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ providentiæ noſtræ.* 145. *Providentia Dei ordinat etiã media ad finem neceſſaria.*

Dices providentia divina reſpicit etiam reprobos ad finem, quem tamen non conſequuntur, ſcilicèt finem ultimum cujuſque, qui eſt beatitudo. Reſp. providentia divina non reſpicit reprobos in ordine ad hunc finem, ſed ſolùm electos: Reſpicit tamen illos ad finem, puta ad manifeſtationem juſtitiæ divinæ, qui finis à Deo præordinatus, infallibiliter ſequitur. 146. *Ad quem finem providentia ordinet impios.*

Hinc providentiæ divinæ omnia ſunt ſubjecta, non tantùm res cœleſtes, ut voluit Ariſtoteles; nec tantùm res humanæ, aut res majoris ponderis, ut alii, juxta hoc

*Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi:*

Sed res omnes, à minimis uſque ad maximas, cùm nihil ullibi fiat niſi Deo volente aut permittente fiat, juxta illud ſap. 14. *Tua autem Pater Providentia cuncta gubernat.* Et uti Math. 6. & 10. docet æterna veritas, nec volatilia cœli, nec hortorum lilia, nec fœnum agri, nec capillos capitis, à providentia divina eſſe exempta. Ratio ejus eſt, quòd Providentia Dei ſit perfectiſſima, adeoque ad omnia prorſus ſeſe extendere debet. Nec quia minimis ſe Deus immiſcet, aliquid ſtatuitur Deo indignum, ſed maximè ejuſdem providentia Commendatur, quæ ad omnia 147. *Providentia Dei omnia omnino reſpicit.*

nia etiam minutiſſima ſeſe extendit, adeo ut eum nihil lateat. Unde S. Auguſt. tract. 104. in Joannem: *Omne* ait *tempus, & quid & quando faceret, aut fieri ſineret, ab illo eſt diſpoſitum, qui tempori ſubditus non eſt.* Hinc meritò à Stephano Epiſcopo quondam Pariſienſi hæc propoſitio damnata dicitur: *Falſum eſt, omnia eſſe præordinata à cauſa prima.*

148. *Quomodo æqualis, & inæqualis ſit Deo de omnibus cura.* Objicies 1. aliud innuit Scriptura Job. 22. dum dicit: *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat.* Item 1. cor. 9. ubi dicitur: *Numquid de bobus cura eſt Deo?* Reſp. priora verba non eſſe verba Jobi, ſed Eliphaz imponentis Jobo, quòd non crederet Deum habere omnium rerum providentiam, uti ex contextu clarè patet. Poſterius autem nihil aliud ſignificat, niſi Deum non ita anxiè providere de brutis, quam benè de hominibus, & quidem ſpiritualibus: Unde etiam concludit, ſi non ſit obturandum os bovi trituranti, multo minus os abturandum eſſe homini ſpiritualiter trituranti, ideſt laboranti.

Dices, Deo eſt *Æqualiter cura de omnibus*, ut dicitur ſap. 6. Reſp eſt quidem æqualiter ei cura, quatenus idem actus providentiæ divinæ verſatur circa omnia, vel etiam, quod nullus à providentia divina eximatur: Non tamen, quod æquales, & eoſdem circa omnia effectus procuret providentia divina.

149. *Providentia Dei impios quandoque præmiat & juſtos affligit.* Objicies 2. quomodo ergo impiorum vita proſperatur, & juſtorum opprimitur, ſi ſit Deo de omnibus providentia: juſti enim proviſoris eſt malos punire, bonos protegere & præmiare. Reſp. juſta de cauſa hoc Deus permittit, ſcilicèt quod hîc juſtos permittat opprimi, ut in æternum eoſdem uberius remuneret; ut illorum corda à temporalium amore avocet, & ad ſui amorem inflammet, &c. malis autem temporales proſperitates largitur, ut eos vel bonitate ad ſe revocet, & ſi quæ bona egerunt, eadem remuneret in hac vita, &c. Etſi modus ille providentiæ divinæ, non ita ſit univerſalis; cum ſæpè juſtis concedantur dona temporalia juxta & æterna.

Obji-

Objicies 3. dicitur ſæpè Deus peccatores deſerere, ergo à providentia Dei excidunt. Reſp dicitur Deus peccatores deſerere, non quòd à providentia divina eximantur, ſed tantùm quòd eos deſerat in comparatione electorum, quibus meliori modo providet, dando auxilia gratiæ, & in gratia perſeverantiam, quomodo reprobis non providet. 150. *Quomodo Deus deſerat peccatores.*

Quamvis, ut ante dixi, iis quoque provideat, oſtendendo in illis ſuam Juſtitiam, eos puniendo; quod etſi illis in particulari malum ſit, ordini tamen univerſi eſt expediens & neceſſarium, qua ratione dicitur, Deum meliùs noſſe de malis benefacere, quam nulla mala permittere.

Quæritur ulterius, an peccata ſubſint providentiæ divinæ. Reſp. abſolutè quòd non: cum providere aliquid, idem ſit quod aliquid procurare, & ut ait D. Th. in tantum Deus aliquid providet, in quantum eſt rerum cauſa: ſed peccati cauſa non eſt, ergo nec eadem providet. 151. *Deus non providet peccata.*

Subſunt tamen hoc ſenſu, quatenus juxta illa præviſa, etſi non proviſa, majus procuret bonum. Hinc S. Th. diſtinguit duplicem proviſionem, *Unam approbationis, aliam permiſſionis*, quo ſenſu etiam peccata cadunt ſub providentiam divinam, quatenus Deus eadem permittit, quæ permiſſio bona eſt, & à Deo poteſt eſſe volita ad majus bonum procurandum.

Providentia divina non infert rebus proviſis neceſſitatem: nam ut ait S. Thomas in hac materia: *In hoc eſt immobilis & certus divinæ providentiæ ordo, quod ea quæ ab ipſo providentur, cuncta eveniant eo modo, quo ipſe providet, ſive contingenter ſive neceſſariò.* Ex quo patet, Dei providentiam ſeſe attemperare naturali agendi modo illius rei, cui providet, nec libertatem evertere, ſed potius confirmare. Vide quæ in ſimili dixi de voluntate Dei. 152. *Providentia Dei non infert neceſſitatem rebus proviſis.*

SECTIO.

## SECTIO II.

### *De Prædeſtinatione.*

Quamquam prædeſtinationis negotium, inter inſcrutabilia & incomprehenſibilia judicia Dei numerandum ſit: aliqua tamen nobis de eodem myſterio Divina veritas revelavit, & SS. Patres Spiritu Sancto edocti nos docuerunt. Hoc tamen ante omnia in hoc negotio notandum eſt, quod *cùm de gratia vel electione ac prædeſtinatione diſputandum eſt, minor hîc ſoleat haberi antiquorum Patrum ratio, qui ante Pelagianam ortam hæreſim extiterunt, quam eorum, qui poſtea ſunt ſecuti: Latinorum verò multo major, quam Græcorum, propterea quòd magis aliquanto Latinam Eccleſiam, quam orientalem exercuit hæreſis Pelagiana.... omnium verò latinorum quorum in hâc controverſia major eſt authoritas, Princeps ſit Theologorum conſenſu S. Auguſtinus: cujus de gratia ſententiam, quotquot deinde ſecuti ſunt, Patres ac Doctores, tum verò Eccleſiæ Romanæ præſules, præſulumque conventus aliorum, ratam ac Catholicam eſſe judicarunt, ut hoc ſatis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Auguſtino poſitum & decretum eſſe conſtaret. Paucos dumtaxat recentiores excipio, qui in electione potiſſimum ad gloriam, vel prædeſtinatione pertractanda, ultro ſe ab Auguſtini opinione diſceſſiſſe profiteantur, ut præ cæteris Amb. Catharinus, ac nonnulli ex Scholaſticis Theologis fecerunt. Alii porrò ne tantum à ſe pondus authoritatis abjudicarent, Auguſtinum quoquo modo trahere in partes ſuas conati ſunt; & contra quam omnis retro antiquitas inſtituit, illius interpretari ſententiam: quod inter alios aggreſſus eſt Gabriël Vaſquez.* Hactenus Dionyſ. Petavius tom. 1. Theol. dogm. c. 6. num. 1.

153. *Quid in materia de prædeſtinatione notandum ſit.*

154. *Quid & quotuplex ſit prædeſtinatio.*

S. Auguſtini ergo veſtigiis incedentes, dico primò, prædeſtinationem generaliter eſſe præordinationem divinam aliquid faciendi, ut ait idem

idem Doctor l. de prædeſt. SS. c. 10. *Prædeſtinatione quippè Deus præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus.* Hac ſignificatione ſub ſe etiam comprehendit, præordinationem reproborum ad ſupplicium, hinc etiam dicitur prædeſtinatio ad mortem, *& eos* ait S. Aug. in Enchrid. c. 100. *Iuſtè prædeſtinavit ad pœnam.*

Communiùs tamen ſumitur prædeſtinatio in bonam partem, & eſt *præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur.* Ita S. Aug. l. de bono perſev. c. 14. & de hac prædeſtinatione ibidem dicit S. Doctor, *Prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, ut dixi, præparatio.*

Diſputant authores quid intelligatur nomine *præſcientiæ.* Ad quod reſp. Conformiùs S. Auguſtino intelligitur ſcientia viſionis, rerum ſcilicèt, quas Deus facturus ſit. *Prædeſtinatione quippè*, ait S. Doctor l. de prædeſt. SS. c. 10. *Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus.* 155. *Quid præſcientia in definitione prædeſtinationis.*

Dico 2. non poteſt, juxta hunc S. Doctorem intelligi hic ſcientia media ante deſcripta. Probatur, quia tali ſcientia Deus præſcit quid homines eſſent facturi, poſitis certis conditionibus: ubi tamen loco mox citato dicit S. Pater: *Non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit: promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines.* Hinc Deus non prædeſtinat aut decernit aliquid, quia prævidet aliquid futurum, ſed è contra ideo prævidet aliquid, quia decrevit illud agere aut permittere, adeò ut decretum ſit ratio, quare prædeſtinet, aut decernat. 156. *Rejicitur hic ſcientia Media.*

Ex quibus jam inde liquet, abſonum eſſe, & S. Patri Auguſt. adverſum, dicere prædeſtinationem gratiæ conditionatam præſupponere veniendi ſcientiam, ut dicunt aliqui. De ſe enim illud præſe fert ſenſum erroneum, cùm prædeſtinatio non ſupponat talem ſcientiam, ſed è contra ſcientia veniendi, præſupponat decretum & prædeſtinationem ita vocandi, ut indeclinabiliter veniant. Deindè prædeſtinatio gratiæ, nullam in homine præſupponit diſpoſitionem aut

præ-

præparationem, ſed ipſa eſt, quæ hominem quando, & quomodo vult diſponit & præparat, ut ſequatur ductum gratiæ. Denique, quæ quæſo in prædeſtinatione parvulorum talis conditionata veniendi ſcientia? Cur illos præſcit Deus, lavacro regenerationis ſalvandos, niſi quia eis dare decrevit baptiſmi gratiam. Unde S. Aug. l. 3. ad ſimplic. q. 2. *neſcio*, ait, *quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus: ad eamdem quippe miſericordiam pertinet, ut velimus.*

157. *Prædeſtinatio eſt actus voluntatis.* Ex hiſce Collige, quod prædeſtinationem rectiùs in actu voluntatis, quam intellectús divini Conſtituamus, cum ſit ratio quare aliquid decernat; tum etiam quòd S. Aug. in l. de prædeſt. SS. eandem ſæpè confundat cum electione, dum ait alibi. *Electi ſunt ante Mundi Cunſtitutionem ea prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſcivit*: Tum etiam quòd eamdem alibi vocet, *definitam ſcientiam voluntatis Dei.*

Collige 2. longè aberrare, qui docent ſcientiam hanc eſſe præviam prædeſtinationi, aut decreto Dei, eo quòd in prædeſtinationis definitione ab Auguſtino data, primo loco ponatur *præſcientia*, deinde *præparatio*; cum juxta Auguſt. ideo præparat dona, quia præparare decrevit, ideo præſcit, quia præordonavit, non è contra. Diſputant 2. quid intelligendum ſit in

158. *Quid ſint beneficia prædeſtinationis.* definitione nomine *beneficiorum*. Reſp. Aliqui per illam vocem tantùm intelligunt, gratiam & media ad ſalutem, non item gloriam, cùm per gloriam propriè non liberemur. Meliùs tamen intelligimus per *beneficia*, tam gloriam quàm gratiam, juxta illud Pſalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Hinc cum Eccleſia oramus, *adveniat Regnum tuum*; oratio autem eſt ſignum prædeſtinationis, ut docet Aug. l. de dono perſev. c. 23. Deinde per gloriam à ſervitute peccati liberamur, & quidem perfectiſſimè: nec liberi perfecti ſumus, quàmdiu *ſumus in corpore & peregrinamur à Domino*, donec *liberemur à ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ Filiorum Dei*, ut ait Apoſtolus Rom. 8.

Unde

Unde patet, hîc ſolùm definiri prædeſtinationem Sanctorum, non autem Angelorum, qui propriè non liberantur: neque etiam reproborum, etſi aliquando illis gratiæ beneficia præparantur: cùm non certiſſimè liberentur, & intelligatur liberatio perfecta, quâ *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis*, ut ait Apoſtolus & Evangeliſta Joannes 8.

Adeò ut hîc concludere Liceat cum S. Fulgentio l. 3. de verit prædeſt. Et gratiæ c. 1. ubi ait: *Neque ad æterna tantùm præmia; ſed etiam ad bona merita, gratuitâ bonitate Dei, ante mundi conſtitutionem in Chriſto prædeſtinatos, & hujus prædeſtinationis beneficio ſecundùm propoſitum vocatos & juſtificatos*, Nullus ambigere debet Christianus. En ergo dogma Chriſtianum, prædeſtinationem tam eſſe præparationem gloriæ, quàm gratiæ.

## SECTIO III.

### *Qualis fuerit Prædeſtinatio Angelorum.*

S. Auguſtinus l. 6. contra Julianum c. 2. duplicis meminit electionis, gratiæ ſcilicèt & meritorum; *venit*, ait, *Chriſtus in hunc Mundum non de Mundo eligendus, ſed electurus, non meritorum electione, ſed gratiæ.*

Dico 1. Angelorum electio vel prædeſtinatio fuit ex meritis prævîſis, non quaſi eligantur ipſa merita, ſed quiâ cauſa ſunt, cur Angeli ad gloriam fuerint electi. Probatur concluſio, 1. quidem quòd prædeſtinatio gratiæ, contra quam diſtinguitur prædeſtinatio ex meritis, ſit prædeſtinatio, quâ Deus præſcit quid ipſe facturus ſit, ut ait S. Aug. ſed Deus propriè non fecit perſeverantiam, quâ Angeli conſecuti ſunt gloriam, cùm adjutorium Angelis datum, non determinaret eorumdem arbitrium, ſed erat tale adjutorium voluntatis, quod desererent cùm vellent, non

159. *Quid prædeſtinati gratia, quid prædeſtinatio meritorū.*

non quo fieret ut vellent, ait S. Aug. in ſimili de adjutorio primi hominis de correp. & grat. c. 11. & longè probabitur in ſequentibus, agendo de gratia data primo homini.

Hinc diſcrimen volentium permanere in bono, à non volentibus permanere, non attribuitur adjutorio gratiæ, ſed voluntati Angelorum, nec merita Angelorum vocantur ſpecialia Dei dona, quatenus ipſum perſevrare non dabat ſpecialiter adjutorium gratiæ, ſed ipſum voluntatis arbitrium, etſi gratia neceſſaria foret, ut voluntas ſeſe poſſet ad bonum determinare, adeoque gratia dabat poſſe agere, ſed non ipſum agere.

160. *Prædeſtinatio Angelorum fuit ex meritu.* Quia ergo gratia divina non dabat Angelis perſeverantiam in bono, ſed eorum libero relinquebatur arbitrio, ac proinde non erat illis gratuitò donanda à Deo, ſed ab illorum voluntate: hinc electio illorum ad gloriam non erat gratuita, ſed ex meritis: hoc enim Deus gratis donat, quod ipſe facturus eſt, non quod homines, aut Angeli, & quando ipſe voluntati, tam dat agere, quàm poſſe agere, voluntatem indeclinabiliter movendo ad bonum.

Probatur 2. quia S. Auguſtinus prædeſtinationem gratiæ ſemper refundit in maſſam damnatam, ex qua Deus eripit, quos vult, uti Epiſt 106. & enchr. c. 99. atqui Angeli prædeſtinati, numquam fuerunt in maſſa damnata, unde nec liberantur certiſſimè, quod tamen prædeſtinatio gratiæ importat, ut illâ liberentur certiſſimè quicumque liberantur, ergo.

Probatur 3. quia S. Auguſtinus hac de cauſa, nullibi electionem Angelorum prædeſtinatam dicit, ſed præſcitam: item eorumdem prædeſtinationem non attribuit gratiæ, ſed eorum meritis, uti etiam diſcretionem prædeſtinatorum & perſeverantium à non perſeverantibus.

Denique enchridii c. 106 & de corrept. 16. apertè docet, gloriam fuiſſe mercedem meritorum, quæ nunc eſt merces gratiæ, ſi homo non peccaſſet; eſt autem

autem eadem ratio de Angelis, quæ de homine in ſtatu innocentiæ, quia ſupponitur utrobique nullum præceſſiſſe peccatum.

Objicies primò, quomodò ergo D. Th. 1. p. q. 23. a. 1. ad 3. docet quòd prædeſtinatio competat Angelis ſicut hominibus, hominum autem prædeſtinatio ſit prædeſtinatio gratiæ juxta nos. Reſp. id rectè docet S. Doctor, ſed ex ejuſdem contextu conſideravit prædeſtinationem ad eundem terminum ad quem, ideſt ad gloriam. Unde illud *ſicut* dicit æqualitatem ad talem terminum, non quòd Prædeſtinatio Angelorum & hominum ſit per omnia æqualis, ſed quod una ſit ex meritis, alia gratiæ, ut probabitur.

Objicies 2. conſtans eſt SS. Patrum ſententia, Deum ideò condidiſſe naturam rationalem, ut eamdem ad ſalutem perduceret, adeò ut omnium illarum creatio proceſſerit ex decreto eoſdem pariformiter beatificandi. Reſp. verum eſſe quod prætendit objectio, adeoque pariformiter ſunt prædeſtinati ad eumdem finem, puta beatitudinem. Vel etiam pariformiter per omnia prædeſtinati ſunt, ſi loquamur de Angelis & homine integro, non item de homine apſo. 161.

*Similis eſt prædeſtinatio Angelorum, prædeſtinationi hominum, in ordine ad gloriã, non item in ordine ad modum prædeſtinãdi.*

Objicies 3. juxta Catholicam veritatem, ſemper ad perſeverandum opus fuit gratia prædeterminante, quâ ratione perſeverantia Deo principaliter ſemper fuit adſcribenda, non voluntati creatæ, ergo nullum eſt ſententiæ noſtræ fundamentum. Reſp. quidem ad omnem actum bonum neceſſaria eſt gratia, ſed pro diverſitate ſtatûs, gratia difformis, cùm Deus unumquodque moveat juxta exigentiam ſtatûs & conditionis; ut ait S. Th. unde etiam S. Aug. l. de cor. & grat. c. 11. *Quid ergo*, rogat, *Adam non habuit gratiam? imò verò habuit magnam*, SED DISPAREM.

Objicies ultimò, juxta Apoſtolum 1. cor. 4. dicitur, *Quis eſt qui te diſcernit quid habes quod non accepiſti,* quod

quod etiam Angelis appropriat S. Anſelmus, dum pro titulo in dialog. ponit: *Quod etiam ad Angelos dici poſſit; quid habes quod non accepiſti.* Adeòque juxta Anſelmum etiam Angelorum perſeverantia Deo erit adſcribenda. Reſp. idem vult S. Doctor & alii in ſimilibus, quod mox diximus, ſcilicèt, pro ſemper & omni creaturæ Dei auxilium eſſe neceſſarium ad benè agendum, diverſum tamen pro diverſitate ſtatûs & Conditionis.

## SECTIO IV.

### De Prædeſtinatione Hominum:

*An ex parte prædeſtinati detur aliqua Cauſſa.*

QUæstio eſt, an volitionis divinæ, quâ aliquos prædeſtinat, poſſit dari cauſa vel moralis vel ratio, quarè illos præ aliis eligat, uti datur cauſa reprobationis, ſcilicèt peccatà præviſa.

Qua in re primò rejicienda eſt Pelagii opinio, quâ docebat, ideò Deum aliquos prædeſtinaſſe, quia præviderat eos bene victuros, idque ſolis naturæ viribus.

Rejicienda quoque eſt aliorum ſententia quâ docent merita præexiſtentia eſſe talem cauſam, uti & futura.

Alia fuit Semipelagianorum ſive Maſſilienſum opinio, quâ docebant Deum aliquos prædeſtinaſſe; quia prævidit aliquos, gratiam (quam omnibus offert) per vires liberi arbitrii acceptaturos, & in eadem perſeveraturos, adeò ut oblatio gratiæ eſſet opus Dei, gratiæ verò acceptatio eſſet opus ſolius liberi arbitrii, ſicque initium boni operis volebant eſſe ex ſolis naturæ viribus.

162. *Non datur cauſa præ-* Dico ergo ad propoſitam quæſtionem 1. merita præcedentia non eſſe cauſam prædeſtinationis, cùm ut

ut ait Sacra Scriptura ad Rom. 9. *Cum nondum nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Jacob dilexi*, &c. & ad Titum. 3. *Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos ſecit.* *deſtinationis hominum lapſorum, niſi ſola Dei miſericordia.*

Dico 2. nec Fidem, nec initium Fidei eſſe cauſam prædeſtinationis, prout à libero arbitrio abſque ſpeciali Dei gratia proveniunt, quaſi Deus ratione talis Fidei, aut ejus initii, decreviſſet dare gratiam ad perſeverandum. In hac opinione Semipelagianorum, alioqui virorum doctiſſimorum, ſtatuentium initium Fidei ex nobis, dudum fuit S. Auguſtinus ante Epiſcopatum, ut patet ex expoſitione quarumdam propoſitionum, Epiſt. ad Rom. propoſit. 60. quam tamen ſententiam poſteà, toto libro de prædeſt. Sanctor. correxit & retractavit.

Hinc ipſe Aug. dicto l. c. 22. quærit. *Et ipſum igitur initium Fidei noſtræ, ex quo niſi ex ipſo (Deo) eſt?* Idem patet ex 2. cor. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus, cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ad quod rurſum S. Doctor: *Attendant hìc & perpendant verba iſta, qui putant ex nobis eſſe Fidei cœptum, & ex Deo eſſe Fidei ſupplementum.* Idem docet Apoſtolus 1. cor. 7. ad Eph. 1. & alibi, refundens prædeſtinationem totam in Dei miſericordiam tamquam cauſam. Hanc verò ſententiam ita in S. Auguſtino claram eſſe judicavit Bellarminus, ut, agens de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Auguſtino, colligat libellum de prædeſtinatione Dei non eſſe S. Auguſtini, *Cùm in extremo libro doceat prædeſtinationem eſſe ex præviſione meritorum, quam ſententiam ubique S. Auguſtinus oppugnat.*

Dico 3. nullum plane opus ſolis naturæ viribus factum, poteſt dici eſſe cauſa meritoria de condigno, vel de congruo ſeu impetratoria, aut poſitivè diſponens ad primum effectum prædeſtinationis recipiendum. Ratio illius eſt, quòd Scriptura Sacra omnem omninò meriti rationem excludat ab operibus ſolis

naturæ viribus factis. Radix autem illius eſt, quòd homo lapſus, nil poſſit agere rectè & meritoriè ad gloriam, ſolis naturæ viribus, ſed illis relictus in pejus ruat, preſſus pondere concupiſcentiæ, niſi gratia Salvatoris eum protegat & erigat, nam ut ait S. Proſper carmine de ingratis c. 40.

*Nec jam captivus oculos extollere in altum*
*—————— —————— Sponte poteſt.*

Dico 4. Tota ratio elargitionis gratiæ aut gloriæ quoad electos, ex ſola prædeſtinantis Dei miſericordia eſt petenda, qui quando vult & quibus vult, miſericordiam ſuam impertit; adeò ut aliis murmurantibus rectè dicere poſſit, *Amice non facio tibi injuriam, tolle quod tuum eſt & vade: an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum: an non licet mihi quod volo facere?* Math. 20.

163. *Cur unus præ alio eligatur.* Quæres an talis cauſa meritoria non poſſit dici eſſe, ſi homo faciat, quod in ſe eſt? Reſp. hic cum Auguſt. l. 1. de pecc. meritis c. 22. *Quòd aliqui ignorantes gratiæ altitudinem, fabulas improbabiles texuerunt.* Inde enim contigit aliquibus, facilis inveniendi ratio, quare unus præ alio eligatur ad gloriam, quod tamen Apoſtolus & S. Auguſtinus inter altitudinem & inſcrutabilitatem conſilii poſuerunt divini, dum docent, ideò unum eligi præ alio, quia unus facit quod in ſe eſt, alter non. Modeſtiùs S. Aug. Epiſt. 105. ad Sixtum: *Cur*, ait, *illum potiùs quam illum liberet aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt, judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium.*

Deinde ex inæqualiter conantibus aliquando optimus repellitur & peſſimus aſſumitur, ut diſertè tradit idem S. Pater l. 1. de peccat. meritis c. 21.

Quare concludimus cum eodem l. 4. ad bonif. c. 6. *non itaque iſtam ſcrutari audeant inſcrutabilem quæſtionem.... & grata ſit nobis ejus gratuita miſeratio, etſi hæc profunda inſoluta ſit quæſtio.*

## SECTIO V.

*An efficax electio hominum, ſit facta ante prævi-ſionem meritorum?*

Respondeo 1. Omnium omninò hominum prædeſtinatio, poſt lapſum præviſum, facta eſt, ante præviſionem meritorum. Etſi vero aliqui hoc verificari tantùm velint de Deipara, Apoſtolis & aliis eximiè Sanctis, de omnibus tamen verum eſt, nec duplex eſt ſtatuendus prædeſtinationis ſalvandorum ordo, cujus numquam meminerunt SS. Patres. 164. *Efficax electio hominũ lapſorum eſt gratuita, antè præviſionem meritorũ.*

Probatur concluſio 1. ex Sacra Scriptura ad rom. 9. ubi apertè Apoſtolus docet, *Non ex operibus, ſed ex vocante factum eſſe, ut Deus Jacob diligeret, Eſau odio haberet.* Nec dici poteſt, hîc tantùm agi de electione ad gratiam, non item ad gloriam, ut quidam fingunt, cùm Apoſtolus expreſsè agat de talibus, quos confundit cum vaſe in honorem ideſt gloriam, quoſque diſtinguit contra vas in Contumeliam, ideſt in damnationem. Inſuper agit de iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, qui non poſſint ſeparari à Charitate Dei, quæ propriè tantùm conveniunt prædeſtinatis ad gratiam & ſimul ad gloriam. Cui loco Apoſtoli innitens S. Auguſt. contra 2. Epiſt. Pelag. c. 7. l. 2. ait: *Profectò deſipitis, qui dicente veritate non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum eſſe præſciebat, Jacob fuiſſe dilectum atque ita contradicitis Apoſtolo dicenti, non ex operibus, quaſi non poſſet dicere, non ex præſentibus ſed futuris operibus, ſed ait, non ex operibus, ut gratiam commendaret.*

Idem apertè tradit Scriptura Sacra ad rom. 8. ubi dicitur: *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri, &c. quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, quos autem vocavit, hos & juſtificavit; quos autem juſti-*

*ficavit, hos & glorificavit.* Ubi clarè docet Scriptura prædeſtinationem & vocationem electorum factam eſſe ex propoſito dandi gloriam, quod præcedit voluntatem vocandi, adeoque & præſcientiam meritorum, quæ à vocatione pendent.

Idem docet S. Textus Lucæ 12. ubi dicitur, *Nolite timere puſillus grex, quia* COMPLACUIT *Patri veſtro dare vobis regnum.* Item ad Eph. 1. ubi dicitur. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti;* Et alibi dum docet merè ex gratuito Dei beneplacito provenire, quòd alios eligat ad gloriam, eos vocet, & ſpecialibus mediis ad finem promoveat.

165. S. Aug. Idem Conſtanter ubique tradit S. Auguſtinus, & ſignanter loco mox citato contra 2. Epiſt. Pelag. uti etiam c. 7. de correp. ubi ait: *Quicumque ergo ab illa originali damnatione, iſtâ divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quod & procuretur eis, audiendum Evangelium, & cum audiunt, credunt, & in Fide quæ per dilectionem operatur, uſque in finem perſeverant, & ſi quando exorbitant, correpti emendantur.* Ubi apertè docet, quòd non ideò aliquis ſit diſcretus quia crediturus, ſed è contrà ideò crediturus, quia diſcretus & præordinatus ad gloriam.

166, S. Proſp. Idem ſentiunt S. Auguſtini diſcipuli S. Proſper & S. Fulgentius. Prior quidem ſcribens ad excerpta Gall. & Genuenſium in fine ita de S. Auguſt. loquitur. *Abundanter probavit prædicandam eſſe Eccleſiæ prædeſtinationem, in qua eſt gratiæ præparatio; & gratiam in qua eſt prædeſtinationis effectus: & præſcientiam Dei, in qua ante ſæcula æterna, quibus eſſet collaturus ſua dona, præſcivit: cujus prædeſtinationis quiſquis eſt impugnator apertiſſimus, eſt Pelagii adjutor.*

167. S Fulgentius. Poſterior vero l. de incarn. & grat. c. ult, ita docet. *Ita nihil provenit in ſalutem hominum, quod ille non in æterna bonæ voluntatis ſuæ diſpoſitione faciendum prædeſtinaverit, à quo & gratis Fides infunditur, per quam bene ambulemus, & perſeverantia donatur, per quam ad ſpeciem pervenire poſſimus: hæc autem dona ſua ſemper Deus*

*in*

*in æterna atque incommutabili habet voluntate diſpoſita, in qua præordinavit atque præparavit, & quæ daret, & quibus daret; ipſe autem prædeſtinando præparavit gratiæ donum, qui gratiam donando implet prædeſtinationis effectum.*

Suadet ſententiam noſtram ipſa æquitatis ratio, primò deſumpta ex eo quòd intentio finis ſit prior diſpoſitione mediorum ad talem finem, v.g. prior eſt intentio ſanitatis, quàm adhibendi medicinam: ergo prior eſt voluntas aliquem eligendi ad gloriam, quàm providendi de mediis, ideſt de meritis ad illam. 168. *A ratione*

Secunda ratio eſt, quòd gloria ſit homini præparata non tantùm ut eſt merces, ſed etiam ut eſt gratia, teſte Apoſtolo dicente Rom.6. *Gratia Dei, vita æterna*; adeoque non poteſt dici præparata intuitu meritorum, cùm ita non tam eſſet gratia, quàm merces.

Tertia ratio eſt, quòd alia ſententia verificari nequeat in parvulis, qui ſuſcepto Baptiſmo moriuntur, cùm in illis nulla merita ſint, quæ poſſent prævideri. Vide de hac ratione ſupra ſect.3. cap. 3.

Quarta ratio, quòd quidquid eſt gratiæ, ſit prædeſtinationis effectus, non cauſa: ſed merita hominis lapſi ſunt gratiæ, ergo ſunt prædeſtinationis effectus, non ejuſdem cauſa.

Quinta ratio, quòd S. Auguſtinus ſortem dicat, quòd unus prædeſtinetur, alius non prædeſtinetur: quòd juxta alios non ſorte obveniret, ſed ex prævisis meritis. Vide S. Auguſt. in Pſ. 30. Conc. 2. ad illud: *In manibus tuis ſortes meæ*, ubi ait: *quando Deus nulla merita noſtra invenit, ſorte voluntatis ſuæ nos ſalvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus.*

Sexta ratio, quòd contraria nobis ſententia, non longè diſcrepet à ſententia Maſſilienſium, cùm iiſdem innitatur fundamentis, uti patet ex Epiſt. Proſperi ad Aug. adeò ut Amb. Catharinus l. 1. ſummæ de prædeſt. audeat dicere, Pelagianum eſſe dicere prædeſtinationem eſſe ex meritis: idque ideò quia ſi prædeſtinatio ſit ex meritis præſcita, jam merita à Deo non videntur eſſe præparata, quod planè Pelagianiſmum redolet.

## Sectio VI.

### *Diſſolvuntur argumenta in contrarium allata.*

Objiciunt 1. varia ſcripturæ loca, quæ innuunt dari gloriam propter merita, ut Math. 34. ubi dicitur: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. Reſp. quando dicitur dari

169. *Deus ab æterno decrevit dare gloriã ob merita in tempore ponenda: quod decretum eſt etiam gratuitũ.*

gloriam bonis operibus tamquam mercedem, & Coronam juſtitiæ, non ſignificatur, Deum aliquibus decreviſſe gloriam propter merita, adeo ut merita, ſint cauſa vel ratio talis decreti: ſed ſolummodò ſignificatur Deum ab æterno aliquibus decreviſſe gloriam, ſed non niſi per merita acquirendam in tempore, adeò ut ſenſus ſit: quia eſurienti dediſtis cibum, poſſidete jam regnum, non quod ideò paratum vobis fuit. Hinc duplex hìc in Deo diſtingui poſſet voluntas, una prædeſtinativa, alia executiva: prior eſt voluntas dandi gloriam, abſtrahendo an ob merita, an ſine reſpectu ad illa. Executiva, quæ in tempore aliquid efficit, prout ab æterno fuit in divina voluntate diſpoſitum.

Deinde Deus decrevit homini dare gloriam ab merita gratuitò à ſe donanda, quod decretum, etſi merita reſpiciat, eſt tamen gratuitum, cùm totum à gratuita Dei voluntate dependeat. Unde hoc ſenſu falſum quoque eſt, merita præviſa eſſe rationem decreti prædeſtinandi, cùm ſub eo comprehendatur decretum dandi merita.

Objiciunt 2. varia Scripturæ loca, quæ gloriam ſub conditione promittunt, v.g. Math. 19. *Si vis ad vitam ingredi; ſerva mandata*, &c. Deinde inſolens eſt apud homines illud promittere ſub conditione, quod abſolutâ voluntate nunc eſt diſpoſitum. Reſp. aliud eſt promittere gloriam, aliud ad gloriam eligere vel

præ-

prædeſtinare. Electio enim ſpectat ordinem intentionis, promiſſio ordinem executionis. Electio eſt æterna, promiſſio temporalis, electio abſoluta, promiſſio conditionata, &c.

Deinde quamvis inter homines illud abſonum eſſe videatur, quod habet objectio, in Deo non itidem, ſine quo nihil poſſumus, & qui facit ut faciamus, omnia cum nobis & in nobis operando, etiam merita quibus gloriam promeremur: ac proinde aliquid promittere poteſt, ſub conditione meritorum ab homine quidem ponendorum, ſed quæ Deus ipſe donat, ut fiant.

Objiciunt 3. varia Scripturæ loca, quæ tradunt præſcientiam eſſe priorem prædeſtinatione, ut Rom. 8. *Quos præſcivit & prædeſtinavit*, &c. Reſp. aliquorum opinione to *præſcivit*, idem eſt, quod *dilexit*, uti etiam ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit*, præſcientiâ dilectionis. Deinde, etſi propria præſcientia intelligatur, nihil planè obſtat, cùm nulla hîc importetur cauſalitas, ſed ſola concomitantia præſcientiæ cum prædeſtinatione.

Objiciunt 4. Sanctos Patres, ipſum quoque Auguſtinum tamquàm nobis contrarium. Sed quid miri, cùm & ipſe quondam Pelagius pro ſe allegare Auguſtinum adhuc viventem non erubuerit, uti patet ex l. de natura & grat. c. 67.

Interim notandum, SS. Patres, qui ante ortam Pelagii Hæreſim ſcripſerunt, eſſe cautè legendos, uti nos monet S. Aug. l. de prædeſt. c. 14. etſi idem S. Doctor ſuam de prædeſtinatione ſententiam ex SS. Patribus probet l. de bono perſev. c. 19.

Notandum inſuper Sanctos Patres per electionem ſæpè intelligere, electionem temporariam, ideſt ad bona temporalia; vel etiam effectum & executionem electionis.

Notandum denique ex Eſtio, non magni faciendum eſſe in hac materia Origenem, uti nec Rupertum, Æcumenium, Theodoretum, Theodulum & ſimi-

ſimiles Origenem in hac parte anxiè ſequentes.

170. *S. Aug.* Ex S. Auguſtino ergo 1. objiciunt, quod l. 1. ad Simpl. q. 2. dicat: *Non tamen electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio: nemo enim eligitur, niſi jam diſtans ab illo, qui rejicitur.*

Secundò; quòd c. 3. de ſpir. & lit. dicat, *Præſcivit, ut prædeſtinaret.*

Tertiò: quòd ſerm. 3. de verb. Domini, Deum indicat hoc modo loquentem: *Ego eos elegi, quia vidi mentes illorum bene præſumentes de me, non de ſe, nec de Baal.*

Quartò: quæſtione 60. inter 85. dicit: *Deus cujus vult miſeretur & quem vult indurat, ſed hæc voluntas injuſta eſſe non poteſt, venit enim de occultiſſimis meritis.*

Reſpondeo ad 1. quod objicitur, Auguſtinum loqui de electione, quæ fiet in die judicii, quam præcedit juſtificatio. Deinde nolebat ibidem gratuitam prædeſtinationem vocare electionem, eo quòd comprehendere non poterat, quomodò inter duo planè ſimilia poſſit eſſe electio, quam opinionem poſtmodum correxit.

Ad ſecundum reſpondeo, loqui S. Patrem de præſcientia, quâ præſcit, quid ſit ipſe facturus, vocando, juſtificando, conformiter ad illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Quos præſcivit, ut prædeſtinaret.*

Ad 3. reſpondeo, S. Patrem agere de electione in ſervum Dei, vel quid ſimile: agit enim de iis, ſicut de aliis anteactis, puta de electione in ſervum Dei, uti egerat de electione in diſcipulum Chriſti.

Ad 4. Denique, dico cum Eſtio illud in ſimili à S. Patre eſſe retractatum l. 1. retract. c. 26. vel etiam cum Greg. Ariminenſi, to *ob occultiſſima merita*, referendum eſſe ſolùm ad illud *indurat*, induratio autem actualis non fit, niſi ob demerita.

171. *S. Proſper.* Ex S. Proſpero objiciunt 1. quòd Epiſtola ad Auguſt. expreſsè doceat ſententiam contrariam eſſe omnium præteritorum Patrum. 2. quòd reſp. 2. ad object. Vincent. dicat: *Qui præſciti ſunt caſuri, non ſunt* *præ-*

*prædeſtinati, eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri.*

Reſp. ad primum, tantùm dicere S. Patrem *priores* omnes ita tradidiſſe, *priores*, nempè Maſſilienſes, de quibus ante egerat, adeò ut idem ſit, quod *prædicti*. Deinde notandum S. Proſperum initio aliter docuiſſe, ſed à S. Auguſtino edoctus nobiſcum docuit, ut patet ex ejuſdem ſcriptis.

Ad 2. Reſpondeo, S. Proſperum agere & allegare cauſam cognoſcendi, non eſſendi, adeò ut ſenſus ſit: certò conſtat, ex eo quòd prævisi ſint caſuri, eoſdem non eſſe prædeſtinatos, non quòd præſcientia ſit cauſa prædeſtinationis.

Ex S. Fulgentio opponunt illud quod habet ad Monimum l. 1. ubi ait: *Prædeſtinavit ad regnum, quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio redituros & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio manſuros.* Ad quod Reſp. Fulgentium loqui de executione electionis: vel etiam quod illos prædeſtinavit, quos vi ſuæ prædeſtinationis & decreti præſcivit ad ſe redituros & in juſtitia permanſuros. Idem dici poteſt ad aliorum SS. Patrum ſimilia objici ſolita. 172. *S. Fulgentius.*

Dicet aliquis, D. Thom. 3. p. 94. a. 1. ad 3. expreſsè dicit: *Prædeſtinatio præſupponit ſcientiam futurorum.* Reſp. Agit D. Thomas de prædeſtinatione Chriſti, quæ facta eſt poſt præviſionem peccati Adami, poſt cujus præviſionem facta etiam fuit noſtra prædeſtinatio, uti poſteà probabitur: nec ideò eſt dicenda prædeſtinatio ex præviſis meritis, ſed demeritis.

---

## SECTIO VII.

*Diſſolvuntur alia argumenta à ratione deſumpta, & rejiciuntur incommoda prætenſa.*

Objiciunt ulteriùs aliqui: Deus decrevit ab æterno hominem ſalvare ob merita, ergo prædeſtinatio eſt ex præviſione meritorum. Reſp. decrevit

vit ab æterno ſalvare hominem ob merita in tempore à Deo gratuitò danda & ponenda, ſic verum eſt, quod obtendit objectio. Non tamen verum eſt, quaſi præſcientia meritorum eſſet cauſa talis decreti.

173. *Quando mereri poſſit id, quod gratis eſt decretum.* Objicies 2. Nullus mereri poteſt, quod gratis eſt decretum, ergo ſi gloria ſit gratis decreta, eamdem promereri non poſſumus. Reſp. ſi decretum nullum habeat ordinem ad meritum, ſic verum eſt quod prætenditur: aliàs ſi ordinem habeat, falſum eſt, cùm Deus non voluerit dare gloriam, niſi ob merita, ob quæ in tempore datur & gloria.

174. *Prædeſtinatio abſoluta non evertit libertatem.* Objiciunt ulteriùs varia incommoda ex noſtra ſententia ſequi nata: Primò quidem, quòd libertatem hominis evertat. Ad quod reſpondeo prædeſtinationem illam eſſe decretum hominem ſalvandi & media procurandi quibus infallibiliter gloriam aſſequetur, ſic tamen, ut liberum hominis arbitrium ſtabiliat & confirmet potiùs, quam evertat. Nam ut ait S. Auguſt. 89. qq. q. 2. *Voluntas libera tanto erit liberior, quanto ſanior: tanto autem ſanior, quanto divinæ miſericordiæ gratiæque ſubjectior.* Recolendum quoque divinæ voluntatis decretum ſeſe attemperare naturali agendi modo creaturæ, cum qua in tempore concurrere decrevit, & ut ait S. Th. Deus ita voluntatem movet, eo modo quo vult, & quomodo vult, & quando vult, & juxta naturæ ejus conditionem. Plura de his dabo in materia de gratia.

175. *Nec inducit fatum.* Secundò incommodum quod obtendunt, eſt, quòd ex noſtra ſententia ſequatur fatum inevitabile, imò ſtoico fato infinities potentius: ſic etiam objiciebant hac in re Semipelagiani fatalem neceſſitatem; idem faciunt & Lutherani & Calviniſtæ. Ad quod Reſp. idem quod mox ante, Deum ſcilicèt, qui noſtras in ſua manu habet voluntates, eaſdem flectere pro ſua volutate, & juxta ejuſdem naturam & conditionem. Unde rectè D. Proſper reſp. ad object. 1. Gall. concludit: *Qui prædeſtinationis nomine fatum prædicat, tam non eſt audiendus, quam qui fati nomine veritatem prædeſtinationis infamat.* Ter-

Tertiò, objiciunt, noſtram ſententiam dare occaſionem deſperandi, ſegniùs operandi, ſentiendi de Deo non in bonitate, &c. eadem Auguſtino occinebant Semipelagiani, quibus proinde cum eodem reſcinimus, l. de bono perſev. c. 17. ubi ait: *Ego nolo exaggerare verbis meis, ſed illis cogitandum potiùs relinquo, ut videant quale ſit, quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione prædeſtinationis audientibus plus deſperationis, quàm exhortationis adferri: hoc eſt enim dicere, tum de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſe ipſo, ſed in Deo didicerit ponere.* Unde & alibi dicit, c. 6. præfati libri: *Tutiores vivimus, ſi totum Deo demus:* Si tutiores ergo minùs deſperationi obnoxii. 176. *Nec dat occaſionē deſperandi, ſegnius operandi, &c.*

Deinde addimus cum S. Proſpero l. 2. voc. gent. c. 36. ubi ait: *Quamvis quod ſtatuit Deus, nulla poſſit ratione non fieri: Studia tamen non tollantur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrii devotio relaxetur: cum implendæ voluntatis Dei, ita ſit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum, fiant incrementa meritorum, & qui bona geſſerunt, non ſolùm ſecundùm propoſitum Dei, ſed etiam ſecundum ſua merita coronarum.*

Inſuper orationis ſtudium evertit pars adverſa, dum prædeſtinationis effectus, ponit in libero voluntatis arbitrio, approbans illud commune pſeudoprincipium: *Si non es prædeſtinatus, fac ut prædeſtineris: quid autem*, rogat S. Auguſt. l. de natura & gratia c. 18. *Stultius, quàm orare ut facias, quod in poteſtate habeas?*

Objiciunt 4. nos invehere prædeſtianiſmum, cujus dogma erat, nil prodeſſe opera bona, cum firmum ſtaret prædeſtinationis divinæ propoſitum, nec poſſe ſe illud inflectere aut variare. Ad quod rectè reſpondet Hugo Vict. l. 1. Miſcell. c. 183. *Non prudentium*, ait, *diligentia, ſed ſtolidorum querela eſt: ſine me: ita vivam: qui ad vitam prædeſtinatus eſt, perire non poteſt. Quare conabor? quod futurum eſt, fiet. Et tamen nemo vulneratus aut æger dicit, ſine me: ſi victurus ſum, non moriar* 177. *Nec inducit prædeſtianiſmū.*

*moriar. Quid medicus faciet? quod futurum eſt, fiet. Non timent animæ ſuæ legem dare, quam corpori ſuo præſcribere nolunt. Clamant hoc quotidiè perverſi: nolite admonere, nolite corrigere, ſi Deus vult, juſtificabit nos, & nemo dicit nolite cibum præparare, nolite veſtimentum dare, ſi vult Deus, paſcet & veſtiet nos.*

Unde concludo cum Facult. Theol. Lovan. Cenſura ult. *Sententia hæc* (ſcilicèt nobis contraria) *divinam bonitatem obſcurat, juſtitiam enervat, Scripturis illudit, Patrum teſtimonia in alienos ſenſus detorquet, humanæ rationis corruptioni applaudit, humilitatis fundamentum evertit, precandi neceſſitatem non magnam relinquit, propriarum virium fiduciam ingenerat*, &c.

---

## SECTIO VIII.

### *An electio gratuita facta ſit poſt prævisionem peccati originalis?*

ALIQUORUM ſenſu, prædeſtinatio gratuita eſt in ſigno naturâ priori ante præviſum peccatum originale: adeò ut Deus hominum maſſam contemplando innocentem, aliquos ad vitam elegerit, aliquos ad mortem. Ad vitam quidem non miſericorditer, cùm nulla præceſſerit culpa, ſed benevolo & paterno affectu, cæteros autem negativè reprobando.

178. *Prædeſtinatio abſoluta facta eſt poſt præviſionem peccati originalis.*

Verùm ſententia illa directè repugnat S. Auguſtino & aliis SS. Patribus. Illis enim prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur: liberatio verò dicit reſpectum ad ſervitutem, de qua liberantur prædeſtinati. Servitus autem illa Sanctorum Patrum ſenſu eſt, peccatum originale, quo præviſo exſurgit in Deo decretum liberandi, quos prædeſtinat. Decretum enim liberandi concipi nequit, niſi prævia ſervitute, ſicuti nec decretum ſanandi, ſine præſcientia

tia & prævisione ægritudinis, quæ utrumque eſſentialiter reſpicit.

Hinc eſt, quod S. Auguſt. Pelagianos & alios oppugnans, ſæpè meminerit maſſæ damnatæ ob peccatum, occaſionem ſumens ex Apoſt. ad Rom. 9. ex quâ maſsâ damnatâ, aut ut alibi eam vocat, *Maſſâ perditionis*, & *conſperſione*, vaſa quædam facit in honorem, alia in Contumeliam, idque miſericorditer vel juſtè. Unde de grat. & natura c. 5. ita diſſerit: *Univerſa maſſa pœnas debebat; etſi omnibus debitum damnationis ſupplicium redderetur, non injuſtè procul dubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vaſa meritorum ſuorum, ſed miſericordiæ nominantur. Quis igitur uſque adeò dementiſſimè inſaniat, ut non agat ineffabiles gratias miſericordiæ quos voluit liberanti, qui rectè nullo modo poſſet culpare juſtitiam univerſos omnino damnantis?*

Ex tali ergo maſſa miſericorditer liberantur, quicumque liberantur, & juſtiſſimè in eadem relinquuntur, quicumque damnantur.

Adde hoc ex S. Auguſtino urgere adverſarios, quòd Deus aliàs cenſeretur inclemens & durior, aliquos ſine ſua culpa negativè reprobando & faciendo vaſa in contumeliam: quod etſi alii dicere non vereantur, aliud tamen cum Auguſtino ſentimus de Domino in bonitate. 179.

*Durum eſt aliquos ſine ſua culpa negativè reprobare.*

## SECTIO IX.

*An prædeſtinatorum numerus ſit certus & quomodò.*

Cum Deus cœleſtem civitatem condere decreviſſet, cujus cives in æternum Deum laudarent, certum aliquem numerum in ſua ſapientia definivit, ita tamen, ut ſi qui ex iiſdem caderent, alii in locum illorum ſubſtituerentur. Cùm ergo plurimi angelorum cecidiſſent, reſtabat hominum genus, ex quo ruinam

180. *Homines implent ruinas Angelorum.* ruinam reſarciret Angelorum, & præfixum numerum adimpleret. Hinc, ut apertè docet S. Aug. l. 9. Geneſ. ad lit. c. 3. ſi homo in innocentia perſtitiſſet, tam diu in Paradiſo eſſent multiplicati, donec numero impleto, ad æternam vitam omnes eſſent tranſlati. Tantus ergo tunc numerus fuiſſet hominum innocentium, quantus nunc congregabitur lapſorum, & contra; adeo ut præfixum à Deo numerum non excedent neque remittent, & hac ratione prædeſtinatorum numerus eſt certus.

181. *Dubium eſt an angelorum numerus excedet numerum hominum ſalvandorum.* An autem numerus hominum ſalvandorum excedet numerum Angelorum beatorum, planè incertum eſt, & ſub dubio de eo dicit S. Auguſtinus l. 2. de civit. c. 1. *Quod ſuperna illa Jeruſalem mater noſtra, civitas Dei, nulla civium ſuorum* (ideſt Angelorum) *numeroſitate fraudabitur, ſed uberiore etiam copia* FORTASSE *regnabit.*

Ex quo conſequitur, quòd quo ſanctiùs hominum vita decurreret, eo citiùs acceleraretur terminus ſæculi, ut docet S. Aug. l. de bono conjug. c. 10.

182. *Numerus hominum ſalvandorum eſt formaliter & materialiter certus.* Numerus ergo ille ſecundarius hominum ſubſtituendorum, non tantùm formaliter certus eſt, ideſt quot ſint futuri, ſed etiam materialiter, id eſt quinam præcisè tales ſint futuri. Novit enim Dominus qui ſunt ejus, novit quos elegit ad coronam & quos relinquat ad flammam. Hac ratione S. Auguſtinus reprobos aliquando vocat *ſupernumeratos*, quia numerum electorum excedunt.

Quantus autem ſit ille numerus, illi ſoli notum eſt, qui numerat multitudinem ſtellarum, unde Eccleſia: *Deus cui ſoli cognitus eſt numerus in æterna felicitate locandus.*

183. *Quomodò prædeſtinatio juvari poſsit precibus Sanctorum.* Poteſt interim prædeſtinatio juvari precibus Sanctorum, non quaſi illud qnod prædeſtinatum non eſt, prædeſtinetur, ſed quod effectus prædeſtinationis juvari poſſit. Hinc Deus prædeſtinavit multos, quos tamen non ſalvat, niſi intermediis aliis, quæ procurat, ut inter alia ſunt preces Sanctorum, quibus prædeſtinatio juvari dicitur.

SECTIO

## SECTIO X.

### *De effectibus Prædeſtinationis.*

AD effectum prædeſtinationis requiritur ut ſub providentiam Dei generalem hominem ad beatitudinem deducendi cadat. Hinc gratia & gloria ante omnia ſub illam cadunt, & ſunt proprii prædeſtinationis effectus. 184. *Qui poſſit eſſe effectus prædeſtinationis.*

Non tamen requiritur ad effectum illum, ut ſit bonum ſupernaturale, cùm nequidem neceſsè ſit, ut ſit bonum.

Rememoratâ ergo diviſione prædeſtinationis, in bono & ad pœnam, dico 1. adæquatum effectum prædeſtinationis in bono & gratuitæ, eſſe liberationem per gratiam, non prout ab effectu diſtinguitur, ſed eundem comprehendit neque ut à gloria differt, ſed eam complectitur, quatenus ſunt beneficia liberationis.

Triplex tamen ſolet ſtatui generalis effectus prædeſtinationis, ſcilicèt vocatio juſtificatio & glorificatio.

Vocatione comprehendunt, prædicationem Evangelii, bona exempla, pios motus intellectûs & voluntatis, bona naturalia, bonam indolem, artes, ſcientias, &c. Quamvis enim illa omnia communia eſſe poſſint bonis & malis, electis & reprobis; tamen quatenus prædeſtinatis dantur à Deo intentione & affectu prædeſtinativo (ut loquuntur) ideſt, hominem per ejuſmodi bona liberandi à maſſa damnata, eatenus ſunt effectus prædeſtinationis. 185. *Quid ſit vocatio.*

Sub juſtificatione complectuntur, peccati remiſſionem, opera meritoria quæ gratiam augent, corroborationem in tentatione, & ejuſdem victoriam. Et quamvis reprobi aliquando juſtificentur; juſtificatio tamen non eſt in iis prædeſtinationis effectus, niſi per- 186. *Quid juſtificatio.*

perſeverantiæ finali ſit conjuncta, ut docet S. Aug. de corrept. & grat. c. 9.

187. *Quid glorificatio.* Glorificatio autem maximè electis eſt propria, tum quia perfectè hominem liberat tam quoad corpus, quàm quoad animam, tum etiam quod multi juſtificentur & vocentur, qui tamen non ſunt electi, nullus autem glorificetur, niſi prædeſtinatus.

Omnia tamen ſupradicta ſunt effectus gratiæ & gloriæ, adeoque dici poteſt ſolam gratiam eſſe effectum prædeſtinationis gratuitæ & in bono, comprehendendo ſub gratia effectus gratiæ & gloriam.

188. *Prædeſtinatio malum reſpicit.* Dico 2. Prædeſtinatio ad mortem vel pœnam non ſolum bonum reſpicit, ſed etiam malum, non quidem culpæ, ſed pœnæ; cùm enim prædeſtinatione Deus præſciat, quid ipſe facturus ſit, & culpæ author eſſe nequeat, ſequitur nec malum culpæ eſſe effectum prædeſtinationis. Aliud eſt de malo pœnæ; Deus enim juſto judicio, ſupplicia & mala pœnæ temporalis æquè & æternæ, hominibus impiis præparat, & ad eadem illos prædeſtinat. Unde clariſſimè S. Fulgent. l. ad Monim. c. 6. & c. 7. ita ait: *Quod numquam eſt in opere ejus, numquam fuit in prædeſtinatione ejus, non enim prædeſtinati ſunt mali ad hoc, quod male operantur, à concupiſcentia ſua abſtracti & illecti, ſed ad hoc, quod juſtè patiuntur inviti.* Hinc ignis æternus paratus dicitur diabolo & Angelis ejus, paratus utique à Deo.

189. *Permiſſio peccati poteſt eſſe effectus prædeſtinationis.* Dico 3. permiſſio peccati poteſt in electis eſſe prædeſtinationis effectus, cùm ſit Deo volita, & poſſit eſſe occaſio juſtitiæ, finali perſeverantiæ conjunctæ. Etſi enim de ſe ad ſalutem non conducat, poteſt tamen ad illam conducere ex intentione & ordinatione divina, quatenus Deus hominem permittit cadere in peccatum, ut peccati turpitudinem conſiderans in bono firmetur, & ſibi diſpliceat, qui jam ſibi placendo ceciderat, ut ait S. Auguſt. 14. de civ. c. 13. quapropter eatenùs peccati permiſſio habet rationem beneficii, quo homo liberatur à ſervitute peccati.

Objicies 1. qui vult finem, etiam vult media; ſed Deus

Deus vult ſalutem, ergo & culpam mediante quâ vult ſalutem ejus, quem permittit cadere. Reſp. Antecedens verum eſt, quando media illa ſunt omninò neceſſaria ad conſequendum illum finem, culpa autem non eſt tale medium reſpectu ſalutis. Nec etiam volitio finis eſt ſemper virtualis volitio medii, cùm ſæpe adhibeantur media, quæ execramur & vellemus abeſſe. 190. *Volitio finis non eſt ſemper volitio mediorum.*

Objicies 2. Ergò precari quis poſſet à Deo, ut peccatum aliquod in illo permittat. Reſp. Negando conſ. cùm in eâ permiſſione contineatur noſtra coöperatio ad malum, ex quo ſequeretur, nos implicitè petere peccatum; non ſunt autem facienda nec roganda mala ut eveniant bona. Licitè tamen petere poſſes, ut ſi Deus te in peccatum labi permitteret, vellet illud vertere in majus bonum. 191. *Non licet rogare à Deo permiſſionem lapſus.*

Objicies 3. talis permiſſio eſt potiùs gratiæ ſubſtractio, quam gratia. Reſp. verum eſt per ſe loquendo, quatenus tamen à Deo aſſumi poteſt, ut hominem eâ mediante ad ſalutem dirigat, eſt gratia & effectus ejuſdem. Hinc rectè D. Thom. 1. 2. q. 79. a. 4. *Peccatum,* ait, *ad duo ordinatur, ad unum quidem per ſe, ſcilicèt ad damnationem. Ad aliud autem ex divinâ miſericordiâ vel providentiâ, ſcilicèt ſanationem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum ſuum agnoſcant, humilientur & convertantur, ſicut dicit Aug. de nat. & grat. unde & excæcatio ex ſui natura ordinatur ad damnationem ejus qui excæcatur, ſed ex divina miſericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad ſalutem eorum qui excæcantur: ſed hæc miſericordia non omnibus impenditur excæcatis, ſed prædeſtinatis ſolùm.* Conſonat Doctor Mellifluus Serm. 2. in Pſ. 90. *Juſtus*, inquit, *ſuper manum Domini cadit, & mira quodam modo etiam ipſum ei peccatum in juſtitiam cooperatur. Scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nonnè cooperatur nobis ille caſus in bonum, unde & humiliores efficimur & cautiores? Nonnè Dominus cadentem illum ſuſcipit, qui ab humilitate ſuſcipitur?* 192. *Peccati permiſſio ordinari poteſt ad bonum.*

*cipitur?* & Sermone de fallacia præſentis vitæ. *An verò ei peccata ipſa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, ſolicitior, timoratior & cautior invenitur? Hæ ſunt ergò primitiæ ſpiritûs, hæ primitiæ regni, hæc gloriæ prælibatio, hoc poteſtatis initium & arrha quædam paternæ hæreditatis.*

---

## SECTIO XI.

### *Quid ſit reprobatio & quomodo ſit facta.*

REPROBATIO nihil eſt aliud niſi abjectio rei vilioris. Unde ad Hæb. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* Uſu tamen Scholaſticorum ſignificat decretum Dei aliquos in damnationis maſſâ relinquendi, adeo ut ex adverſo correſpondeat prædeſtinationi, quæ eſt decretum divinum, aliquos ex tali maſſâ liberandi. Hinc definiri poſſet, quòd ſit *Præparatio pœnæ æternæ ob peccata prævisâ irrogandæ.*

193. *Nomina reproborũ.* Variè autem nominat Scriptura reprobos ut, *non cognitos*, ideſt non dilectos, dum dicitur *Neſcio vos: odio habitos, repulſos, deſpectos, maledictos, hædos, vaſa iræ, contumeliæ, &c.*

Notandum inſuper reprobos aliquando vocari *præſcitos*, puta quia tantùm præſciti ſunt, non etiam iiſdem præparentur media damnationis à Deo, ideſt peccata, ſicut prædeſtinatis præparantur media liberationis.

194. *Ordo reprobationis.* Gravis tamen eſt quæſtio, quem ordinem ſervarit Deus in aliquorum reprobatione. Ad quod. Dico 1. ſicut neminem Angelorum prædeſtinavit, niſi poſt præviſa ejuſdem merita, uti ante oſtendimus; ita neminem reprobavit Angelorum, niſi poſt demerita præviſa. Habuit ergo Deus æqualem erga omnes Angelos benevolentiæ affectum, quantum de ſe omnes ad ſalutem decernens, mediis ſufficientiſſimis

eoſdem

eoſdem inſtruens, quibus in juſtitia perſeverare potuiſſent, ſi voluiſſent. Verùm ubi aliquorum inclinationes & conſenſiones voluntatum vidit in malum, ex illa & poſt illam prævisionem decretum ſanxit eos reprobandi, reprobos enim Angelos ante talem prævisionem non reprobaſſe poſitivè omnino certum eſt, cùm Deus nulla præcedente culpa, hominem aut Angelum poſitivè ad damnationem ordinaſſe nequeat. Neque etiam negativè, cùm negativa reprobatio, nihil aliud ſit, quam prædeſtinationis privatio, vel non ex maſſa damnationis liberatio. Ante prævisionem verò perſeverantiæ nullus Angelorum eſt ad gloriam ordinatus, ergo nec negativè reprobatus, niſi omnes Angelos ante peccati aut perſeverantiæ prævisionem negativè reprobatos dicere velis, quod nemo admittet.

Unde nec primi peccati permiſſio fuit effectus reprobationis, ut mox oſtendam;

Eumdem autem prædeſtinationis ordinem ſervaſſet cum homine Deus, ſi in juſtitia perſeveraſſet. At poſtquam homo diabolicæ fraudis aſtutiâ fuit actus in culpam, Deus antiquam mutavit ſententiam, & voluntas prædeſtinativa, quæ prævisionem meriti antecedebat, quâ dederat homini adjutorium in quo permanere poſſet ſi vellet, in aliam mutata eſt, quâ vult homini dare adjutorium efficacius, quo eumdem finaliter ad gloriam pertrahet: circa reprobos autem mutata eſt in quamdam quaſi velleitatem, quâ ex inclinatione ſuæ bonitatis infinitæ erga hominem quem ad ſalutem condiderat, vellet eum non peccaſſe. Cum qua velleitate probè conſiſtit voluntas abſoluta, quâ poſt prævisionem peccati, ſimpliciter & abſolutè eoſdem vult damnare.

Ex quibus & illud conſequitur, illos, qui ex maſſa damnationis non liberantur, non tantùm negativè, ſed & poſitivè eſſe reprobatos, cùm in Deo fuerit poſitiva voluntas, illos in maſſa damnationis relinquendi, ex qua alios voluit liberare.

## SECTIO XII.

*De Cauſâ & effectu reprobationis.*

Dico 1. Ante omne præviſum peccatum etiam originale, non habuit Deus abſolutum decretum aliquem à gloria excludendi. Probant hoc ſcripturæ, quæ docent, Deum nolle mortem peccatoris, nil odiſſe eorum quæ fecit, &c. quæ aliàs falſa forent, & ab homine potiùs, quam à Deo proveniat, quòd damnetur. Unde Concilium ſeſſ. 6. Can. 25. dicit Anathema iis, qui docent aliquos divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe ad malum, quod etiam de malo pœnæ perpetuæ rectè poteſt intelligi: quamvis eo ipſo quo Deus vult hominem poſitivè reprobare, ſequatur talis pœna.

195. *Cauſa reprobationis eſt peccatum originale, & perſonale.* Dico 2. cauſa reprobationis hominum ex parte hominis eſt peccatum originale, quo tota hominum maſſa infecta fuit, & damnationem promeruit, & inſuper alia peccata, in quibus finaliter ſunt diſceſſuri.

Dices, ſæpe remittitur reprobis peccatum originale per Baptiſma, & proinde non poteſt dici hominem propter illud tamquam cauſam eſſe reprobatum. Reſp. etſi aliquando reprobo remittatur peccatum originale, tamen juxta D. Auguſtinum, non poteſt abſolutè dici à maſſâ damnationis diſcretus, dum ita ait de corrept. c. 7. temporales illi juſti *Non ſunt à maſſa illa perditionis præſcientiâ Dei & prædeſtinatione diſcreti, & ideo non ſecundùm propoſitum vocati, ac per hoc nec electi.*

196. *Pœna debita peccato originali remiſſo, redeunt per peccata actualia.* Deinde etſi nihil damnationis ſit iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem, ut ait Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 5. tamen pœnæ peccato originali debitæ etſi remiſſæ, in reprobo quodammodò redeunt, per peccata actualia, tamquam effectus à nova cauſa dependentes. Hinc rectè S. Proſper Reſp.

2. ad

2. ad cap. Gall. *qui* ait, *Baptiſatus recedit à Chriſto, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? ſed non in quod remiſſum eſt recidit, nec in orginali peccato damnabitur, qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remiſſa ſunt, debebatur.*

Dico 3. cauſa reprobationis ex parte Dei, ad altitudinem pertinet judicii divini, nam ut ait S. Aug. l. de bono perſev. c. 11. *Cur autem illis potius, quam illis detur* (Baptiſmi gratia) *quis cognovit ſenſum Domini? Quis inſcrutabilia ſcrutari valeat? Quis inveſtigabilia veſtigare?*

Dico 4. peccatum non poteſt eſſe effectus reprobationis divinæ, cùm illud non ſubjaceat providentiæ divinæ, cujus ſpecies eſt reprobatio, aut potiùs ejuſdem pars. 197. *Peccatum non eſt effectus reprobationis bene tamen permiſſio peccati, non item primi.*

Dico 5. permiſſio peccati eſt effectus reprobationis, non tamen primi peccati permiſſio. Probatur primum; quia dum quoſdam Deus decrevit relinquere in maſſa damnationis, vult eoſdem permittere labi in peccatum, denegando gratiæ auxilia, & quidem juſtè ob culpam ante contractam homini indebita; quam proinde permiſſionem Deus abſolutè vult.

Probatur poſterius; quia ut ante oſtendi, nulla reprobatio aut prædeſtinatio facta fuit, ante præviſionem meriti vel demeriti in Angelis aut primo homine, ex quo clarè conſequitur primi peccati permiſſionem non eſſe effectum reprobationis, cùm poſt perpetrationem peccati præviſam, ſit factum reprobationis decretum, adeoque decretum illud anteceſſit illa permiſſio.

Dico 6. præcipui effectus reprobationis ſunt damnatio, excæcatio & obduratio. Dicitur enim ignis æternus paratus diabolo & Angelis ejus, Math. 2. & reprobi dicuntur *Vaſa iræ præparata in interitum.* Rom. 9. excæcatio autem & obduratio ſunt quoque tales effectus, quibus fit, ut ſubſtractâ gratiâ ob præcedens peccatum, homo cœcus ſit & durus, adeò ut

ſalutis præſidia intueri nequeat aut amplecti : Imò occaſione illorum : ſi proponantur, magis excæcatur & obduratur, uti patuit in Judæis tempore Chriſti & aliis.

Objiciunt aliqui, Deum ergo reprobos creaſſe ad interitum, & ad gehennam reſervare, quod divinæ bonitati repugnat. Reſp. quòd aliqui ad interitum reſerventur, fit ex mala hominum voluntate, non

198. *Homo creatus eſt ad gloriam à Deo : à ſua mala voluntate deſtinatur ad gehennam.*

ex voluntate creantis aut conſervantis. Hinc pulchrè S. Proſp. ad object. 3. Vincent. *omnium*, ait *quidem hominum Deus Creator eſt, ſed nemo ab eo ideo creatus eſt, ut periret : quia alia eſt cauſa naſcendi, alia pereundi : ut enim naſcantur homines, conditoris eſt beneficium : ut autem pereant, prævaricatoris eſt meritum.* Ad quid autem Deus reprobos conſervet, docet S. Auguſt. l. 2. de nupt. c. 16. ſcilicèt, *in uſus profundarum*

199. *Ad quid Deus reprobos cōſervare ſoleat.*

*cogitationum ſuarum :* uſus autem ille, juxta eumdem Doctorem, eſt utilitas electorum, ut videant in reprobis, quantum ſine Dei gratia valeat liberum voluntatis arbitrium, diſcant in Domino gloriari ; Deo gratias exhibeant eos miſericorditer liberanti. Deinde, ut exercitio malorum & reproborum, eorumdem creſcat meritum & gloria. Denique ut illorum virtus magis eluceat, cùm contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant. Quapropter appoſitè S. Aug. Serm. 110. de diverſ. c. 5. ita quærit : *Pictor novit, ubi ponat nigrum colorem, ut ſit decora pictura : & Deus neſcit, ubi ponat peccatores, ut ſit ordinata creatura ?*

---

## Sectio XIII.

*Quomodò prædeſtinatio & reprobatio ſit certa.*

Dico 1. Prædeſtinationem certam eſſe quoad prædeſtinatorum numerum, ante vidimus. Certa quoque eſt, uti & reprobatio hoc ſenſu, quòd ille

qui

qui prædeſtinatus eſt vel reprobus, ad finem prædeſtinationis vel reprobationis certiſſimè pertinget, quamvis ille qui prædeſtinatus eſt ab æterno potuerit eſſe reprobatus.

Objiciunt contrarium conſtare ex exod. 32. ubi Moyſes ait: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ*. Reſp. Variè exponunt illum vitæ librum, alii intelligunt librum amicorum; alii librum viventium, Auguſtinus autem de libro electorum, ex quo tamen aliquos deleri poſſe docet, non quod in eo revera eſſent inſcripti, ſed quod putabant ſe in eo eſſe ſcriptos, cujus contrarium poſtea experiuntur. Alii dicunt Moyſem id petiviſſe præ magnitudine affectûs, ſciens Deum id ſine ſua culpa non facturum. 200. *Quid liber vitæ.*

Objicies 2. S. Auguſt. apertè dicit tract. 26. in Joan. *Non traheris, Ora ut traharis*; & ut ante dictum eſt, prædeſtinatio juvari poteſt precibus Sanctorum. Deinde in miſſa dicimus, *ut in electorum tuorum jubeas grege numerari*, & iterum: *Ut omnium Fidelium nomina liber prædeſtinationis adſcripta retineat*. Reſp. ad hæc & alia, hoc loquendi modo tantùm peti prædeſtinationis effectum, ut ſcilicèt Deus effectum prædeſtinationis in nobis aut aliis conſervet & confirmet.

Objicies 3. dantur aliqui Filio à Patre, quorum tamen aliqui pereunt, juxta illud Joan. 17. *Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis*. Reſp. to *niſi* idem eſt quod *ſed*, quod Hebræis eſt ſatis uſitatum. Adeo ut ſenſus ſit, *ex iis quos dediſti mihi nemo perit*, Sed *tantùm filiùs perditionis*. 201.

Dico 2. Prædeſtinatio non eſt certa eatenus, ut quis citra revelationem poſſit in hac vita habere certitudinem, cum neſciat homo utrum amore an odio dignus ſit, & quamvis aliqui nihil ſibi conſcii ſint, non in hoc juſtificati ſunt. Cauſa vero quare hoc incertum relinquat Deus hominibus, eſt juxta S. Auguſt. ne eâ revelatione inſoleſcat mens humana, aut torpeſcat ſecura de præmio. Aliquibus tamen prædeſtinatio revelata fuit, ut S. Petro 2. pet. 1. S. Paulo *Nemo certò ſcire poteſt an ſit reprobus, an prædeſtinatus, niſi id reveletur. Moraliter tamen de illo poteſt quis eſſe certus.*

Paulo, bono latroni, S. Stephano & aliis, uti & aliis reprobatio, ut factum eſt Judæ, de quo dictum eſt, *bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*, &c. Math. 26.

Dico 3. Sæpe tamen Scripturam aliquibus generaliter revelare ſalutem, ut Lucæ 10. dum dicit, *gaudete quia nomina veſtra Scripta ſunt in cælis*, & alibi, ubi notandum hoc tantùm aſſerere conditionatè, ſi ſcilicèt, in bono uſque in finem perſeverent, vel etiam ſcriptos eſſe ſecundùm actualem juſtitiam. Moraliter tamen aliqui certi ſunt de ſua prædeſtinatione ſi ſigna prædeſtinationis in ſe obſervent, puta bona opera, quibus vocationem noſtram certam facimus, ut docet Apoſtolus.

# CAPUT QUINTUM.

## De Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterio.

## SECTIO PRIMA.

### *De Proceſſione Divinarum Perſonarum.*

INTER Cætera Catholicæ Fidei myſteria, maximè abſconditum eſt Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, in cujus inveſtigatione *nullibi periculoſius erratur, nec aliquid laborioſius quæritur, nec quidquam fructuoſius invenitur*, uti ait S. Auguſt. Serm. 15. ad frat. in eremo. Verùm ut idem S. Doctor l. 8. c. 5. ibidem monet, *Hic prius credere debemus, quam intelligere*, cum omnem cognitionem naturalem excedat, quâ poſſet inveſtigari, & præſtat fides ſupplementum ſenſuum & cognitionis defectui. Quamquam enim aliqui Philoſophi hujus myſterii cognitionem habuiſſe videantur, uti Plato, Plotinus, & Triſmegyſtus ita loquens:

202. *Myſteriũ SS Trinitatis eſt naturaliter abſconditum.*

quens : *Monas genuit Monadem & in ſe reflexit ardorem* : Tamen vel locuti ſunt de diverſis divinæ eſſentiæ perfectionibus & proprietatibus, non item de diverſis in una eſſentia perſonis. Si verò aliquam de Trinitate notitiam habuerint, illam non naturali ingenii lumine, ſed ex libris Moyſis habuiſſe credendum eſt, uti de Platone docet S. Aug. l. 8. de civit. c. 12.

Hiſce poſitis : Dico primo dari in divinis veram proceſſionem. Probatur ex S. Scriptura Joan. 8. *ego*, ait Chriſtus, *à Deo proceſſi*. Et in Symbolo de Spiritu Sancto dicitur: *Qui ex Patre Filioque procedit.*

Dico 2. proceſſiones illæ ſunt duæ & non plures. Una quâ Filius procedit à Patre, alia quâ Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio. Patet ex dicta probatione.

Utraque hæc proceſſio eſt ad intra, cum procedendo à Patre & Filio, Filius & Spiritus Sanctus accipiunt eandem eſſentiam cùm patre.

Dices, quod eſt primum principium, non poteſt ab alio procedere, ſed Filius & Spiritus Sanctus eſt primum principium, cùm ſint Deus, ergo. Reſp. Primum principium ad extra, poteſt procedere à primo principio ad intra, uti hîc fit. Primum tamen principium tam quoad extra, quam quoad intra, non poteſt ab alio procedere, quod eſt ſolus Pater, qui à nullo procedit. 203. *Quomodò primum principiũ poſſit eſſe ab alio.*

Dico 2. proceſſio Filii à Patre fit per intellectum, proceſſio verò Spiritûs Sancti per voluntatem. Hinc Filius dicitur *Verbum*, Spiritus Sanctus autem dicitur *amor*. Sicut enim intelligendo rem aliquam, efformamus in nobis verbum mentis, ſive rei conceptæ imaginem, ita Pater ſeſe intelligendo producit Filium, qui eſt *Imago Dei inviſibilis*, ut ait Apoſt. ad Coloſ. 1. Deinde ſicut amando rem aliquam, efformamus in nobis propenſionem in rem amatam, ita Pater & Filius amando ſuam eſſentiam producunt Spiritum Sanctum. 204. *Unde Filius dicatur verbum & imago.*

Dices

Dices intellectus & voluntas divina ſunt eadem realiter, ergo & proceſſiones prædictæ ſunt realiter eædem, quæ per illa fiunt. Reſp. Illæ proceſſiones non differunt ideo, quod una ſit per intellectum, alia per voluntatem, ſed quia realiter opponuntur, quâ de cauſa ſpiratio activa & paſſiva etiam diſtinguuntur, etſi ambæ fiant per voluntatem.

Dico 3. proceſſio Filii à Patre eſt generatio, non autem proceſſio Spiritûs Sancti à Patre & Filio. Probatur prius, quia de illa dicit Iſaias 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Deinde generatio propriè dicta, eſt proceſſio viventis à vivente conjuncto in ſimilitudinem naturæ. Filius autem à Patre procedit, & eſt *Figura ſubſtantiæ ejus*, ad Heb. 1.

Probatur poſterius apertè ex Symbolo Athanaſii, ubi dicitur: *Spiritus Sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.*

205. *Quare proceſſio Filii ſit generatio, non item proceſſio Sancti Spiritus.*

Ratio autem quare proceſſio Filii à Patre ſit potiùs generatio, quam proceſſio Spiritûs Sancti ab utroque, eſt hæc, quòd ad generationem requiratur, ut ex vi procedendi generatum ſit ſimile generanti, quod proceſſioni Filii à Patre competit, cùm procedat à Patre per intellectum, quæ proceſſio de ſe facit generatum ſimile generanti. Proceſſio autem Spiritûs Sancti eſt per voluntatem, quæ de ſe non facit ſimile quod procedit, illi à quo procedit, etſi aliquando ex alia ratione illi ſit ſimile, uti hîc fit.

Dico 4. non ſunt plures proceſſiones in divinis quàm duæ, cum ſint tantum duæ perſonæ procedentes, ſcilicèt Filius & Spiritus Sanctus. Deinde proceſſiones illæ ſumuntur ſecundùm operationes immanentes, quæ in divinis tantùm ſunt per intellectum & voluntatem. Et licet in nobis ſint diverſæ operationes per intellectum & voluntatem, non inde ſequitur idem admittendum eſſe in divinis, cùm ad ſingula quæ intelligimus & volumus, requiratur diverſus actus intellectûs & voluntatis: in Deo autem ſufficit unicus actus intellectûs & voluntatis, quo noſcit & amat univerſa.

Quam-

Quamvis autem Paternitas procedat ab eſſentia divina, qua ratione volunt aliqui eſſe 3. Proceſſiones in divinis, nil tamen dictis obſtat, cùm non agamus de proceſſione relationum, ſed perſonarum, quæ ſunt duæ tantum.

## SECTIO II.

### *De Relationibus Divinis.*

Cum Scriptura Sacra ſæpè perſonis divinis tribuat nomen Patris, Filii & amoris, rectè ſequitur in divinis admittendas eſſe veras & reales relationes. Pater enim & Filius ſunt Correlativa, uti etiam amor & amans, unde exſurgit paternitas & filiatio, ſpiratio activa & paſſiva.

Dico ergo primò, tales relationes ſunt reales, quia per illas Pater, Filius & Spiritus Sanctus realiter diſtinguuntur, cùm eſſentiam habeant eamdem, & illis relationibus tantùm realiter differant, diſtinctio autem realis non poteſt fieri per entia rationis.

Dico 2. Paternitas, Filiatio, Spiratio activa & paſſiva in divinis, realiter differunt inter ſe. Probatur dictâ ratione, quia illis relationibus 3. perſonæ inter ſe realiter differunt, adeoque illæ relationes inter ſe realiter differunt. 206. *Tres Perſonæ differunt inter ſe per relationes reales.*

Dices quæcumque ſunt eadem uni tertio ſunt eadem inter ſe, atqui illæ relationes ſunt eædem cum eſſentia divina, ergo ſunt eædem inter ſe: Reſp. Fallit axioma, quando illud tertium eſt communicabile pluribus, uti patet etiam in perſonis divinis & natura divina.

Dico 3. Spiratio activa non differt realiter à Paternitate & Filiatione. Probatur quia aliàs eſſent 4. relationes reales in divinis realiter a ſe diverſæ, adeoque & quaternitas rerum, quod damnatum eſt in Conc. Lateran. cap. *Damnamus*. Deinde in divi-

nis

nis nulla eſt diſtinctio realis, niſi inter relativè oppoſita, ut habet communis Theologorum ſententia: atqui Spiratio activa, non opponitur relativè Paternitati aut Filiationi, ſed tantùm Spirationi paſſivæ, ergo.

Dico 4. Relationes divinæ ſunt eædem realiter cum eſſentia divina, aliàs enim daretur rurſum in divinis quaternitas rerum. Deinde illud definitum eſt, in Concilio Rhemenſi contra Gilbertum. Poteſt tamen inter illa admitti diſtinctio rationis, qualis eſt per noſtrum conceptum inter attributa divina, ſed ſimplicitati divinæ minimè officit.

## SECTIO III.

### *De Perſonis divinis.*

207. *3. ſunt perſonæ.* Dico 1. tres ſunt perſonæ divinæ. Eſt contra varios hæreticos docentes eſſe ſolùm unam, etſi officio diſtinctam, puta patrem vocari dum creat; Filium dum venit in mundum, aſſumpſit carnem; Spiritum Sanctum dum animam hominis ſanctificat. Unde quia ex hac hæreſi ſequeretur patrem eſſe paſſum, mortuum, &c. Dicti ſunt prædicti hæretici, *Patripaſſiani.*

Probatur autem concluſio tam ex V. T. quam N. quia Pſ. 66. dicitur, *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus*: Item Geneſ. 1. *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Unde paſſim SS. Patres Trinitatem perſonarum colligunt & confirmant. Apertiùs tamén dicta Doctrina ſtatuitur in N. T. ut Math. 28. *Baptiſate omnes Gentes, in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* & 1. Joan. 5. *tres*
208. *ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo: Pater, Verbum &*
*3. Perſonæ ſunt alia non item aliud.* *Spiritus Sanctus.* Accedit & ratio, eo quod Pater ſit alius à Filio, Filius ſit alius à Spiritu Sancto, cùm à ſe mutuo reſpectivè procedant, ergo ſunt diverſæ perſo-

perſonæ. Non tamen poſſunt dici *aliud*, quia illud diverſitatem innuit eſſentiæ, *alius* tantùm diverſitatem perſonarum.

Dico 2. Tres illæ Perſonæ ſunt Deus. Quoad Patrem, omnes admittunt. De Filio & Spiritu Sancto negant aliqui. Apertè tamen de Filio docet Scriptura illum eſſe Deum, ut Iſaiæ 35. ubi dicitur. *Deus ipſe veniet* (id eſt Chriſtus) *& Salvabit vos.* Item Joannis 10. ipſe ait: *Ego & Pater unum ſumus.* 209. *1. Perſona eſt Deus, uti & ſecunda.*

Varia congerunt Ariani argumenta in contrarium, primò quod ipſe Chriſtus dicat Joan. 14. *Pater major me eſt.* 2. Quòd mittatur à Patre, quod dicit imperfectionem & ſubjectionem in eo qui mittitur. 3. Joan. 1. apertè dicit de ſe, *Quod Doctrina ſua non ſit ſua, ſed Patris.* Reſp. ad primum, Filium eſſe minorem Patre, ſecundùm humanitatem. Ad 2. quando aliquis mittitur ex imperio, tunc minor eſt eo qui mittit, non autem quando quis mittitur volens. Ad tertium Reſp. Ex illo potiùs contrarium erui, cùm illic dicat, Doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ideſt humanam, ſed Patris, hoc eſt divinam. 210. *Quomodò Filius ſit minor Patre & ab eodem mittitur.*

Dices quod habet principium, non eſt æternum, ergo nec Deus. Sed Filius habet principium ergo. Reſp. Filius habet principium & tamen eſt æternus, cùm egreſſio ejus à Patre à diebus æternitatis ſit. Quamquam non habeat principium ſuæ durationis, cùm ſit ab æterno.

Dico 3. Spiritus Sanctus eſt verus Deus. Probatur, quia 1. Joan. 5. dicto tres eſſe in Cœlo, &c. Subditur: *Hi tres unum ſunt.* Ergo Spiritus Sanctus eſt unum cum Patre, ideſt, in eſſentia unus Deus. Probatur inſuper, quia Spiritui Sancto attribuuntur divina attributa; ut immenſitas, dum Sap. 1. dicitur *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Omnipotentia. Sap. 7. *omnem habet virtutem.* Creatio. Pſalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Patratio miraculorum. Math. 12. *In Spiritu Dei ejicio dæmonia.* 211. *Tertia Perſona eſt Deus.*

Varia

Varia hic objiciunt Macedoniani. 1. quòd *Spiritus omnia ſcrutetur*, 1. Cor. 2. qui autem ſcrutatur, quærit ut inveniat. 2. quòd Joan. 1. *Omnia per ipſum* (Filium) *facta ſunt*, ergo & Spiritus Sanctus 3. quòd *Spiritus poſtulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Rom. 8. ad quæ Reſp. Ad 1. quidem, Spiritus Sanctus omnia ſcrutatur, non quaſi quærat, ut inveniat, quod ignorat, ſed omnia penetrat & comprehendit, uti Deus etiam ſcrutatur corda & renes. Ad ſecundum, omnia per ipſum facta eſſe, quæcumque facta ſunt, Spiritus Sanctus autem non eſt factus. Idem urgeret aliàs de Patre. Ad ultimum reſpondeo, Spiritum Sanctum pro nobis poſtulare, ideſt quòd nos poſtulare faciat & doceat, unde additur continuo: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus*.

212. *Quid hypoſtaſis.* Dico 4. In divinis ſunt tres Hypoſtaſes. Pro quo notandum, quòd etſi dudum inter Græcos & Latinos quæſtio fuerit, an eſſent dicendæ 3. Hypoſtaſes, an una tantùm, affirmantibus Græcis, negantibus Latinis: Uſus tamen obtinuit, Hypoſtaſim idem ſignificare quod ſuppoſitum, ſeu perſonam, adeoque dicendum eſſe, tres eſſe Hypoſtaſes, tres perſonas, tria ſuppoſita.

Dico 5. Sano ſenſu dicuntur eſſe in divinis tres ſubſtantiæ: ſi ſcilicèt per ſubſtantiam capiamus perſonam, uti aliquando ſumitur, dum definitur *Subſtantia individua naturæ rationalis*. Si autem ſumatur pro eſſentia, ſic unica eſt in divinis ſubſtantia.

Dico ultimo: datur in divinis unica abſoluta exiſtentia, eſſentiæ divinæ identificata, uti datur una tantum eſſentia.

SECTIO

## SECTIO IV.

### *De Perſona Patris.*

Dico 1. Vox *Pater* in divinis ſumitur dupliciter. Semel eſſentialiter, & ſic eſt commune tribus perſonis, quo pacto dicit reſpectum ad creaturas, quas creat: quo ſenſu dicimus: *Pater noſter qui es in Cœlis.* Aliter ſumitur perſonaliter, quo ſenſu originem dicit ad Filium in divinis, & eſt primæ in divinis perſonæ proprium. 213. *Vox pater aliquando eſt perſonale, aliquãdo eſſentiale.*

Idem dicendum eſt de voce *Principium*, quæ Patri eſt propria & perſonalis, ſi dicat ordinem ad filium, cujus Pater eſt principium; eſt autem eſſentiale & tribus perſonis commune, prout dicit ordinem ad creaturas.

Dico 2. Impropriè Pater poteſt dici principium totiùs Deitatis, non vero propriè. Probatur priùs: quia Pater eſt principium Filii & Spiritûs Sancti in quibus eſt divinitas. Probatur poſteriùs: quia in Conc. Lateran. cap. *Damnamus*, definitum eſt, Deitatem ſive eſſentiam divinam neque generare, neque gigni, neque procedere.

Dico 3. Impropriè item poteſt Pater dici cauſa Filii, ſumendo cauſam, ut ſit idem quod principium, à quo aliud quocumque modo procedit. Propriè tamen non poteſt dici cauſa Filii, eo quod cauſa importet dependentiam uniùs ab alio, & prioritatem naturæ ſaltem in cauſa, quod in divinis locum habere nequit. Eodem modo Pater rectè dicitur author Filii. 214. *Pater quã ratione ſit cauſa Filii.*

Dico 4. Pater eſt principium Filii, eo quòd eum genuerit de ſua ſubſtantia ab æterno *Deus* enim *eſt* (Filius) *ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus*, ait Athan. in Symb. Deinde hoc exigit ratio generationis, ut generatum ſit de ſubſtantia generantis. Non tamen gene- 215. *Eſt principium Filii.*

generavit Deus Pater, Filium ab æterno, communicando ei partem ſuæ ſubſtantiæ, ſed totam ſubſtantiam.

## SECTIO V.

*De Perſona Filii.*

Dico primò ex modo generationis habet filius quòd ſit per omnia ſimilis & æqualis Patri, ejuſdem voluntatis, poteſtatis, ſapientiæ &c. Probatur ex ante dictis, quia procedit à Patre per intellectum. Hinc dicitur *Imago Patris, candor lucis æternæ, ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ Dei, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero.* Hinc denique Joan. 10. dicit: *Ego & Pater, unum ſumus*

Dico 2. ſecunda in divinis perſona eſt Filius Dei unigenitus. Probatur: quia ita Pater Filium alloquitur Pſ. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et Math. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Idem patet Lucæ 2. Math. 16. &c. Etſi autem omnes quoque ſumus Filii ejuſdem Patris, Dei ſcilicèt, hoc tamen non habemus ratione naturalis originis, uti Filius in divinis, ſed adoptione, nuncupatione, creatione, regeneratione, &c.

216. *Quare Spiritus Sanctus nō ſit Filius Patris.* Dico 3. Etſi Spiritus Sanctus quoque à Patre procedat, non tamen poteſt dici ejus Filius. Quod quamvis altius ſit, quam à nobis plenè intelligi queat, ut admonent SS. Patres; S. Auguſt. tamen l. 5. c. 14. de Trinit. duplicem tradit rationem, unam, dum ait: ideò Spiritus Sanctus non eſt Filius, *Quia non procedit quomodo natus, ſed quomodo datus:* Aliam autem ſubdit quod propterea non poteſt vocari Filius, quoniam procedit ex duobus, qui nec *duo patres dici poſſunt, nec alter Pater & alter Mater.* Priorem rationem ita explicat D. Th. dicens: *Spiritum Sanctum ideò non eſſe Filium Dei, quia licet ſit Patri & Filio ſimilis, non*

*non tamen ex vi naturalis ipſius productionis, cùm per actum amoris procedat. Amor autem ex natura ſua non rei amatæ ſimilitudo, ſed impulſus quidam in rem amatam exiſtat.*

Dico 4. Filius in divinis propriè dicitur *Verbum* & *Imago Patris*. Prius probatur ex Joan 1. *Et* VERBUM *caro factum eſt*. & 1. Joan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater* VERBUM *&* *Spiritus Sanctus*, &c. Ratio erui poteſt ex dictis, eo quòd Filius à Patre procedat per intellectum, quòd autem ita procedit, dicitur Verbum, & Imago.

Dico 5. Filius in divinis procedit à Patre per intellectum, dum Pater intelligit ſuam eſſentiam & omnia quæ in ea ſunt, tam formaliter, quam eminenter. Procedit enim Filius à Patre per notitiam perfectiſſimam, qualis eſt prædicta. 217. *Pater ſe intelligendo producit Filiũ.*

## SECTIO VI.

### *De Perſona Spiritûs Sancti.*

DICO I. Vox *Spiritus* dicta à ſpiritualitate eſt communis tribus Perſonis: dicta autem à ſpiratione eſt propria tertiæ Perſonæ in divinis.

Dico 2. Spiritus Sanctus procedit à Patre & Filio, quòd etſi expreſsè ex Sacra Scriptura probare ſit difficile, ſufficienter tamen ex ea demonſtrari poteſt. Dictis repugnarunt ſemper Græci, contendentes Spiritum Sanctum à ſolo Patre procedere, ad quem errorem tollendum in ſymbolo Conſtantinop. additum fuit, *Filioque* ob cujus additionem Michaël Patriarcha Conſtantinop. circa annum 1054. ſe ab Eccleſia Romana ſejunxit, prætendens Romanum Pontificem eſſe excommunicatum, quod contra Canones Concilii Conſtantinop. addidiſſet ſymbolo illud *Filioque*. Primus hujus erroris author fuit Neſtorius, propagatores præcipui Theodoretus & Theophylactus, & plerique demum Græcorum, 218. *Spiritus Sanctus à Patre filioque procedit.*

Quod autem Spiritus Sanctus à Filio quoque procedat : probatur 1. ex Scriptura 1. Joan. 16. de Spiritu Sancto loquens Chriſtus, dicit : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Quid verò accipiet niſi ſcientiam, Spiritûs Sancti eſſentiam. Hinc etiam alibi dicit : *Non loquetur à ſemetipſo.* 2. Joàn. 16. dicit Chriſtus. *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt* & Joan. 17. *Omnia mea tua ſunt.* Omnia ſcilicet exceptâ Paternitate, ut ait S. Aug. ergo potentia ſpirandi etiam Filii eſt. 3. Joan. 15. *Cum venerit paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, &* rurſum, *ſi abjero, mittam eum ad vos.* Omnis autem miſſio in divinis eſt per naturalem originem : Filium mitti eſt Filium naſci, Spiritum Sanctum mitti, eſt Spiritum Sanctum procedere, ut docet S. Auguſt. 4. de Trinit. c. 19. tam bene Spiritum Sanctum vocat Scriptura Spiritum Filii, quam Spiritum Patris : ut Rom. 8. ſi quis *Spiritum Chriſti non habet* & Gal. 4. *Miſit Deus Spiritum Filii ſui.* Unde rectè S. Aug. tract. 99. in Joan. *Hic aliquis forſitan quærat, utrum & à Filio procedat, Spiritus Sanctus? Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus cum Filii quoque ipſe ſit Spiritus?* Idem docent omnes Græci, qui ante Theodoretum ſcripſerunt, ut patet ex Athanaſio in Symbolo, Greg. Nazianz. Baſilio, &c.

Dico 3. Spiritus Sanctus procedit à Patre Filioque, tamquam ab unico principio; ratio eſt quod eum unicâ potentiâ ſpirativâ ptoducant : ita definitum eſt in Conc. Lugd. & Florent. dicitur tamen paſſim Spiritus Sanctus à Patre procedere, non item à Filio, eo quod Pater author ſit, quòd Spiritus Sanctus à Filio procedat, cui Pater totam ſuam eſſentiam & potentiam ſpirandi tribuit.

219. *Spiritûs Sanctus eſt amor.* Dico 4. Rectè Spiritus Sanctus dicitur *amor*; ſicut enim Filius dicitur Verbum & Imago, quia per intellectum procedit à Patre : ita Spiritus Sanctus dicitur amor, quia Pater & Filius ſeſe diligendo producunt amorem ideſt Spiritum Sanctum.

C A-

# CAPUT SEXTUM.

## SECTIO PRIMA.

### *De Potentia Dei.*

POTENTIA apud Phyſicos duplex eſt, activa & paſſiva. Paſſiva in Deo locum non habet, cùm non poſſit perfici, nec ullam imperfectionem admittat. Activa autem in Deo eſt perfectiſſima, cùm ſit infinitè perfectus, etiam in ratione agendi.

Ab hac potentia dicitur Deus omnipotens. Omnipotentia autem ſumitur ex ipſa Dei eſſentia per quam agit, quæ cùm ſit infinita, etiam infinita eſt potentia per eſſentiam infinitam agens: quanto enim perfectior eſt forma per quam agit potentia, eo perfectior erit potentia.

Conſiſtit autem omnipotentia Dei in eo, quod facere poſſit, quod eſt factibile: quale eſt omne id, quod non implicat contradictionem, & cujus actio nullam importat imperfectionem. Hinc Deus, etſi non poſſit facere montem ſine valle, non poſſit mentiri, &c. Ex inde non deſinit eſſe omnipotens, cùm unum implicet contradictionem, adeoque nec ſit factibile: Alterum autem importet imperfectionem. 220. *In quo ſita ſit Dei omnipotentia.*

Deus potuit facere illa, quæ non fecit: certum eſt, cùm ſint plura factibilia poſſibilia, quæ nullam important contradictionem aut imperfectionem, quam de facto ſint, ergo ad ea quoque extendi poteſt divina potentia. 221. *Poteſt Deus facere quæ non fecit, & meliora quam fecit.*

Poteſt itidem Deus facere meliora, quam fecit: quamvis enim omnia faciat *optimè*, id eſt ſummâ providentiâ, non tamen *optima*, id eſt quo non ſit melius 222. *Deus facit omnia optime non optima.*

melius in ſua ſpecie aut ordine. Poteſt enim quodlibet ſuum opus accidentaliter perficere, manente ſalvâ operis eſſentiâ.

223. *An creatio poſſit creaturæ competere* Potiſſimum vero omnipotentiæ divinæ opus eſt creatio mundi ex nihilo. Creatio autem nulli creaturæ, ut cauſæ principali competere poteſt. Ratio hujus juxta D. Thomam eſt hæc, quòd creatio ſit productio entis ex non ente: ens autem ut tale, eſt effectus proprius cauſæ primæ. Idem probatur paſſim ex Philoſophorum ſententiis, quæ docent creaturam nihil poſſe facere ex nihilo. An autem creatura creare poſſit ut inſtrumentum Dei, contravertitur: quæ quæſtio Philoſophis magis, quam Theologis congruit, & illis ventilandam relinquimus.

Creavit autem Deus mundum ex nihilo, idque in tempore, uti omnia mundi ornamenta & effectus in eodem productos. Patet clarè ex Geneſis c. 1. 2. & 3. etſi autem Deus effectûs mali non ſit cauſa, tamen quia malum non ſit aliquid univerſi, ſed alicujus privatio, ejuſdem actio Deo non attribuitur, ſed ſoli voluntati deficienti.

224. *Quomodò dæmon ſit rector mundi.* Quando autem dæmon alibi in Sacra Scriptura dicitur, *Deus ſæculi* ut 2. Cor. 4. aut etiam *Rector mundi*, &c. Nomen ſæculi aut mundi, non eſt naturæ ſed vitii, ideſt, quod dæmon non ſit rector mundi aut Deus ſæculi ſecundùm naturam mundi, ſed tantùm hominum mundanorum, qui inordinato affectu mundo adhærent, quibus ut princeps & rector dominatur.

225. *Creatio mundi eſt communis toti Trinitati.* Creatio mundi, etſi ſit ſecundùm ſe una & ſimpliciſſima, toti tamen Trinitati eſt communis. Hinc Pater dicitur *Omnipotens, Creator Cœli & Terræ*: Filius, *per quem omnia facta ſunt*: Spiritus, *Veni Creator ſpiritus*.

SECTIO

## SECTIO II.

### *Quandonam mundus ſit creatus.*

MUNDUM ab æterno creatum eſſe, arbitrati ſunt Philoſophi, cujus contrarium, etſi ratione naturali difficile ſit oſtendere, ſatis tamen ex Sacra Scriptura patet, in qua, Chronologia omnium creaturarum deſcribitur. An autem ab æterno eſſe potuerit, variè ſentiunt authores. Verius videtur quod non, cùm æternitas ſit Deo propria: Deinde quod aliquid factum ſit, & æternum, implicat contradictionem. 226. *Mundus non fuit ab æterno.*

Quandonam autem præcisè Mundus ſit conditus, incertum eſt, ratione diverſi modi computandi annos, ante & poſt Chriſti Nativitatem, communiter tamen dicitur, Nativitatem Chriſti incidiſſe in annum 5199. cum autem exinde fluxerint anni 1681. duraſſet Mundus 6880. fuit autem Mundus creatus, tempore 6, dierum, non ſimul, ut volunt aliqui docuiſſe S. Auguſt. qui tamen nihil certi hîc ſuſtinet. D. Thom. autem etſi hîc neutri ſententiæ ſubſcribere voluit, magis tamen D. Auguſtino propendet. Verius tamen eſt, ſucceſſivè 6. dierum ſpatio Mundum fuiſſe productum; tum quia illud apertè Scriptura dicit exodi 2. & Geneſ. 1. & 2. tum quia nulla eſt ratio, Scripturam aliter detorquendi. Adde quòd veræ tenebræ fuerint antequam facta ſit lux, quòd primò fuerint aquæ confuſæ, quam diviſæ, &c. 227. *Totus mundus creatus eſt ſucceſsivè*

Unum eſt quod obſtat, quod Scriptura eccli. 18. dicat, *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Reſp. *Simul*, idem eſt, quod omnia omninò, adeo ut nihil creatum ſit, quin ſit à Deo. Vel etiam, ut ait Greg. homil. 26. quòd crearit omnia ſimul, ratione materiæ, quæ tota ſimul ab initio exiſtebat. 228. *Quomodò omnia creata ſint ſimul.*

In principio autem creavit Deus Cœlum & Ter-

229. *Quid principium.* ram; *In principio*, hoc eſt ante omnia, aut ut alii in primo temporis puncto, vel denique juxta D. Aug. in Filio creavit Deus Pater, qui ſenſus myſticus eſt, nec proprius.

230. *Quid Cœlum.* *Cœlum*, ideſt, quidquid eſt ſupra nos, adeoque & aër & ignis, ut quidam volunt, vel ſolum Cœlum Empyreum, ut volunt alii, eo quòd Scriptura dicat 2. die Firmamentum eſſe factum, & 4. die in illo poſuiſſe Solem, Lunam & Stellas.

231. *Quid lux.* Primo die creata eſt lux, non lux ſpiritualis, id eſt confirmatio Angelorum in gratia, ut Auguſt. & Rupertus intelligunt: nec ignis, ut Damaſcenus: neque Lumen Solis, ut Catharinus; ſed corpus Lucidum, ex aquâ præexiſtente formatum, quod movebatur ab uno hemiſphærio ad aliud, & dividebat Lucem à tenebris, idque per 3. dies, quibus obibat officium Solis 4. die producti. Imo putant aliqui Solem in eo corpore Lucido eſſe formatum: ita aliqui probabiliter ſatis, etſi melior aliorum ſententia doceat, quod lux ipſa quæ ſe diffunderet per Hemiſphærium, creata ſit, eo quod Scriptura dicat, *fiat Lux*, non autem, *fiat corpus Lucidum.*

232. *Quid firmamentum.* Secundo die factum eſt Firmamentum in medio aquarum. Per Firmamentum autem intelligunt aliqui octavam Sphæram, alii Aërem, alii Aërem & ignem, alii omnes Cœlos cum aëre & igne. Per aquas verò veras aquas intellige.

233. *Qua ratione apparuit arida.* Tertio die apparuit arida, ideſt Terra diviſis per Firmamentum aquis, & congregatis in unum, quæ congregatio facta eſt, vel quod à Deo vaſtiſſimæ voragines factæ ſint ſub terra, ex quibus terra eruta, ſurrexit in Montes, vel quod terra ut ſpongia cœperit in ſe recipere aquas, & ſic apparere.

Eodem die productum eſt lignum pomiferum, herbæ virentes, &c.

Quarto die facta ſunt in Firmamento duo luminaria magna, Sol & Luna, & Stellæ. Per Firmamentum intelliguntur Cæli, in quibus reſpectivè quæque Stella ſita eſt, aut Planeta. Quinto

Quinto die produxit Deus reptilia & volatilia, & Cete grandia; *reptilia* ideſt piſces; *volatile* autem ſunt aves, quæ uti piſces ex aqua productæ ſunt, juxta id quod canit Eccleſia feriâ 5. *magnæ Deus potentiæ, qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim levas in aëra.*

*Cete grandia* ideſt prodigioſa: unde referunt reperiri in mari Athlantico ſeu Indico 960. pedum.

Sexta die, producta ſunt animalia teneſtria, non tamen imperfecta ideſt quæ ex conjunxtione di- 234: *Quomodo ſexta die ſint reperta animalia imperfecta.*
verſæ ſpeciei oriuntur, ut Mulus, Linx, Leopardus, &c. Quæ tamen in potentia hoc die producta ſunt, eo ipſo quo productæ ſunt eorundem ſpecies diverſæ ex quibus oriuntur. Idem dicendum de iis animalibus, quæ oriuntur ex putrefactione, quæ tunc creata ſunt, quando creata fuit eorundem materia. Poſt hæc creatus eſt Homo animal nobiliſſimum de cujus creatione agemus, primò agendo de creatione Angelorum.

---

## SECTIO III.

### *De Creatione Angelorum.*

ANGELORUM *nomen* ut ait Greg. homil. 34 in Evang. *Officii eſt non naturæ*: officii, inquam, 235. *Quid ſit Angelus.*
exequendi divinam voluntatem. Propriè tamen ſunt ſubſtantiæ intellectuales, ſpirituales, completæ. Tales vero dari ex fide conſtat. Idem agnoviſſe videntur Philoſophi gentiles, ſtatuentes, *Intelligentias, Genios, Demones, Satyros*, &c. illud autem notandum eſt, 236. *Quare Moyſes Angelorum creationem prætereat.*
Angelorum creationem præterire Moyſem in Geneſi, eo quod populus cui ſcribebat, maximè proclivis eſſet in idololatriam & ſenſibilibus addictus, adeoque intelligentes eoſdem eſſe ſpirituales & intellectuales, pro diis eos venerati fuiſſent. Quamquam autem ſæpè alibi Angelorum meminerit, ſemper tamen ſolli-

citè Dei quoque meminit, ut hoc pacto occaſionem Idololatriæ auferret.

237. *A ratione Angelos velle probare, eſt difficile.* Ex ratione autem naturali, probare Angelos eſſe plurimi tentarunt, ſed parum efficaciter: quod enim velint hoc exigere perfectionem univerſi, aut probatum velint ex motu cœlorum, aut ex energumenis &c. Nihil omnino convincit, etſi ſufficienter ſuadeat, cùm illa omnia alteri cauſæ poſſint rectè adſcribi. Neque exigit univerſi perfectio, ut in tanta perfectione poneretur, ut admittendi eſſent Angeli.

238. *Quandonam Angeli ſint creati.* Quo ad tempus quo Angeli creati ſunt, variant Authores. Origenes, Baſilius, Chryſoſtomus, Hilarius, Amb. Hieron. volunt eos creatos eſſe ante mundum conditum, quibus annumerant S. Auguſt. l. de dogmatibus Eccleſ. & l. 65. q. 21. ad quod reſpondent aliqui priorem librum fuiſſe Gennadii, non Auguſtini: poſteriorem vero incerti authoris. Alii poſt mundum conditum creatos Angelos eſſe docent. ut Philo Judæus & alii. Alii denique & rectiùs volunt Angelos ſimul cum mundo creatos eſſe, uti Greg. Beda, D. Thom. & alii paſſim poſt Concilium Lateranenſe c. 1. ita ſcribens. *Simul ab initio temporis utramque de nihilo Deum creaſſe ſubſtantiam, Angelicam ſcilicèt & mundanam.*

Quod autem Angeli creati non ſint ante mundum conditum, declarat Sacra Scriptura, dum dicit, *In principio*, ideſt ante omnia, vel in principio temporis, creaſſe Deum Cœlum & Terram. Quod item non ſint creati poſt conditum mundum, declarat rurſum Job. 38. dum dicit, quòd Angeli laudarint Deum, dum terram fundabat. Unde reſtat quod ſimul cum hoc univerſo ſint Angeli creati. Probari hoc poteſt ex Scriptura Sacra Eccli. 18. ubi dicitur, *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*, ad quod Hugo vict. *Spiritualem* ait, *& corporalem naturam.* Idem probat S. Th. qui 1. p. q. 46. à 3. dicit eſſe 4. coëva. cœlum, terram tempus & naturam Angelicam: de his coëvis ſcripſit quoque ſpecialem Librum Alb. magnus.

An

An autem poſt Concilium Lateranenſe prædictum contrarium ſit in fide erroneum, non ita certum eſt. Negat illud D. Thom. ob authoritatem Greg. Nazianſ. Nec dici poteſt oblitum hic fuiſſe D. Thomam definitionis concilii, ut quidam ſtatuit. Idem negat S. Bonaventura D. Thomæ contemporaneus, & & uterque Concilio dicto poſterior. Deinde cum tot SS. Patres contrarium doceant, ſi non plures quam doceant nobiſcum, durum videtur eoſdem erroris accuſare. Denique S. Aug. Hugo vict. & alii dicunt hic liberum eſſe, cuique pro utraque parte opinari. Unde ad Concilium Lateranenſe dicendum eſt, to *ſimul* ſignificare quidem idem tempus ſed quod habet ſuam latitudinem: nec aliud Sancti Patres definire voluerunt, quam Origenem refellere, docentem Angelos & animas extitiſſe diu ante mundum conditum, quibus peccantibus creari debuit hoc univerſum, ut corporibus intruſæ poſſent puniri. 239. *An jam ſit de Fide quod Angeli ſint creati cũ hoc univerſo.*

Angelos autem incorporeos eſſe, declarat Scriptura, eoſdem ſpiritus eſſe aſſeverans; idem ex Conc. Lateranenſi probari poteſt, uti ex SS. Patribus, eoſdem ſpiritus nuncupantibus. An autem hoc ſit Fidei rurſum variant authores, maximè cùm de hoc SS. Patres dubitarint, uti patet in S. Aug. qui variis locis docet Angelos malos habere corpora aërea, & l. 21. de civit. c. 10. ubi agit quomodo ignis agat in dæmones, ita loquitur: *Si autem quiſpiam nulla habere dæmones Corpora aſſeverat, non eſt de hac re, aut laborandum operoſa inquiſitione, aut Contentioſa diſputatione certandum.* Ex quo patet etiam S. Præſulem contrariæ opinioni ſatis fuiſſe addictum. Deinde etſi Scriptura eoſdem *Spiritus* vocet, nihil evincit, cùm ventus etiam appelletur *Spiritus*, qui tamen non eſt incorporeus. 240. *Angeli ſunt incorporei.*

241. Neque illud Fidei eſſe ex Traditione convincitur, cùm non omnis Traditio faciat aliquid eſſe Fidei, ſed tunc demum, quando vel definitione Concilii eſt firmata, vel conſtat eam eſſe Apoſtolicam. Sunt enim multæ Traditiones, quæ multorum praxi ſunt introductæ, non tamen *Quænam traditio faciat aliquid eſſe de Fide.*

men omnium conſenſu. Contrarium tamen dictis ſuſtinere, maximè eſt temerarium.

Dices, dicuntur Angeli eſſe corporei in 7. Synodo Nicena act. V. dum dicitur eos eſſe pingendos, quia circumſcribi poſſunt. Reſp. hoc minimè hîc definiri, ſed tantum definitur eos eſſe pingendos. Ratio autem illius hic addita, ſcilicèt, quia circumſcribi poſſunt, non definitur; Interdum enim fit, ut aliqua motiva à Conciliis adducantur, quæ ſint tantum probabilia, imo aliquando non ſatis firma, uti hîc fit.

## SECTIO IV.

### *De numero & differentia Angelorum.*

Angelos eſſe maximo numero Scriptura docet Danielis 7. ubi dicitur: *Millia millium miniſtrabant ei:* Quot tamen ſint Angeli, eſt planè incertum, uti etiam an ſint plures Angeli, quam homines.

An omnes ſint ejuſdem ſpeciei, an diverſæ, eſt quoque incertum.

242. *Angeli ſunt corruptibiles, aſſumunt corpora, &c.* Sunt verò Angeli corruptibiles, cùm annihilari poſſint, uti omnis omninò creatura. Cùm vero non conſtent materiâ & formâ, non poſſunt ſtrictè corrumpi, cùm corruptio ſtrictè, materiam requirat in quâ fit corruptio.

Etſi Angeli corpora non habeant, eadem tamen quandoque aſſumunt, uti patet ex variis Angelorum apparitionibus: etſi hoc fieri potuiſſet per immutationem phantaſiæ, aut ſenſûs externi.

243. *Notitia Angelica* Angeli etſi plurima cognoſcant, multa tamen ignorant, cùm omniſcientia Soli Deo ſit propria. Quæ dependent à cauſa neceſſaria cognoſcunt, cùm dependentiam illam exactè ſciant. Futura tamen contingentia naturaliter & certò non cognoſcunt, ſi tamen aliqua ejuſmodi eos prædixiſſe legitur, intelligendum eſt, id eos feciſſe permiſſione divina. Secreta quoque

quoque cordium iis ſunt abſcondita, cùm Deus ſolus noſcat corda hominum 1. Paralip. 6.

Longè tamen latèque ſe extendit Angelorum, tum bonorum tum malorum ſcientia, quam habent propter naturæ ſubtilitatem & intellectûs luciditatem; per longam experientiam; & Angeli boni plurima cognoſcant per revelationem. 244. *Eſt perfecta.*

Angelorum cognitio poteſt eſſe diſcurſiva, & poteſt eſſe falſa, cum ſæpè innitatur motivis fallibilibus. 245. *Poteſt eſſe diſcurſiva.*

Voluntas Angelorum eſt libera, prout ex merito & demerito eorumdem conſtat. Libertas autem illorum longè antecellit libertatem voluntatis noſtræ, cùm ob intellectûs perſpicaciam perfectiori judicio rationis, voluntas Angeli ad actum determinatur. Voluntas quoque eorum eſt mutabilis, uti conſtat, quod quæ jam velint, poſtea nolint. 246. *Voluntas Angeli eſt libera.*

Voluntas hæc etſi plurimis ornata eſſet à Deo beneficiis, non ideo tamen Angeli in ſua creatione fuerunt abſolutè beati; quamvis fatendum ſit eos naturali beatitudine donatos, in quantum reſpectu ſui ultimi finis naturalis, habuerint operationes intellectus & voluntatis perfectiſſimas. Deinde beati dici poſſunt ſaltem inchoätivè, quatenus donis gratiæ ſupernaturalis inſtructi, potuiſſent facillimè in beatitudinem tendere, ſi voluiſſent. 247. *An Angeli ſint creati in beatitudine.*

---

## SECTIO V.

### *De gratia & merito Angelorum.*

Quamvis, ait hîc S. Thomas, ſuper hoc diverſæ ſint ſententiæ quibuſdam dicentibus, quòd creati ſint Angeli in naturalibus tantùm, aliis verò quòd creati ſint in gratia; hoc tamen probabilius videtur tenendum & dictis Sanctorum magis conſonum eſt, probatur 1. ex Ezech. 28. ubi dicitur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia & perfectus decore. . . .* 248. *Angeli creati ſunt in gratia.*

*per-*

*perfectus in viis tuis, à die conditionis tuæ, donec malitia inventa eſt in te.* Deinde Joan. 8. de diabolo dicitur, *Quod in veritate non ſtetit* quæ omnia paſſim intelliguntur de perfectione & veritate ſupernaturali, ſive gratiâ. Denique non debuit pejor eſſe conditio Angelorum quam hominis, quem tamen in gratia creatum eſſe, poſtea probabimus: quamvis hoc notandum, quod quando contrarium negare videntur SS. Patres, hoc intelligendum ſit de conſummata bonitate & perfectione patriæ.

249. *Gratis illam gratiam à Deo acceperunt.* Quæritur hinc primò, an Angeli gratiam illam meruerint, an verò liberaliter eam à Deo acceperint. Ad quod Reſp. verius videri eam gratis eſſe Angelis collatam ſine ulla prorſus diſpoſitione prævia. Hoc enim congruebat ut Deus eoſdem ad termium creans, daret liberaliter media, ideſt gratiam, perveniendi ad talem finem.

Dices Angeli primo inſtanti fuerunt adulti & rationis compotes, ergo more adultorum juſtificati, ideſt per diſpoſitiones prævias. Reſp. Etſi hoc in adultis juſto Dei judicio exigatur, ut ſe per proprios actus ad juſtitiam diſponant, tamen hoc locum non habet in Angelis, uti nec primo homine, ſed hoc propter culpam originalem eſt inductum.

Dices ulterius: SS. Patres ſæpè teſtantur, Angelos promeritos eſſe ſuam ſanctificationem. Reſp. Intelligunt hoc SS. Patres de ſanctificatione perfecta & conſummata, ideſt beatitudine, quam Angeli meruerunt.

250. *Primo inſtanti potuit Angelus promereri.* Quæritur 2. an Angeli primo inſtanti potuerint mereri, reſp. quòd ſic, cum hoc eorundem perfectio à die conditionis exigat, & Angeli ſe primo inſtanti cum gratia determinare potuerint ad actum, idque perfectiſſimo rationis judicio, & inſuper in ſenſu diviſo talem actum potuerint non ponere; quæ ad merendum ſufficiunt.

251. *Non tamē demereri.* Quæritur 3. an tali inſtanti potuerint etiam demereri. Reſp. Quod non: nec eadem eſt ratio de demerito,

rito, quæ eſt de merito, cùm ad meritum volutas moveatur à Deo, qui etiam 1. inſtanti illam movere poteſt ad bonum: Ad peccandum vero voluntas movetur à ſemetipſa, quæ primo inſtanti ſe movere non poteſt, niſi prout exigit naturalis ordo, ideſt ad bonum, ut ait D. Th. q. 29. a. 8. ad 2. de verit.

Objicies 1. homo tenetur ſe 1, inſtanti convertere ad Deum, quod ſi negligat, poterit primo inſtanti peccare. Reſp. aliam eſſe rationem in natura corrupta, aliam in integra: integra enim habet ſecundùm ſe totam, Deum pro authore, non itidem corrupta, ſecundùm ſuam corruptionem. Unde ſi primo inſtanti peccet, non operabitur juxta conditionem ſuæ naturæ ut talis, ſed juxta conditionem ſuæ corruptionis.

Objicies 2. D. Auguſt. l. 11. de Geneſ. c. 19. ita ait: *Non ſine cauſa putavi poſſe dici, diabolum ab ipſo creaturæ, hoc eſt ab ipſo vel temporis, vel ſuæ conditionis initio cecidiſſe, nec aliquando in veritate ſtetiſſe.* Reſp. Numquam hoc ab Auguſtino eſſe aſſertum, ſed tantum pro aliorum dictis eſſe allatum. Unde cùm tempore D. Thomæ, idem ab Auguſtino putaretur eſſe aſſertum, illorum dogma ab omnibus Magiſtris Theol. Facult. Pariſienſis eſt damnatum, ut refert idem D. Th. 1. p. q. 63. a. 5. in corp.

Objicies 3. Si tali inſtanti demereri non potuerint, ergo pro eodem inſtanti non fuerunt liberi. Reſp. Ad libertatem non requiritur poteſtas ad demerendum aut peccandum, aliàs Chriſtus non erit liber, nec beati, &c.

Quæritur 4. An ſtatim poſt unum actum meriti ſint beatitudinem. Reſp, Etſi alii cenſeant merendi viam in Angelis duraturum uſque in diem judicii: alii duraſſe uſque dum dicitur Geneſ. 6. *Cùm cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram & Filias procreaſſent, videntes Filii Dei Filias hominum eſſe pulchras, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Alii denique duraſſe, donec crearetur homo: verior tamen 252. *Quandonam Angeli prōmeruerint ſuam beatitudinē.*

men tenet ſententia, Angelos curſum ſuum abſolviſſe antequam crearetur homo, qui Angelorum ruinas ſuppleret. Quot verò diebus in via ſteterint, tot ſunt ſententiæ quot capita, ait Banneſius. Optimè ſentiunt, qui ſtatuunt 3. morulas ſeu inſtantia quibus illorum via eſt abſoluta. Primum quidem eſt mora creationis in gratia, qua Deo adhæſerunt & meruerunt: 2. quâ facta eſt diſcretio Angelorum perſeverantium à cadentibus. 3. Quâ conſecuti ſunt damnationem vel beatitudinem.

253. *Quomodo Angelis data ſit gratia proportionaliter ad eorum naturalia.* Quæritur ultimo: an Angelis data ſit beatitudo & gratia proportionata ad eorum naturalia. Reſp. Quod ſic, eo ſenſu tamen, quod Deus eis, quos gratuito perfectioris naturæ condiderat, perfectiora quoque dederit gratiæ auxilia, & gradum gloriæ perfectiorem. Non autem eo ſenſu, quod in eorum natura eſſet aliqua diſpoſitio, ratione cujus meritoriè Deus daret gratiam vel gloriam majorem, quod pelagianum eſt, aut certè ſemipelagianum.

---

## SECTIO VI.

### *De Malitia Angelorum quoad culpam.*

254. *Angeli erant peccabiles.* Etsi Angeli pro primo inſtanti peccare non potuerint, erant tamen pro eodem inſtanti peccabiles, quatenus erant creaturæ liberæ, quibus propria eſt peccabilitas. Tunc enim ſolummodo non poteſt quis peccare, ſive à recta regula declinare, quando illa regula eſt ipſa virtus agentis, quod ſoli Deo eſt proprium, qui ſibi ipſi eſt regula. Creatura autem hoc ipſo quo creatura eſt, eſt defectibilis à recta regula.

Unde origo peccati in Angelis à defectibili eorumdem voluntate eſt deſumenda, quia minus bonum eligere poterant, neglecto bono majori & incommutabili. Hinc eſt, quod Angeli ſuam excellentiam conſiderantes, inordinato amore illi adhæſerint, &

à Deo ſint averſi; tali enim inordinato amore obtenebratum fuit in iis judicium mentis, quo putabant ſe ſibi ſufficere.

Objicitur, quòd juxta D. Thomam peccatum præcedat neceſſariò judicium erroneum, adeoque origo peccati Angelorum non eſt deſumenda à flectibili voluntate, ſed à judicio erroneo, quâ ratione dicitur, quod omnis peccans erret. Reſp. In primis dici poteſt, quod illud judicium erroneum aut inconſideratio cum voluntate mala componat totum peccatum, adeoque non ſit cauſa peccati, ſed ipſum peccatum. Deinde ignorantia non poteſt ſtatui in Angelis ante culpam, cum ſit pœna peccati. Hinc prædictum judicium fuit error ſolum impropriè dictus, puta inconſideratio eorum quæ conſideranda eſſent, ſcilicèt divinæ gratiæ & auxilii à quibus ſeſe dependere, cognoſcere debuiſſent. 255. *Quomodo omnis peccans erret.*

Ex quibus ulteriùs infero, primum conſummatum peccatum Angelorum fuiſſe ſuperbiam, quâ ſimilitudinem Dei voluerunt: inordinato enim amore ſibi adhærentes, Deo ſeſe ſubſtraxerunt & ceciderunt. Huic peccato acceſſit invidia quâ Deo excellentiam ſuam invidebant acceſſit quoque peccatum iræ, dum ſenſit Deum ſuis machinationibus reſiſtentem: denique peccatum ſcandali, potiſſimum in Lucifero, quatenus ſuo exemplo & ſuaſu, tertiam partem ſtellarum ideſt Angelorum ſecum traxit in præcipitium. 256. *Quodnam primum fuerit Angelorum vitium.*

## SECTIO VII.

### *De Pœnis Dæmonum & loco Pœnarum.*

Angelos apoſtatas veris pœnis affic, de Fide eſt. Porrò duplex eſt pœna, una damni, alia ſenſûs. Pœna ſenſûs, eſt ignis gehenna parata Diabolo & Angelis ejus. Dicitur autem pœna ſenſûs, quia eſt afflictivum ejus, quod ſenſum habet, etſi ſit pœna aliquando ejus quod ſenſu careat, ut patet in Angelis. 257. *Quid pœna ſenſus, quid pœna damni.*

Quo-

258. Quomodò tamen ignis hic agat in dæmonem, etſi difficile ſit ſtatuire, neceſſariò tamen hoc quilibet debet admittere. D. Thom. & alii ſtatuunt hoc fieri, quod igne tamquam carcere detineantur, quo fit ut ſumma ſit ipſis pœna apprehendere ſe tam nobiles ſpiritus, tam vili carcere includi.

*Quomodò ignis agat in dæmones.*

Pœna damni conſiſtit in perpetua carentia viſionis beatificæ inflicta propter culpam. Hinc accedit deſperatio & vermis conſcientiæ, item privatio omnium bonorum ſupernaturalium, quamvis juxta Dyoniſ. naturalia in iis permanſerint integra, à Deo tamen ſæpè impediuntur.

259. Pœna hæc gravior eſt pœnâ ſenſûs, quia ultra hoc, quòd excludat majus bonum, etiam magis cruciat, quod etſi nobis carnalibus ſit difficile intellectu, verum tamen docet S. Chryſoſt.

*Pœna damni eſt gravior pœna ſenſûs.*

Pœna hœc in omnibus eſt æqualiis, in tantum quòd eodem bono privet, major tamen aut minor eſt, quatenus aliqui conſiderent ſe ad majorem vel minorem beatitudinis gradum fuiſſe elevandos, ex qua conſideratione major vel minor oritur triſtitia.

260. Alia dæmonum pœna eſt obduratio & obſtinatio, quâ fit ut in continua habituali æquè & actuali averſione à Deo permaneant. Et quamvis Sap. 5. dicatur damnatos (idem eſt de Diabolis) facere pœnitentiam. Item Jacobi 2. Dæmones credere, &c. Intelligendum eſt eos pœnitere de culpa, non ut eſt Deo contraria, ſed cauſa ſuæ pœnæ. Credunt quoque non voluntariè, ſed rei evidentia convicti. Eodem modo dicuntur inferorum genua flecti in nomine Jesu, quòd gloriam ejus etiam convicti cogantur recognoſcere, etſi illud *Inferorum* aliqui extendant ſolùm ad Animas Purgatorii.

*Quomodò damnati credant, pœniteāt, genuflectant, &c.*

261. Locus vero Dæmonum eſt terra, prout dicit Job. 1. *Circuivi terram & perambulavi eam.* Hinc docet S. Hieron. eſſe conſtantem in Eccleſia Doctrinam, quæ docet, aërem eſſe plenum dæmonibus. Alii putant omnes detractos in gehennam ignis ex quâ

*Loca dæmonum.*

quâ permiſſu Dei aliquos egredi contingit: nec ideo à pœna ignis eſſe immunes, uti boni Angeli gloriam non deſerunt, dum ad nos deſtinantur. Nec ideo dicendum eſt eos corpuſcula ign a ſecum ferre, cùm hoc, modus ille, quo agit ignis in dæmonem, non neceſſariò exigat, juxta ante dicta. Et quamvis aliquando aliqua corpora adurant, ut experientiâ conſtat, & Antverpiæ ſuo tempore factum eſſe teſtatur Malderus, non ideo tamen illa corpuſcula allata adſtrui debent, cum poſſint ignem materialem aſſumere, quo agant in alia corpora.

Dæmonibus competit præfectura, ut quando Beelſebub dicitur Princeps dæmoniorum; alios quoque aliis vitiis præeſſe veroſimile eſt, ut quando *Aſmodeus* dicitur eſſe luxuriæ præſes, *Mammona* avaritiæ, &c. 262. *Præfectura Dæmonu.*

Dæmones ſemel victi, rurſum tentare valent, imò communiter noviſſima tentatio priore eſt pejor, & in Chriſti tentatione patuit.

Dæmonibus tentare eſt proprium, adeo ut homines alios ad peccatum tentantes, Dæmonum ſint inſtrumenta. Non tamen omne peccatum eſt ex tentatione Dæmonis, cùm multa fiant ex hominum malitiâ & perversâ voluntate: omnia tamen peccata à Diabolo eſſe dicuntur, quatenus Primos Parentes ſeduxit, ex quo deinceps omne peccatum derivatur. 263. *Tentatio Dæmonum.*

De ordinibus, miſſione, ac Cuſtodia Angelorum varii varia diſputant. Breviter tamen notandum eſt, admittendam eſſe Angelorum Hierachiam, quæ dividi ſolet in 9. ordines, quorum omnium ſupremus eſt *Michaël*, qui uti V.T. fuit Præſes, ita & N.T. Veroſimile tamen eſt diverſos Angelos, diverſis Regnis & Urbibus eſſe præfectos. Item cuique Fideli Angelum tutelarem eſſe datum; uti & cuique Angelum malum ad tentandum à principe Dæmoniorum eſſe deputatum. Quomodo verò Angeli à Deo mittantur deſcribit S. Greg. homil. 34. in Evang.

# CAPUT SEPTIMUM.

## SECTIO PRIMA.

### *De Creatione primi Hominis*

264. *Dignitas Hominis.* POST Angelorum & totius univerſi creationem, prodiit à Deo opus præſtantiſſimum, ſcilicèt homo, cujus creatio ex eo commendatur, quòd ſpeciali deliberatione à Deo ſit conditus, tamquam foret opus arduum & excelſum, quòd ultimo loco ſit creatus, tamquam cujus gratiâ facta ſunt cætera, quòd factus ſit ad ſimilitudinem Dei, &c. Unde variis titulis ornatur homo, ut puta quòd dicatur, *Paulo minus minutus ab Angelis, microcoſmus*, ideſt, parvus mundus, *oculus univerſi, miraculorum omnium maximum*, &c. Hinc rectè Poëta 1. Metam.

*Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ*
*Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,*
*Natus homo eſt.*

265. *In quo ſit homo Deo ſimilis.* Varia verò circa creationem ejus quærunt authores. 1. in quo ſita ſit ſimilitudo Dei ad quam homo dicitur eſſe conditus. Reſp. In primis in eo, quòd ſit naturæ intellectualis, quòd intelligat & velit: quòd quoad animam ſit inviſibilis: quòd regat omnia in mundo, &c. Unde conſtat ex parte animæ hanc ſimilitudinem eſſe deſumendam.

266. *Mulier facta eſt ad imaginem Dei.* Quæritur 2. An etiam mulier ſit facta ad ſimilitudinem Dei. Videtur enim quod non, eo quòd Apoſt. 1. Cor. 11. dicat: *Vir imago & gloria Dei eſt: mulier autem gloria viri eſt.* Reſp. aliud nos docet Sacra Scriptura Geneſ. 1. cum dictum eſſet, *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ſubjectum eſt, *maſcu-*

*maſculum & fœminam creavit eos.* Mulier enim intellectu pollet & voluntate, ratione cujus ad imaginem Dei debet dici eſſe facta. Quatenus tamen vir meliori judicio pollet quam mulier, & eâ perfectiùs dominetur, eo quoque perfectiùs vir imaginem Dei repræſentat.

Quæritur 3. an imago hæc per peccatum interierit. 267. *Imago Dei in homine per peccatum non deletur, ſed deturpatur.* Reſp cùm imago illa ſit homini naturalis, certum eſt quòd non interierit: adeò ut rectè D. Bernardus *imago* ait, *in gehenna ipſa uri poteſt, non exuri: ardere, ſed non deleri.* Per peccatum tamen deformatur, in tantum ut reparari debeat per Dei gratiam. Hoc tamen etiam notandum SS. Patres aliquando dicere, per peccatum deleri illam imaginem, imaginem inquam ſpiritualem & ſupernaturalem per gratiam, qua homo fit conſors divinæ naturæ.

Quæritur 4. quomodo homo creatus ſit quoad 268. *Creatio corporis humani.* Corpus. Reſp. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Unde Iſaiæ 64. *Nos lutum & fictor noſter tu.* Creatus verò eſt in ſtatura perfecta, qualem exigit perfecta viri ætas, ut puta 33. annorum, etſi alii ob longiorem vitam ſtatûs integri, eam ætatem cenſeant debitâ minorem. Errant tamen, qui putant Adamum creatum eſſe ſtaturâ giganteâ, quod monſtroſum magis fuiſſet, quam perfectum, & contrarium ſtatûs illius exigentiæ.

Eva tamen creata eſt ex coſta Adami, ut patet ex Scriptura. Coſta vero erat materia ſufficiens tanto opifici, materiam aliam ſuperaddenti: nec ideo coſta una fuit ante ſuperflua Adæ, adeoque ex ea parte monſtroſus, cùm ſervire potuerit Adæ loco ſeminis. Sublatâ autem Coſtâ, repleta eſt caro pro ea, ut ait Scriptura: non alia Coſta reſtituta.

Quæres 5. quomodo creatus ſit homo quoad animam. 269. *Creatio animæ rationalis.* Reſp. Facto ex limo corpore, ſpiravit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, ideſt animam, non Spiritum Sanctum ut voluit Amb. & Cyrillus. Ani-

270. *Quid ſit anima.* ma hæc eſt incorporea & ſpiritualis: quid tamen ſit, variant Authores, uti etiam, quænam ſit ejus origo. Alii ignem eſſe volunt, alii aërem, alii aquam, alii ſanguinem, alii certam harmoniam, &c. Verùm contra illos docet Eccleſia Catholica, animam à Deo infundi corpori, ut ex illa & corpore fiat compoſitum eſſentiale, ſcilicèt Homo.

271. *Anima non eſt ex traduce.* Quæritur 6. an anima ſit ex traduce, ideſt an ſicut corpus naſcitur ex corpore naſcentis, ita anima ex anima parentis. Reſp. non eſſe ex traduce, ſed per creationem corpori infundi: quod dogma S. Auguſtinus verum potiùs optat, quam putat: etſi ob varias difficultates in dubio manſerit uſque ad mortem. Hieronymus illud vocat *Dogma Eccleſiaſticum:* S. Thomas dogma *Pertinens ad Fidem*, Petrus Lombardus *Fide certiſſimè tenendum*: Prudentius contrarium vocat *errorem*, ita canens.

*Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis*
*Transfundi in ſobolem credatur fons animarum.*

272. *An illud ſit Fidei.* Quòd tamen abſolutè non ſit Fidei, probari poteſt ex eo, quòd S. Aug. & Greg. de hoc dogmate aliàs non ita dubitaſſent. Imo Hugo Victorin aliam ſententiam docet non eſſe damnandam: quòd autem D. Hieron. illud vocet *Dogma Eccleſiaſticum*, eſt, quia communis eſſet Eccleſiæ ſententia. D. Thomas autem, etſi doceat eſſe dogma ad Fidem pertinens, tamen illud tantùm probat rationibus, quæ non convincunt illud eſſe Fidei, cùm conſequentia quæ ſit, non ſit evidens, maximè cùm illæ rationes etiam militarint tempore Auguſtini & Greg. neque Fides nititur rationibus humanis, ſed revelationi.

An autem Fidei ſit animam eſſe incorpoream, ante diximus agendo de Angelis.

273. *Vbi creati ſint Protoparentes.* Quæritur ultimò, ubi Protoparentes ſint creati? Reſp. Adamum eſſe creatum extra Paradiſum terreſtrem, probat Scriptura Geneſ. 2. ubi dicit: *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis.* Eva verò in Paradiſo creata dicitur, uti ex eodem loco

loco patet, ex Adamo in Paradiſum adducto demùm Evam eſſe creatam, nec ex illo loco major Mulieris dignitas probari poteſt, cùm Filius plebei in palatio natus, non ſit dignior Principis Filio nato in tugurio.

Varia de Paradiſo diſputant authores, qualis fuerit locus, ubi ſitus, &c. Communiter dicitur fuiſſe locus amœniſſimus, ſitus in partibus Meſopotamiæ & Babylonis, reſpectu Paleſtinæ ad Orientem, quod ex 4. Fluviis ibidem exiſtentibus probari poteſt. 274. *Quid & ubi ſit Paradiſus.*

## SECTIO II.

### *De Donis Hominis integri quoad Corpus.*

Variæ fuerunt hominis integri prærogativæ tam quoad corpus, quam quoad animam: quod ad dona corporis attinet, in primis *erat immortalis beneficio conditoris, mortalis autem conditione ſuæ naturæ* ut ait S. Aug. 6. Geneſ. 25. 275. *Qua ratione primus homo fuerit immortalis.*

Verumtamen quæri poſſet, an ſi Adam non peccaſſet, homo non fuiſſet moriturus. Reſp. etſi aliqui ſentiant, homines eo non obſtante fuiſſe morituros, eo quòd contrariis conſtent elementis, quo fundamento quoque docebant Pelagiani mortem non provenire merito peccati, ſed neceſſitate naturæ, eo pacto negantes peccatum originale: Contrarium tamen docet Catholica veritas, & apertè S. Auguſt. l. 1. op. imperf. ubi ait. *Si non peccaſſet* Adam, *non erat expoliandus corpore, ſed ſuperveſtiendus immortalitate.* Idem docet Apoſtolus ad Rom. 5. dicens per peccatum mortem intraſſe in mundum. Mors enim indicta erat peccato Protoparentum Geneſ. 2. cap. adeo ut merito contrarium damnarit Conc. Carthag. Can. 1. Synod. Paleſt. Arauſic. Can. 2. Conc. Trid. ſeſſ. 5. Can. 1. 276. *Mors ex peccato.*

Quæres cum Pelagio, quomodo ergo Auguſtinus dicit Adamum integrum eſſe mortalem. Reſp. cum

Auguſtino, mori poterat, quia poterat peccare.

277. *Non vexabantur fame & ſiti.* Sicuti autem mortem ſubire non debuiſſet homo integer, ita nec famem nec ſitim, nec ſenectutem, & ut ait S. Aug. l. 4. cont. Jul. c. 14. *Habebat ſuſtentaculum animali corpori neceſſarium, ne indigentiâ læderetur, de ligno autem vitæ, ne ſenectute perduceretur ad mortem.* Idem de omni prorſus miſeria docet S. Doctor.

278. *Generatio in ſtatu innocentiæ.* Quæres ulteriùs, quis modus generandi fuiſſet in ſtatu integro? Reſp. non ſine mutuo commercio viri & fœminæ generatio facta eſſet, uti docet quidam Jud. Clictovæus, nec etiam ex anhelitu viri, ſed copula carnali. Hæc enim ad perfectionem naturæ humanæ pertinet, nec aliquid ſibi inordinatum copula illa admixtum habet, ſeclusâ libidine, quam ob peccatum annexam habet: etſi enim delectatio aliqua adfuiſſet, in eadem homo integer non ſtetiſſet, ſed ſancto fine eamdem permiſiſſet, aut elegiſſet.

Copulam vero juxta S. Auguſt. l. 14. de civit. c. 26. feciſſent ſine violatione virginalis clauſtri, ſed ſemen potuiſſet immitti in matricem, uti nunc ex eadem fluit ſanguis menſtruus ſine violatione ejuſdem clauſtri, adeò ut fætu maturo, viſcera per idem ſine ullo dolore relaxarentur. In eamdem ſententiam ſe poſtea correxit D. Thomas. D. Bonav. tamen & communiter recentiores id negant: nam cruor menſtruus prodit ex venis, quæ in orificio matricis terminantur, & ex ſe eumdem emittunt, per quas tamen ſemen non poteſt intrare, ſine alia aperturâ matricis, quam non habet fœmina, quam diu ab extrinſeco nullam patitur divulſionem partium, ut tradunt communiter Medici.

279. *Matrimonium eſſet melius continentiâ in ſtatu integro.* Quæres inſuper, an in hoc ſtatu continentia fuiſſet matrimonio laudabilior. Reſp. quòd non, eo quòd tunc veroſimiliùs fuiſſet datum matrimonii præceptum, tum etiam, quòd in matrimonio fuiſſet amor caſtiſſimus, & omnis inordinatus abfuiſſet, quibus bonis caruiſſet continentia, ſine æqualium bonorum compenſatione.

Quæ-

Quæres deinde, quo ſtatu nati fuiſſent parvuli. Reſp. in primis S. Bonav. docet ex qualibet copula ſecuturam fuiſſe prolem, imo pro libitu maſculum vel feminam. Natæ verò fuiſſent in natura debili & ſtatura parva, prout naturalis procreatio exigit, & uteri materni anguſtia: juxta D. Aug. tamen natæ fuiſſent cum aliquali potentia progreſſiva. De aliis autem aliæ formantur conjecturæ. 280. *Ortus parvulorum.*

Quæres denique an in ſtatu illo fuiſſet fames, ſitis, & ſomnus. Reſp cum Fames & ſitis habeant adjunctam quamdam corporis moleſtiam, & omnis pœnalitas ab illo ſtatu excludi debeat, ſequitur, nec ſitim nec famem in eo ſtatu eſſe admittendam. Si verò fames & ſitis accipiantur pro naturali appetitu edendi & bibendi, eo ſenſu abſque dubio fuiſſent in illo ſtatu, cùm tunc merè fuiſſent ad intertinendam naturam, non autem ad defectum aliquem reſtaurandum, aut moleſtiam cauſandam.

Somnum autem aliqui ex eo ſtatu rejiciunt, eo quòd ſomnus cum ſit oppreſſio oculorum cauſata à fumo cerebri, & fatigatio ſenſuum, moleſtus ſit & pænalis. Veriùs tamen ſomnus in eo ſtatu admittitur, quia ſicut defectui corporis obſtabat comeſtio & bibitio, ita ſenſuum defatigationi obſtabat ſomnus. Deinde pœnalitates, quas ſecum trahebat ſomnus, ab eo ſtatu dimoveri poterant. Denique probari illud poteſt ex eo, quòd dicat Scriptura, Deum immiſiſſe ſoporem in Adam, dum ex ejus coſta condebat Evam. 281. *Fuiſſet ſomnus in illo ſtatu.*

---

## SECTIO III.

### *De Donis Hominis integri quoad animam.*

Creatus *eſt*, ait S. Aug. Serm. 11. de verb. Ap. c. 2. *Primus homo in natura ſine culpa, in natura ſine vitio.* Deinde ad illud Eccleſ. 7. *fecit Deus hominem* 282. *Homo creatus eſt in gratia,*

*minem rectum, ac per hoc* ait l. 14. de civ. c. 11. *Bonæ voluntatis*, ideſt in charitate, cùm bona voluntas Auguſtino nihil aliud ſit quam Charitas, uti ait l. de grat. Chriſti c. 21. *Quaſi vero aliud ſit bona voluntas, quam Charitas, quam ſcriptura nobis eſſe clamat ex Deô.* Apertè hanc ſuam mentem indicat S. Doctor l. 12. de civ. c. 9. ubi ait: *Et iſtam* ( bonam voluntatem ) *Quis fecerat niſi ille, qui eos cum bona voluntate, ideſt cum caſto amore, quo illi adhærerent, creavit, ſimul in eis, & condens naturam, & largiens gratiam?*

283. *Cum libero arbitrio.* Creatus eſt quoque primus homo cum libero arbitrio, *dedit enim* ait S. Aug. lib. de Catheciſ. rudib. c. 18. *Hominibus liberum arbitrium, ut non ſervili neceſſitate, ſed ingenua voluntate Deum colerent.* Duplex verò hîc diſtingui poterit libertas: una qua Adam liber erat, quia aliis præërat, ſoli Deo ſubjectus, quæ ſubjectio nihil libertati obeſt, cum ſervire Deo, regnare ſit, & voluntas tanto ſit liberior, quanto divinæ gratiæ ſit ſubjectior.

Alia eſt libertas propriè dicta, qua erat actuum ſuorum Dominus, perfectiſſimo judicio rationis voluntatem ad actum dirigens, qua poſſet ſtare in gratia ſi voluiſſet, & non ſtare, uti factum eſt.

284. *Homo integer potuiſſet recte vivere, ſi voluiſſet, etſi non ſine gratia.* Quæres an ergo Adam potuiſſet piè ſancteque vivere per vires ſolius liberi arbitrii. Reſp. omiſſo aliquorum ſenſu, quo docent potuiſſe rectè vivere ſolis naturæ viribus juxta ordinem naturæ, potuiſſe ſecundùm ſubſtantiam legis, etſi non quoad modum, potuiſſe ad breve tempus &c. Melior & Auguſtino conformior tenet ſententia, quòd opera ſupernaturalia fierent principaliter viribus liberi arbitrii, etſi ſine gratia fieri non potuiſſent. Ratio hujus eſt, quòd S. Auguſt. plenam poteſtatem rectè vivendi Adami arbitrio ſemper attribuat, quod in juſtitia perſeverare potuiſſet, ſi voluiſſet, eo quòd, ait, habuerit ad hoc ſufficientiſſimam facultatem. Deinde docet poteſtatem bene & piè vivendi per peccatum eſſe amiſſam, nec niſi gratiâ Chriſti poſſe recuperari: ergo ante peccatum

catum erat in homine talis poteſtas. Rurſum, cùm Pelagius vellet, naturam in hoc ſtatu lapſo ſufficere ſe ſolâ ad juſtè vivendum, addidit Auguſtinus, verum id fore, ſi natura in ſua integritate permanſiſſet; jam vero non item. Declarat illud apertè S. Proſper Carm. de ingrat. c. 9. ita canens:

*Ait* (Pelagius) *naturam quæ bona facta eſt,*
*Nullis cum vitiis in quoquam omnino creari;*
*Nec cuiquam primi culpam nocuiſſe parentis.*
*Et quoniam tales naſcantur nunc quoque, qualis*
*Ille fuit noſtri generis pater ante reatum:*
*Poſſe hominem ſine peccato decurrere vitam,*
*Si velit: ut potuit nullo delinquere primus*
*Libertate ſua.*

Ad quod reſpondet S. Pater, aliud eſſe in natura integra, aliud in natura Lapſa, quæ ægra medico indiget; nam ut ait c. 42.

*Nam ſi nunc etiam illæſus vigor ille maneret*
*In quo inſons natura fuit, ſua quemque voluntas*
*Conciliare Deo, pœnaſque abſolvere poſſet;*
*Nec quidquam Chriſtus, mortem moriendo piaret,*
*Peccatum & Mundi ſanguis non tolleret agni,*
*Nec genus humanum generari rurſus egeret*
*Conditione novâ, quoniam ſapientia ſana,*
*Sana fides, ſanum arbitrium, mens libera morbo.*

Quapropter rectè S. Aug. ipſam in bono perſeverantiam docet fuiſſe conſtitutam in libero voluntatis arbitrio. Idem diſertè docet præfatus Auguſtini diſcipulus l. cont. Collatorem c. 18. dum ait: *Rectum atque omni vitio carentem creatum eſſe hominem, dubitare fas non eſt: eumque tale accepiſſe liberum arbitrium, ut ſi auxiliantem ſibi Dominum non dePereret, poſſet in bonis quæ naturaliter acceperat, perſeverare quia vellet, & merito voluntariæ perſeverantiæ in eam beatitudinem pervenire, ut nec vellet decidere in deteriora, nec poſſet: ſed ipſo libero arbitrio, quo quam diu voluit, bonus manſit, à propoſita ſibi lege defecit.* Idem rurſum tradit l. 3. de vita contempl. c. 2. ubi ait. Adæ *nibil aliud fuit non peccare,* 285.

*Perſeverantia recta eſt arbitrio hominis ſani.*

*re, quam nolle.. Nobis autem irreprehenſibiliter vivere velle non ſufficit, niſi ipſum velle noſtrum, quod languida poſſibilitate deficit, divina virtus adjuverit.* Hinc concludit S. Aug. qui poſtquam l. de correp. & grat. c. 12. ita tradidiſſet: *Ut ergo non acciperet hoc donum Dei, ideſt in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio*, ita ſubdit: *Tales vires habebat ejus voluntas, quæ ſine ullo fuerat inſtituta peccato, & nihil illi ex ſe ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati, perſeverandi committeretur arbitrium ....... Nunc verò poſteàquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.*

286. *Adam ſine gratia non potuit facere opera bona.*

Quæres, an ergo Adam ad rectè vivendum non indiguerit gratiæ auxilio. Reſp. Juxta fidem Catholicam omnino eo indiguit. Claret hoc ex eodem S. P. l. citato c. 11. ubi ait: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? imo vero habuit magnam, ſed diſparem. Sanè habuit gratiam in qua ſi permanere vellet, numquam malus eſſet, & ſine qua, etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet.* Et clariùs enchridii c. 107. ſic, ait, *factus eſt homo rectus, ut & manere in ea rectitudine poſſet, non ſine adjutorio divino.*

Idem dicendum eſt, de quibuſvis bonis operibus, quòd nulla eorum ſine gratia Dei facere potuiſſet, cùm nullum poſſit ſine Dei gratia eſſe meritum. Hinc rurſum S. Doctor enchrid. 106. *Hanc* ait, (immortalitatem) *eſt acceptura per gratiam* (natura lapſa) *quam fuerat, ſi non peccaſſet, acceptura per meritum, quamvis ſine gratia, nec tunc ullum meritum eſſe potuiſſet.*

287. *A ſimili.*

Adeo ut expreſsè dicat l. 14. de civ. 27. *Et ipſum confidere de adjutorio Dei non quidem poſſet ſine adjutorio Dei.* Et l. de nat. & grat. c. 26. *ſicut*, ait, *oculus corporis pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere: Sic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, rectè non poteſt vivere.*

Quæ-

288. *Qualis fuerit gratia data Adamo ad bene vivendū.*

Quæres ulteriùs, quale ergo fuerit illud adjutorium datum Adamo ad bene vivendum? Reſp. Fuit actuale Dei adjutorium, prout eſt in juſtificatis gratia habitualis, quo Deus regit & accendit hominis voluntatem, eam adjuvat, cuſtodit, &c. ut ait Aug. quæ omnia actum important. Erat ergo tale adjutorium in quo permaneret ſi vellet, & quod deſereret, cum vellet, non quo fieret, ut vellet; ſine quo tamen nihil boni facere poſſet. Unde aliud erat adjutorium naturæ integræ, quam ſit naturæ lapſæ. Naturæ integræ dabat poſſe agere, naturæ lapſæ adjutorium non tantùm dat ipſum poſſe agere, ſed & ipſum agere indeclinabiliter addit & tribuit. Plura de his vide in materia de gratia. Sect. 13.

Notandum tamen primum Dei amoris actum, datum eſſe Adamo per gratiam actionis, cùm Deus illum homini indidit, & creavit hominem rectum, non ſe fecit rectum, quod aliàs falſum eſſet, ſi dicto adjutorio illum actum non elicuiſſet. Sic tamen illum actum Deus illi indidit, ut perſeverantiam in ipſius relinqueret arbitrio, dans gratiam qua poſſet perſeverare ſi vellet, non quâ fieret, ut vellet.

289. *Gratia data Adamo ad perſeverādum fuit ſuper naturalis, etſi impropriè aliquando dicatur naturalis.*

Quæret quiſpiam, an Juſtitia data Adamo ad perſeverandum dici debeat naturalis, cùm viribus arbitrii relinqueretur. Reſp. Fuit omnino ſupernaturalis, etſi aliquando dicatur naturalis, eo quòd à nativitate primo homini fuerit indita, uti dicimur, *fuit ſuper naturâ Filii iræ*. Unde rectè S. Th. l. 4. c. 52. contra gentes: *donum*, ait, *naturæ humanæ in ſua inſtitutione collatum quodammodo fuit natura, non quaſi ex principiis naturæ cauſatum, ſed quia ſic fuit datum, ut ſimul cum natura propagaretur*. Deinde naturalis dicitur, eo quòd tollebat defectum naturæ, ſcilicèt rebellionem partis inferioris contra ſuperiorem. Denique dici poteſt naturalis, quòd quamvis ad illam non ſit capacitas plena, eſt tamen inchoata, eo ipſo quo homo ad imaginem Dei conditus, talis gratiæ eſt capax. Unde S. Leo Serm. 1. de jejun. *Si creationis noſtræ intelligamus*

*gamus exordium, inveniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet authoris: & hanc eſſe* NATURALEM *noſtri generis dignitatem, ſi in nobis, quaſi in ſpeculo, divinæ benignitatis forma reſplendeat.* Quòd verò hoc velit in ordine ad gratiam, ſubdit continuò: *Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in ſecundo.* Quia tamen malè ſonat, gratiam dicere naturalem, cùm hoc importet gratiam haberi viribus naturæ, ideo rectiùs ſupernaturalis dicenda eſt, quam naturalis.

Varia quæ hîc objici poſſent, vide diſcuſſa & reprobata in materia de gratia, de diſcrimine gratiæ naturæ integræ & naturæ lapſæ. Sect. 4.

290. *Scientia Adæ fuit omnium hominum ſcientiâ major.* Quæres quænam fuerint dona intellectûs in ſtatu integro? Reſp. conſtat Adamum habuiſſe præſtantem ſcientiam; vel ex eo quòd omnibus animantibus nomina impoſuerit, quæ naturæ cuique convenirent, ex quo Plato, illum omnium ſapientiſſimum ſtatuit uti & Pythagoras, qui primus nomina impoſuit. An autem fuerit ſcientia Adæ major Salomonis, dubitari poſſet, cùm ab una parte de Salomone dictum ſit 3. reg. 4.

291. *An major ſcientia Salomonis.* *Ecce dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Et ab alia parte prov. 30. dicatur à Salomone: *Intelligentia Adam non eſt mihi.* Ad quod Reſp. quòd eo non obſtante ſapientia Adæ fuerit major, ſapientiâ Salomonis: quod vero dicitur 3. Reg. 4. intelligendum eſt de ſcientia politica, quam rogaverat à Deo Salomon ad regendum: etſi fatendum ſit, aliam quoque eſſe adjectam, etſi non tantam, quanta data eſt Adamo.

292. *Objecta ſcientiæ Adami.* Habuit ergo Adam ſcientiam rerum omnium naturalium, neceſſariam, ut cuique rei nomina congrua imponeret. Habuit etiam ſcientiam cœlorum, ſtellarum, elementorum, &c. Aliàs enim non cognoviſſet perfectè res inferiores, quæ ex elementis conſtant, virtute & influentia cœlorum reguntur, conſervantur, &c. Habuit etiam ſcientiam naturalem Dei,

Dei, ex creaturarum cognitione hauſtam: Habuit & perfectam ſcientiam moralem, qua ſciebat ſe exactè ad regulas naturæ gubernare. Non habuit tamen ſcientiam futurorum contingentium & ſecretorum cordis, uti patuit ex conſenſu mulieris reſpectu ſerpentis, cujus dolum ſi cognoviſſet, indubiè non conſenſiſſet.

Ultra hanc ſcientiam naturalem habuit aliam ſupernaturalem ſatis amplam, puta Fidem, homini viatori propriam, qua credebat Deum eſſe, & remuneratorem bonorum, & alia neceſſaria creditu ad conſequendum ſuum finem. Fides vero Adæ diverſa erat à Fide noſtra, quòd illi eſſet à nativitate indita, nulli ignorantiæ permixta, ab initio robuſta, ubi noſtra à nativitate non datur, ignorantiæ conjuncta eſt, paulatim creſcit, ut patet in proſelytis. 293. *Fides Adami qua ratione diverſa ſit à noſtra.*

Quæritur hinc, an ergo Adam nullum habuerit errorem? Reſp. triplex ſtatui poteſt ignorantia ſeu error. Prima puræ negationis, qua quis aliqua ignorat aut neſcit, & hanc in Adamo fuiſſe, eſt indubitatum, cùm multa neſcierit. Secunda eſt ignorantia privationis, qua neſcitur id, quod pro tempore & loco convenit ſcire. Tertia eſt ignorantia pravæ diſpoſitionis, quæ error aut deceptio dicitur, qua fit, ut aſſentiamùr falſis pro veris. Has duas ignorantias in Adamo non fuiſſe veriùs apparet, eo quòd ſit magnum malum taliter errare, & perfectioni talis ſtatus repugnet; quapropter ignorantia propriè eſt pœna peccati. 294. *An Adã erraverit.*

Dices, mulier neſcivit fallaciam ſerpentis, quam tamen ſcire conveniebat, ut ſibi caveret. Deinde decepta fuit antequam peccaret, putans ſerpentem vera dicere & promittere. Reſp. Ad primum, non oportuiſſe Evam ſcire fallaciam ſerpentis, ut noſtri nihil intereſt, ſcire hominum fraudulentiam, dummodo habeamus ſufficientem diligentiam & prudentiam fraudes vitandi, ut Eva habebat. Ad aliud reſp. Evam non habuiſſe errorem ante peccatum, cùm ut ante

ante diximus, error ille ſit aliquid peccati. Vide quæ dixi de primo peccato Angelorum, in ſimili.

## SECTIO IV.

*De Tentatione & Lapſu Protoparentum.*

Data Protoparentibus à Deo lege, ne ſub pœna mortis ederent de ligno ſcientiæ boni & mali, non ut ſolis Protoparentibus, ſed ut perſonis publicis à cujus obedientia vel inobedientia totius poſteritatis felicitas dependeret aut infelicitas: aggreſſus eſt Dæmon hominem, & ad inobedientiam provocavit.

295. *Quare per miſerit Deus hominẽ tentari, quẽ ſciebat caſurum.* Quomodo autem Deus permittere potuit ſerpentem tentare hominem, quem Deus caſurum præſciebat; ad altitudinem pertinet divini conſilii. Fortè, quòd cùm creaſſet hominem liberi arbitrii, eumdem tentari permiſerit, ut oſtenderetur, quid poſſet liberum arbitrium, & quid poſteà poſſet ſuæ gratiæ beneficium. Vel etiam ut occaſione peccati, Deus oſtenderet ſuam bonitatem, mittendo filium in hunc Mundum peccatores ſalvos facere: ratione cujus dicitur, *Felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Deinde ex illa permiſſione relucet divina miſericordia æqué ac juſtitia, dum aliquos ex maſſa damnationis eripit, alios in eâ relinquit. Denique, ut ait S. Aug. l. 11. de Geneſ. ad Lit. c. 4. *Non mihi videtur magnæ Laudis futurum fuiſſe hominem, ſi proptereà bene vivere poſſet, quia nemo male vivere ſuaderet.*

296. *Quanto tempore duraverit ſtatus innocentiæ.* Quæritur autem primò, quanto tempore manſerit Adam in Juſtitia originali. Reſp. hoc eſſe planè incertum; viriſimile tamen eſt, non manſiſſe longo tempore. Diabolus enim invidiâ hominis æſtuans, Evam aggreſſus eſt, ut partem debiliorem, idque ſub ſpecie Corporalis Serpentis, cujus tamen ſpeciei, an Draconis, an Colubri, conjecturent alii. Porro, uti olim

olim Angelus per os Aſinæ Balaam locutus eſt, ita & locutus eſt dæmon per os ſerpentis hujus, naturali virtute formans in eo vocem humanam, linguam & faùces movendo. Falſum autem eſt, quod fabulatur Joſephus l. 1. Antiq. c. 2. ſcilicèt à nativitate inditam eſſe ſerpenti virtutem loquendi, & in pœnam ſeductionis eam eſſe illi ademptam. Locutus autem veroſimiliter eſt linguâ Hæbraïcâ, omnium antiquiſſimâ, uti conſtat ex primis nominibus, quæ ſunt Hæbraïca.

Magna tamen inter tentationem hominis integri, & lapſi eſt differentia, eo quòd tentatio hominis integri (uti & Chriſti) ſolùm fuerit externa ſuggeſtio peccati, ad quod procurandum, aſſumpſit quoque externam ſpeciem. Non enim poterat interiùs tentari à carne cùm caro perfectè ſubderetur ſpiritui: neque etiam à Dæmone phantaſiam commovente, cùm vis imaginativa etiam perfectè ſubeſſet rationi, adeo ut nullus ejus motus rationis ductum præveniret. In homine autem lapſo poteſt phantaſiam hominis commovere, ei objiciendo aliquod turpe, unde motus appetitûs ſenſitivi exſurgunt, & tàndem hominis conſenſum extorquet. 297. *Differentia inter tentationẽ hominis integri & lapſi.*

Tentata ergo à ſerpente Eva, & ſpe excellentiæ divinæ quam promiſerat ſerpens allecta, ſerpenti credidit, & de fructu vetito comedit. Peccavit ergo primò, ſibi inordinatè placendo, & excellentiam illam ſibi inordinatè appetendo: adeò ut falſa ſit Magiſtri & Hug. Vict. ſententia, docens Evam peccaſſe, dum dixit *Præcepit nobis Deus ne comederemus & ne tangeremus illud ne* FORTE' *moriamur*, quaſi priùs peccaſſet dubitando de veritate Dei, non enim de illa dubitabat, ſed tantùm de eventu ſecuturo: quare poſteà videns Eva ſe non mori guſtando, dedit & Adamo guſtandum. 298. *Primum Evæ peccatum.*

Quæritur 2. quodnam fuerit primum Adami peccatum. Reſp. Hæretici noſtri, docentes ſola infidelitate gratiam amitti, docent etiam fuiſſe infidelitatem, 299. *Primum Adæ peccatum.*

tem, quæ ſit primum vitium, uti fides eſt initium juſtitiæ. Alii docent fuiſſe inordinatum amorem amicitiæ ſocialis, quo factum eſt, ut nolens uxorem contriſtare, eidem conſenſerit, & legem Dei perfregerit. Huic ſententiæ alibi favet S. Aug. Verior tamen ſententia, ponit in Adamo primum peccatum, mentis elationem, quæ ſurrexit in illo, dum audivit à ſerpente, *eritis ſicut dii.* Quod, etſi ſoli Evæ dictum ſit, vix dubium tamen, quin idem Adæ ab eâ ſit relatum. Hinc poſteà à Deo per ſarcaſmum Adamo dictum eſt, *Ecce Adam, quaſi unus ex nobis factus eſt.* Et hæc eſt aperta ſententia S. Aug. variis in locis, & ſignanter Conc. 11. in Pſalm. 118. ubi ait: *Primi homines per ſerpentem decepti & dejecti non fuiſſent, niſi pluſquam acceperant, habere, & pluſquam facti fuerant, eſſe voluiſſent.* Conſentit & S. Proſper. l. 2. de vita contempl. c. 19. ubi ita loquitur: *Non defererent Deum* (primi parentes) *niſi ſuperbirent, & ſimilitudinem Dei damnabiliter appetiviſſent.* Idem docent S. Fulg. & alii SS. PP.

300. *Quomodo Adam non ſit ſeductus.* Hujus occaſione quæri poſſet, quomodo rectè ab Apoſtolo 1. Thimoth. 2. dictum ſit: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta?* Reſp. Varii hoc variè exponunt, primo Adamum à ſerpente non eſſe ſeductum ſecum loquente, uti Eva: 2. quòd Scriptura ſeductionis Adæ non meminerit. 3. quòd non immediatè à ſerpente ſit ſeductus. Conformiùs tamen ſcopo Apoſtoli dicitur, quòd mulier immediatè à ſerpente ſeducta ſit & decepta; ex quo ulteriùs infert Apoſtolus mulierem non decere, quod doceat, ſed diſcat, cum facilè decipi poſſit & ſeduci.

301. *Adam an Eva quis gravius peccarit.* Quæritur 3. quiſnam graviùs peccarit, vir an mulier. Reſp. dicitur communiter Evam graviùs peccaſſe, eo quod ultra peccatum jam commiſſum, Adamum in peccatum provocaverit & induxerit: alii tamen Adamum graviùs peccaſſe docent, ſaltem accidentaliter, quatenus pollebat majori prudentiâ & ſcientiâ legis divinæ quibus peccatum meliùs vitare poſſet. Ad-

Admiſſo igitur, & completo peccato utrıuſque, aperti ſunt oculi amborum, oculi ſcilicèt mentis, videntes amiſſam eſſe innocentiam, & rebellionem partis ſenſitivæ fœdé commoventis partes genitales, ex inſpectione earumdem partium. Hinc ſubſecuta eſt, turbatio & pœna, privatio ſcilicèt juſtitiæ originalis, debitum mortis, expulſio de Paradiſo, &c. Subſecuta eſt & maledictio ſerpentis, maledictio Adæ & Evæ, de quibus vide Geneſ. c. 3.

Quæritur 4. An Adam pœnituerit, & ſalvus ſit. 302.
Reſp. in primis Fidei eſt, eum pœnituiſſe. Probatur ex Sap. 10. ubi dicitur. *Hæc illum qui primus formatus eſt à Deo, Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit & eduxit illum à delicto ſuo.* Conſonat S. Aug. l. 2. de pec. merit. c. 34. ubi ait: *Merito creduntur* (protoparentes) *Per Domini ſanguinem ab extremo ſupplicio liberati.* Unde ita concludit Irenæus l. 3, c. 39. *Qui contradicunt ſaluti Adæ nihil proficiunt, niſi hoc, quod ſemetipſos Hæreticos & Apoſtatas faciunt veritatis, & advocatos ſe ſerpentis & mortis oſtendunt.* Videri poteſt noſter Philippus Bonæ Spei in ſuo libro de ſalute primi Hominis. Peccatum igitur ante admiſſum totam poſteritatem infecit, & dicitur *originale*, de quo plurima dicentur in 1. 2. agendo de peccatis.

*Adam ſalvatus eſt.*

---

## SECTIO V.

### De ſtatu Puræ naturæ.

*An homo creari potuerit cum concupiſcentia.*

OSTENSO, hominem in juſtitia & cum amore caſto eſſe creatum, quo Deo inhæreret, ſequebatur exigere rectum ordinem, quod ſine concupiſcentia crearetur. Defendit hoc conſtanter D. Aug. contra Pelagianos docentes omnes concupiſcentiæ motus, humanæ naturæ eſſe concreatos, ubi 303.

*Non potuit homo à Deo creari cū concupiſcentia ſine fræno.*

tamen omnis concupiſcentia eſt ex peccato orta, & ad peccatum inclinat. Quapropter craſsè hallucinantur, qui docent, in primo homine fuiſſe innatum intenſiſſimum amorem excellentiæ propriæ, uti etiam innatum appetitum rei amabilis, adeo ut ex viſu pomi homo peccaverit. Contra hos ita quærit S. Aug. l. 1. op. imperf. fol. 100. *Quid eſt ergo, quod loqueris neſciens quid loquaris? ergone & in Paradiſo ante maleſuadi venena ſerpentis, ante corruptam ſermone ſacrilego voluntatem, illiciti cibi libido fuit? ....... & vivebant in illo loco tantæ beatitudinis, non habentes in ſe ipſis pacem mentis & corporis? non uſque adeo dementes eſtis, ut iſta credatis, non uſque adeo impudentes, ut iſta dicatis.*

Quæſtio tamen ſatis gravis eſt, an ſaltem in ſtatu naturæ puræ, ideſt in ſtatu quo nunc naſcimur abſque peccato tamen, ſed cum concupiſcentia & aliis vitæ miſeriis, homo à Deo condi potuiſſet? ad quam Reſp. Juxta S. Auguſtini principia, hominem in tali ſtatu à Deo primitùs condi non potuiſſe. Probatur primò: quia homo in ſui creatione exigebat creari in juſtitia, ut ante dictum eſt: 2. ſapientia & bonitas divina, non poteſt creare hominem inordinatum ſine ſua culpa, quod tamen fieret, creando hominem ſine ſua culpa cum rebellione carnis, maximè ſi crearetur cum tali rebellione ſine fræno illius, ut ſtatus puræ naturæ ſupponit. 3. divina ſapientia non potuit hominem creare contra naturam & naturalem exigentiam creaturæ rationalis: ſed illa rebellio eſt contra naturam naturæ rationalis, quæ exigit, ut pars inferior ſubdatur ſuperiori, quod rebellio illa deſtruit, ergo.

Conſentiunt SS. Patres & in primis S. Aug. hanc adferens rationem l. 3. de lib. arb. c. 9. quod *ſi peccatis detractis miſeria perſeveret, aut etiam peccata præcedat, rectè deformari dicatur ordo atque adminiſtratio univerſitatis.* Si autem homo in tali ſtatu conditus eſſet, maximis miſeriis obnoxius eſſet ſine culpa, ſcilicèt

ſcilicèt concupiſcentiæ ſine fræno, & aliis, ubi tamen à Deo non oriuntur, niſi ordinatiſſima. Quinimò quod tyrannicum ſit, ſinere aliquem mala perpeti innocentem, niſi majoribus bonis id compenſetur.

Objicies primò quidquid Deus vult, facere poteſt? Reſp. cum Theodoreto Epiſt. 144. nihil Deum velle facere, quod naturæ non congruit: naturâ autem bonus eſt, ergo nihil vult mali, naturâ juſtus eſt, ergo nihil vult injuſti.

Objicies 2. nihil ex hac creatione injuſti, nec aliquid Deum dedecens eveniet Reſp. injuſtum eſt, ſine culpa miſeriis afficere innocentes, ſine compenſatione majoris boni. Deinde etſi ex parte objecti nihil dedeceat, dedecet tamen ſummam & infinitam bonitatem, ita creaturam rationalem innocentem creare.

Objicies 3. eo ipſo quo conſtat homo corpore & animâ, conſtat ex diverſis appetibus quodammodo repugnantibus, adeoque illa rebellio exſurgit ex ipſâ naturâ. Reſp. Exſurgit quidem ex ipſâ naturâ, ſed vitiatâ, non autem ex natura ſecundum ſe ſumpta, quo pacto exigit plenam ſubjectionem partis inferioris cum ſuperiori, & eſt hominis naturæ naturalis.

Dices ſubjectio illa haberi non poteſt, niſi per dona ſupernaturalia, ergo non eſt naturalis. Reſp. Unio phyſica non poteſt quoque haberi niſi ſupernaturaliter in homine mortuo, & tamen homini eſt naturalis: ita etiam viſio eſt homini cæco naturalis, & tamen illi dari nequit, niſi ſupernaturaliter.

Objicies 4. ſententia noſtra videtur coincidere cum hac damnata à pio 5. & Greg. 13. num. 53. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.* Reſp. In primis propoſitio illa ut jacet, vera eſt & Catholica, cum verum ſit, Deum non potuiſſe creare hominem, prout nunc naſcitur, ſcilicèt cum peccato originali. Eſt ergo reprobata propoſitio,

quòd homo non potuerit creari ſine gratia habituali & juſtificante, quod intendebat author, ut patet ex hac ejuſdem num. 76. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe creari & inſtitui ſine juſtitia naturali.* Hoc autem nihil facit pro poſſibilitate ſtatûs naturæ puræ, qui ſtatus ultra quòd excludat gratiam, etiam excludit ſubjectionem partium, ſive carentiam rebellionis.

Objicies ultimò, poſſet Deus creare hominem in eo ſtatu, ſi ſimul homini daret auxilia naturalia, quibus pars inferior ſubderetur ſuperiori. Reſp. Status naturæ puræ excludit omnia omnino auxilia, tam naturalia quam ſupernaturalia. Deinde vel illa auxilia fuiſſent debita ſaltem providentiæ divinæ, ergo ſine iis hominem creare non potuiſſet, ergo ab initio non potuit creare hominem ſicut nunc naſcitur, cum nunc ſine iis naſcatur.

TRA.

Digitized by Google

# TRACTATUS II.

## DE

## ULTIMO FINE,

## Sive beatitudine, & actibus humanis, eorumque regulis, quibus beatitudo eſt conſequenda.

## CAPUT PRIMUM.

### SECTIO PRIMA.

*De beatitudine formali & objectivâ.*

BEATITUDO ad quam homo à ſummo opifice eſt conditus, invidiâ diaboli ab eadem dejectus, & tandem per redemptorem ad eamdem reparatus, eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Hinc coincidit cum eo ſtatu, in quo plenè quis ſatiatur, etiam quoad deſiderium, ſic ut nihil reſtet deſiderandum. Alia eſt beatitudo formalis, alia objectiva. 304. *Quid ſit beatitudo.*

Dicendum 1. beatitudo objectiva, eſt objectum, in quod tendit beatus, & cujus poſſeſſione beatus dicitur. Coincidit illud, cum *Summo bono* & *ultimo fine.* Niſi enim habeatur bonum ſummum, aliquid deſiderandum reſtat, adeoque non plenè ſatiabitur appetitus, nec ſtatuimur in ſtatu omnium bonorum aggregatione perfecto. Deinde ad illud bonum, quo beamur, 305. *Beatitudo objectiva.*

omnia bona referenda ſunt, ut mox probabitur.

306. *Beatitudo objectiva eſt ſolus Deus.* Dicendum 2. beatitudo objectiva coincidit cum objecto fruitionis, quod eſt ſolus Deus. Probatur concluſio ex D. Auguſtino hic enim l. 1. de Doct. Chriſt. c. 4. docet, *Frui eſſe amore alicui rei inhærere propter ſeipſam:* & c. 22. *quod propter ſe diligendum eſt, in eo conſtituitur vita beata.* & c. 3. *illæ res, quibus fruendum eſt, beatos nos faciunt: iſtis quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quaſi adminiculamur, ut ad illas, quæ nos beatos faciunt, pervenire atque his inhærere poſſimus.* Quòd verò objectum illud ſit ſolus Deus, diſertè tradit S. Præſul ibid. c. 5. *Res quibus fruendum eſt, Pater & Filius & Spiritus Sanctus eſt, eademque Trinitas.* Et rurſum c. 21. *In his igitur omnibus rebus, illæ tantum ſunt quibus fruendum eſt, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus: cæteris autem utendum, &c.*

307. *Beatitudo naturalis non eſt vera beatitudo.* Dicendum 3. ex his manifeſtè patet, non eſſe agnoſcendam beatitudinem naturalem, cùm illi plurima bona ſemper deſint; & quidem jam dictum objectum veræ beatitudinis, quo deficiente nihil ſunt beatis cætera, nec beatitudo nominari poteſt, etſi alia omnia adſint.

308. *Idem eſt objectum & mediũ beatitudinis neceſſarium.* Dicendum 4. etſi ad beatitudinem perveniri non poſſit, niſi per beatitudinis objectum, & niſi poteſtate ſupernaturali, dicitur tamen beatitudo ſubinde naturalis. Prius patet ex S. Auguſt. Stoïcorum Stoliditates deſcribente Epiſt. 51. ubi ait: *Vitam beatam ipſi ſibi quodammodo fabricare voluerunt, potiuſque patrandam, quam impetrandam putaverunt, cùm ejus dator non ſit, niſi Deus. Neque enim facit beatum hominem, niſi qui fecit hominem.* Poſterius ita explicat S. Doctor in lib. de Trin. Boëty in q. ult. ad quint. ubi ait:

309. *Quomodò beatitudo dicatur nobis naturalis.* *Quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum, non tamen poteſt naturaliter illum conſequi, ſed ſolùm per gratiam, & hoc propter eminentiam illius finis.* Quod & explicans Scotus in Prolog. q. 1. num. 12. ait: *Deum eſſe finem naturalem hominis, licet non naturaliter adipiſcendum,*

*cendum, ſed ſupernaturaliter.* Ratione ergo naturalis inclinationis in illam, dicitur beatitudo naturalis, quæ inclinatio tanta eſt, ut S. Aug. in Enchrid. c. 104. de eadem dicat, *ita nos beatos eſſe velle, ut eſſe miſeri non ſolùm nolimus, ſed nequaquam velle poſſimus.*

Dicendum 5. formalis beatitudo, ſive poſſeſſio prædicti objecti, non conſiſtit in ſola Dei viſione, ſed etiam in amore ejuſdem. Quòd in viſione partim ſita ſit probatur ex variis Sacræ Scripturæ locis, ut 1. *Joan.* 13. *Videbimus eum ſicuti eſt.* 1. Cor. 3. *Videbimus facie ad faciem*, &c. Quod autem non in ſola viſione ſita ſit, ſed vel potiſſimùm in amore Dei, declarat S. Auguſt. Epiſt. 56. & 52. ubi ait. *Beatitudo fruentis & intelligentis eſt propria. Unde ſicut nec virtus nobis erit, niſi adſit ipſe Deus, quo juvemur? ita nec beatitudo, niſi adſit ipſe quo fruamur.* Quid autem ſit frui, antedeclarat S. Doctor, dicens, *eſſe amore inhærere rei propter ſe ipſam.* Accedit & Catechiſm. Rom. ita loquens p. 1. c. 13. §. 6. *Solida beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, ut Deum videamus, ejuſque pulchritudine fruamur, qui eſt omnis bonitatis ac perfectionis fons & principium.* Ratio ejus eſſe poteſt, quòd ſicuti cognitionem in ænigmate, hîc præcedit voluntatis actus, quo inclinamur in primam veritatem, ita in patriâ cognitionem & viſionem beatificam, præcedit actus voluntatis in divinam bonitatem, quam beatus clarè percipit & comprehendit. Hinc ſi quando ab aliis beatitudo conſtituitur in viſione, contemplatione, &c. Actus amoris non excluditur, *Imò, ſumma merces eſt, ut Deo perfruamur* ait S. Aug. l. 1. c. 32. de Doctrina Chriſtiana, frui autem ad voluntatem ſpectat, & rurſum de Geneſ. ad litt. l. 12. c. 26. *Una ibi & tota virtus eſt, amare quod videas, & ſumma felicitas, habere quòd amas.*

310. *Beatitudo formalis.*

311. *Sita eſt maximè in amore.*

Deinde ſi ex ſola viſione beatitudo eſſentialis ſtatui poſſit, beati erunt damnati, qui in ultimo judicio Deum clarè videbunt, ut docet B. Saleſius de amore divino l. 10. c. 1. ubi & addit, beatos non

eſſe beatos, niſi praxim amoris in uſu haberent.

312. *Beatitudo accidentalis.* Dicendum 6. præter hanc eſſentialem beatitudinem, dari ſolet alia accidentalis, quæ conſiſtit in donis animæ & corporis, quæ tanta ſunt, ut nec ea oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis aſcenderint, quæ Deus præparavit electis 1. cor. 2.

## SECTIO II.

*De Donis animæ & Corporis beatorum.*

313. *Dotes animæ & Corporis Claritas.* Dona Corporis tradit Apoſtolus 1. Cor. 15. ex quo communiter recenſentur 4. ſcilicèt: claritas, impaſſibilitas, agilitas & ſubtilitas. De prima dicitur Math. 13. *Fulgebunt juſti ſicut Sol.* Sicut, tamen, *Stella differt à Stella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* 1. ad Cor. 15: Unde in beatis pro varietate meritorum, major vel minor erit claritas beatorum. Hujus ſpeciem dedit Chriſtus in ſua trans-figuratione, dum ejus facies facta eſt ut Sol.

314. *Impaſſibilitas.* Impaſſibilitas innuitur ibidem, dum dicitur, *Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione:* deinde, *non eſurient, neque ſitient ampliùs, neque cadet ſuper illos Sol, &c.* Apoc. 7.

315. *Agilitas.* Agilitas verò, dum ait Apoſt. ibidem: *Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget ſpiritale.* Hinc tamquàm ſcintillæ in arundineto diſcurrent, &c.

316. *Subtilitas.* Subtilitas quoque figurata eſt in Chriſto reſurgente, dum clauſo ſepulchro reſurrexit, Januis clauſis ad Diſcipulos venit, &c. Hinc beati ſine ullo impedimento facilè pervadent omnia.

317. *Aliæ dotes.* Dicendum primò. Ultra has corporis dotes primarias, variæ etiam aſſignantur animæ dotes, ut gaudium, pax, impeccabilitas, &c. quæ ex dicta eſſentiali beatitudine naturaliter conſequuntur, tam-

quam

quam effectus à ſua cauſa. Porrò impeccabilitas illa non ita provenit ex viſione Dei ſecundùm ſe 318.
conſiderata, quam bene ex amore beatifico. Hinc *Vndenam* enim fit, ut delectatio ſummi boni ſit tanta, ut nihil *ſit impeccabilitas* ultra aut extra illud, beatos delectare poſſit. Ab- *beatorum.* ſente autem omni aliâ delectatione, oritur impeccabilitas, nam ut ait S. Aug. l. 22. contra Fauſtum c. 28. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret.* Declarat iterum illud S. Doctor l. 4. contra Jul. c. 3. ubi ait de beatis: *Quando tantâ ſatiabitur viſione, & tantâ inflammabitur Charitate ſuperioris boni, ut ad ſe ipſum ſibi placendo, deficere ab illius dilectione non poſſit.* Et Serm. 49. de temp. c. 9. *tunc*, ait, *non peccabimus non ſolùm factis, ſed nec concupiſcentiis, cum illam faciem viderimus, quæ vincit omnes concupiſcentias.* Rationem addit: *Tam enim dulcis eſt Fratres mei, tam pulchra, ut illâ viſâ, nihil aliud poſſit delectare.*

Dicendum 2. non poteſt impeccabilitas illa oriri ex ſola viſione, ab amore diſtinctâ. Probatur, quia ſtante etiam perfectiſſimâ Dei contemplatione, poſſet beatus labi, ſi fortiſſimâ tentatione pulſaretur: delectationes enim infimas ſola delectatio ſummi bo- 319.
ni ſuperat & frænat. Imò Charitas eſt, quæ intel- *Poſset ſolum videns Deū peccare.* lectum in Deum figit, ut in ejus contemplatione ſine ceſſatione perſiſtat. Unde tunc peccare non poterit beatus quia *à delectatione peccandi, uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberabitur*, ut ait S. Aug. l. 22. civit. c. 30. Quomodo autem impeccabilitas illa, eorundem libertati non officiat, dicetur infra.

Dicendum 3. non omnium beatorum æqualis eſt 320.
beatitudo, ſed in Domo Patris cœleſtis, manſiones *Beatitudo æqualis ex parte objecti, non item ex parte ſubjecti* multæ ſunt, & qui parcè ſeminavit, parcè & metet. Eſt tamen eadem beatitudo omnibus ex parte objecti, eo quòd unum omnium beatorum objectum ſit ipſe Deus qui eſt omnia in omnibus.

Dicendum 4. ultra dotes Corporis Superiùs di- 321.
ctas, ſolet à Scholaſticis ſuperaddi, *aureola*, ſive do- *Quid ſit aureola.*
num

num corporis accidentale, corporali aliquo ſigno expreſſum, cujuſmodi apparebit in Virginibus, Martyribus, Doctoribus, &c.

---

## SECTIO III.

*An beatitudo ſemel habita deperdi poſſit.*

322. *Beatitudo deperdi non poteſt.* DICENDUM primò beatitudo ſemel obtenta deperdi nequit, cùm ſit vita æterna. Hinc S. Aug. l. 22. de civ. c. 30. *Ipſe erit finis deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidiò amabitur, ſine fatigatione laudabitur.*

323. *Certi ſunt beati de æterna gloria.* Dicendum 2. de hâc ſuæ beatitudinis perennitate, certi ſunt beati & ſecuri. Probatur, eo quòd incertitudo, & anxietas de poſſeſſione ſummi boni, ſit magnum hominis malum cui proinde beatorum ſtatus obnoxius non eſt, cùm ſit ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Nam ut rogat S. Auguſt. l. cit. c. 20. *Quid eſt beatitudine fallacius, ubi nos futuros miſeros, aut in tanta veritatis luce neſciamus, aut in ſumma felicitatis arce timeamus?*

324. *Deus non poteſt beatos damnare.* Dicendum 3. falſum eſt dogma, poſſe Deum citra injuſtitiam, beatos omnes in gehennam pro trudere. Probatur, quia crudelem facit Deum, qui aliquem ſine ſua culpa, graviſſimis pœnis plecteret. Hinc rogat S. Aug. l. 11. de Gen. c. 17. *Numquid ille priùs ultor, quam iſte peccator? abſit, neque enim Deus damnat innocentes.* Et rurſum l. 1. op. imp. f. 33. *Neque enim ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt.* Et ad rem noſtram planiùs Serm. 14. de verb. Apoſt. c. 6. *hic*, ait Juliano & aliis, *defende juſtitiam Dei: quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum invenitur omnino peccatum? reſponde ſi potes, ſed rationem adfer.*

Rationem hanc dant alii, quòd Deus ratione ſui juris & Dominii, quod habet in beatos, poſſit illud

illud citra reprehenſionem exequi. Deinde ſicut poteſt damnatos omnes, præmiare vitâ æternâ; ſic beatos poſſit plectere morte æternâ. Reſp. ad prius, dominium eſſe quidem poteſtatem utendi re aliqua tamquàm ſua, ſed ad omnem uſum lege non prohibitum: uſus autem ille, quem Deo licitum fingunt, ipſâ Dei incommutabili lege prohibetur, quæ vetat punire innocentes maximè ipſi juſtitiæ & bonitati per eſſentiam. 325. *Quid ſit dominiũ.*

Deinde ad aliud ita reſpondet S. Auguſt. Epiſt. 106. cont. Pelagianos exaratâ ad Paulin. *Piè & veraciter creditur, Deus nocentes & impios juſtificando à pœnis debitis liberare? quemquam verò immeritum & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Ea propter & dictam ſententiam, ibidem vocat S. Præſul, *Abſurdiſſimam & à juſtitia Dei penitus alienam.* Concludo cum ipsâ Sapientiâ æternâ c. 12. *Ipſum, qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à tua virtute.*

## SECTIO IV.

### *An beati Canonizati actualiter videant Deum.*

Dicendum 1. varii ſunt ab Eccleſia Canonizati & beati dicti, qui tamen Deum actualiter non vident. Sic in V. T. Canonizati ſunt Eccli. 44. varii SS. Patres, quos tamen ante Chriſti mortem Deum actualiter non vidiſſe conſtat. Deinde cum canonizatione abſentiam viſionis Dei profeſſa eſt diuturno tempore pontificum ſententia, ſignanter Joannes 22. qui etſi 3. Sanctos canonizaſſet, tamen docuit animas Sanctorum viſione Dei carituras uſque in diem judicii & reſurrectionem mortuorum. Denique Elias & Eliſæus ſancti ſunt, in Eliæ honorem celebrat Miſſam Carmelitarum Ordo, officium ſingulare decantat &c. Ubi tamen actualiter Deum nondum 326. *Canonizati non neceſſariò debent actualiter Deũ videre.*

nondum videt, ut communis fert ſententia, contra paucos alios.

327. *Miracula non ſunt ſigna actualis Dei viſionis.* Objicies 1. Miracula per SS. facta, quæ ſunt præcipuum motivum Sanctos canonizandi, declarant eoſdem clarè Deum videre. Reſp. neg. aſſumpt. cùm Eliſæus etiam monſtra placaverit & mirabilia fecerit, ut dicit Scriptura. Deinde aliquos in purgatorio exiſtentes Miracula patraſſe tradunt SS. PP. ut de Severino Colon. Pet. dam. l. 2. Epiſt. 15. & de Paſchaſio Diac. Greg. l. 4. Dial. c. 40.

Objicies 2. de quolibet Confeſſore dicit Eccleſia, *Hodie lætus meruit ſecreta ſcandere cœli*: item, *Dies refulſit lumine, quo Sanctus hic de corpore polum migravit præpotens.* Reſp. quilibet Sanctus dum vitam obit, meretur ſcandere cœlum, to *Hodie* ergo afficit *meruit* non autem *ſcandere*: adeò ut ſenſus ſit, hodie meruit ſcandere, non item hodie ſcandit. Porrò meretur illud, etſi aliquanto retardetur â cœlorum ingreſſu. Sic idem legitur de Joachimo, Joſepho, &c. Qui tamen ipſo die obitus cœlum non ſunt ingreſſi, etſi illo die illud ingredi meruerint.

328. *Quid importet natalis beatorum.* Objicies 3. Eccleſia vocat diem obitûs SS. natalem, eo quòd cœlo nati ſint. Reſp. martyrologium vocat etiam diem depoſitionis innocentium natalem illorum, uti & diem depoſitionis Simeonis juſti & timorati, qui tamen eo die cœlum non ſunt ingreſſi, etſi illo die ingredi meruerint: Unde vocatur dies ille natalis, eo quòd jam cœlo certò præparentur, & ad aliam vitam generentur, etſi poſt aliquod tempus in illam ſint ingreſſuri.

329. *Quid lumen glorioſum circa caput beati.* Objicies 4. aliud innuit Eccleſia, quando Sanctos ornat glorioſo lumine circum capita Sanctorum, in ſignum gloriæ cœleſtis. Reſp. lumen in aliquibus eſſe poteſt ſolummodo ſignum prognoſticum cœleſtis gloriæ, uti quondam fuit in Philippo Nerio, Moyſe, &c. Adhuc viventibus. Hinc permittit Eccleſia tali lumine adornari Eliam, quem nondum Deum clarè videre antea diximus.

CA-

# CAPUT SECUNDUM.

## De Actibus Humanis.

## SECTIO PRIMA.

*De Libertate arbitrii ſive voluntatis.*

Cum ad actum humanum requiratur, ut ſit liber, prætractanda ſunt ea, quæ ad libertatem pertinent.

Dicendum 1. ratio liberi vel libertatis opponitur captivo aut ſervituti, nam ut ait S. Aug. op. imp. ſ. 123. *Quod captivum eſt, liberum non eſt: quod liberum eſt, captivum non eſt.*

Dicendum 2. datur in homine lapſo liberum arbitrium, ideſt potentia libera, cùm detur in nobis potentia, quæ ſit actûs ſui Domina. Nam ut rurſum ait S. Doctor l. 2. de lib. arb. 3. *Voluntas noſtra, nec eſſet voluntas, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porro quia eſt in poteſtate libera eſt nobis. Non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe, quod habemus.* Et iterum de ſpiritu & lit. c. 31. *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult, non facit.* 330. *Quid ſit liberum arbitrium.*

Dicendum 3. modus ergo agendi voluntati proprius eſt, ſua poteſtate & Imperio actum ponere, in quo diſtinguitur ab aliis agentibus inanimatis aut irrationabilibus, quæ actus ſuos in ſua poteſtate non habent, ſed ſine Imperio aut fræno aliquo ex iis erumpunt, nec ita agunt, quam agantur. Ratione hujus modi agendi voluntati proprii, dicitur à SS. Patribus, *ubi voluntas, ibi libertas*, ideſt, ibi eſſe libertatem, quandocumque voluntas modo ſibi connaturali agit. 331. *Modus agendi proprius voluntati.*

332. Dicendum 4. ex hoc agendi modo deſumenda eſt eſſentialis ratio libertatis, ſita in eo, quòd voluntas perfecto rationis judicio ſibi prælucente; ad actum ſeſe determinet, eumque quaſi imperet, adeoque ſit actûs ſui Domina; & velit ſe velle, non diverſo actu, ſed ſe ſuper ſe reflectente. Probat hoc D. Bonav. in 2. d. 25. q. 2. ubi ait: *Liberum arbitrium dicitur liberum, non quia ſic velit hoc, ut poſſit velle ejus oppoſitum, ſed quia omne quod vult, appetit ad ſui ipſius Imperium; quia ſic vult aliquid, ut velit ſe velle illud. Et ideo in actu volendi ſeipſam movet, & ſibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud*, quæ ſententia ſæpe in dicendis erit recolligenda.

*Libertas eſſentialis.*

333. Dicendum 5. ultra hanc libertatem eſſentialem, datur & alia voluntatis libertas, quæ ſita eſt in indifferentia quadam, quâ poteſt velle hoc & oppoſitum ejus, quæ dicitur *indifferentia contrarietatis*: aut etiam qua poteſt idem velle & non velle, quæ dicitur *indifferentia contradictionis*. Radix vero ex quâ oritur, hæc indifferentia, eſt illa, quòd intellectus, qui voluntati prælucet, poſſit aliquid ut bonum aut malum apprehendere, & ita voluntati cum ſuis rationibus illud proponere ut appetendum, aut fugiendum.

*Libertas accidentalis.*

334. Ex quibus patet, intellectum dici radicaliter liberum, quia eſt radix, ex qua voluntas dicitur libera, quatenus prævio rationis judicio ſibi actum imperat. Voluntatem autem eſſe formaliter liberam, eo quòd ipſi ut propriæ potentiæ attribuatur libertas, ut patet ex eo quando illi adſcribitur ratio boni aut mali, meriti vel demeriti, &c.

*Intellectus radicaliter, voluntas formaliter libera.*

Dicendum ultimò, poſſe voluntatem eſſe eſſentialiter liberam, etſi non ſit accidentaliter libera, juxta ante dicta. Ratio ejus eſt, quòd voluntas prævio rationis judicio poſſit ſe ad actum determinare, adeoque & eſſe eſſentlaliter libera, ſic tamen ut ratio non poſſit apprehendere aliquam rationem boni in ceſſatione

tione talis actûs, ex qua tamen ut radice, neceſſariò pullulat indifferentialis ſive accidentalis libertas, uti dictum eſt. Hinc voluntas Chriſti, in exequendo mandato Patris undequaque determinati, erit libera eſſentiali libertate, etſi non accidentali, eo quòd Chriſtus ad illud exequendum non erat indifferens ex parte objecti ſed determinatus ad illud. Quomodò tamen ex parte potentiæ liberrimè & indifferenter ex modo agendi illud impleverit, vide confirmatum de incarnat. de libertate & merito Chriſti. Idem dic de voluntate Dei, voluntate beatorum, &c. juxta illud D. Auguſtini. lib. 1. §. 102. operis imperfecti, ubi Julianum in hunc modum interrogat : *Liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, ideſt bonum & malum? liber Deus non eſt qui malum non poteſt velle? de quo etiam ipſe dixiſti, Deus niſi juſtus eſſe non poteſt. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? an potius intelligere debes eſſe quamdam beatam neceſſitatem, qua Deus injuſtus eſſe non poteſt?*

Ex quo & illud collige potentiam peccandi, non 335. ſpectare ad rationem libertatis, & ut ait D. Th. de *Velle malum & peccare non ſpectat ad libertatem.* verit. q. 22. a. 6. *Velle malum non eſt libertas, nec pars libertatis, quamvis ſit quoddam ſignum libertatis.*

---

## SECTIO II.

### *An omnis neceſſitas repugnet Libertati.*

Dicendum primò neceſſitas conſequentiæ non 336. impedit libertatem : aliàs nullus actus humanus *Neceſſitas conſequentia non repugnat libertati.* eſſet liber, cùm neceſſariò fiat neceſſitate conſequentiæ, quatenus ſubſunt prædefinitioni voluntatis divinæ. Unde, etſi actus neceſſariò ſequatur ex eo, quòd ſit prædefinitus à Deo; non tamen ſequitur, quòd neceſſariò fiet; eſt ergo neceſſitas conſequentiæ non actus.

Dicendum 2. neceſſitas in amore & viſione beatifica 337. *Neceſſitas*

*amoris beatifici non aufert libertatē.* tifica (ſi tamen neceſſitas dicenda ſit) non impedit libertatem. Probatur ex dictis in alia ſectione concluſ. ultima. Hinc S. Aug. l. 1. §. 105. operis imperf. *Beatiſſima* ait, *neceſſitate* (*ſi tamen neceſſitas dicenda ſit*) *non premuntur Sancti Angeli, ſed fruuntur.* Quapropter etſi S. Thomas 1. p. q. 60. a. ult. dixiſſet: *Quicumque videt Deum per eſſentiam, impoſſibile eſt quin diligat ipſum*, ex quo loquendi modo, deduxerunt alii, actum viſionis & amoris Dei non eſſe liberum, ſed neceſſarium; nihil aliud tamen intendit Doctor Angelicus, niſi non eſſe actus liberos libertate accidentali, prout ejus intentio clarè liquet ex eo quod habet l. 3. c. 138. cont. gentes, ubi ait: *Quod ſi virtus ad finem perfectionis devenerit, quamdam neceſſitatem infert ad bene agendum, ſicut eſt in beatis, qui peccare non poſſunt nec tamen propter hoc, aut libertati aliquid deperit aut actus bonitati.*

338. *Neceſſitas moralis non impedit libertatem.* Dicendum 3. neceſſitas illa, quæ facta eſt in peccatoribus per inveteratam conſuetudinem peccandi, aut in juſtis per habitus bene agendi, quo fit, ut moraliter his impoſſibile ſit malè agere, illis bene agere aut à peccato abſtinere, minimè officit libertati. Probatur clarè ex eo, quòd aliàs conſuetudinarii non peccarent. Unde S. Thom. l. 3. c. 138. contra gentes ita ait: *Eſt quædam neceſſitas ex interiori inclinatione procedens, & hæc laudem virtuoſi actûs non minuit, ſed auget. Facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis.* Quod poſtea docet in beatis, ſententiâ mox antedatâ.

Dicendum 4. pro pleniori intelligentia prædictorum cum S. Bonav. in 2. d. 25. q. 1. *Liberum arbitrium poteſt dupliciter conſiderari, aut ſecundùm quòd liberum, aut ſecundum quod deliberans. Si loquamur de ipſo ſecundùm quod liberum, ſic concedo quod poteſt eſſe non ſolùm reſpectu contingentis, ſed etiam neceſſarii: Sicut patet in Deo, in Chriſto, & in Angelis & Hominibus beatis: Cùm enim duplex ſit neceſſitas, videlicet coactionis & immutabilitatis, neceſſitas coactionis, repugnat liber-*

*libertati arbitrii, neceſſitas verò immutabilitatis non pro eo quod dicitur liberum arbitrium deliberans, non quia ſic velit hoc, ut poſſit velle ejus oppoſitum: Sed quia omne, quod vult appetit ad ſui ipſius imperium, quia ſic vult aliquid ut velit ſe velle illud, & ideo in actu*, &c. Vide ante dicta, Sect. 1. concl. 4.

Dices, videtur data doctrina damnata a. 3. Pontificibus, à quibus proſcripta eſt hæc: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit:* Reſp. ad dictum articulum, illum reprobari hoc ſenſu, quod falſum ſit, illud omne quod voluntariè fit, etſi neceſſariò neceſſitate abſolutâ & libertatem auferente, puta neceſſitate naturali, quali feruntur bruta, etiam liberè fieri. Hoc autem volebat illorum articulorum author ſtatuendo etiam motus concupiſcentiæ ante rationis dictamen prorumpentes eſſe liberos, quia etſi neceſſariò erumperent, liberi tamen erant ipſius placito, quia voluntarii, quia non coacti. Hoc autem falſum eſt, cùm ad rationem liberi etiam requiratur, ut cum plenâ advertentia fiat, ſimus illius Domini, ubi tamen prædicti motus voluntate invita prorumpunt, &c. quamvis ſi loquamur de neceſſitate inclinationis, aut beatorum, vera ſit dicta ſententia, ut conſtat ex S. Thoma, Bonav. Auguſt. &c. ante adductis. 339. *Propoſitiones damnata.*

Dicendum ultimò; etſi habeatur plena libertatis ratio, quando voluntas eſt actûs ſui domina, quamvis accidentalis libertas deſit, uti fit in Deo, beatis, &c. tamen ad meritum & demeritum dicta indifferentialis libertas eſt omnino neceſſaria. Probatur, quia ideò Deus reliquit hominem in manu Conſilii ſui, appoſuit illi ignem & aquam, mortem aut vitam, ad quam poſſet pro ſuo arbitrio manus extendere. Deinde hæc ab Innocentio X. eſt condemnata: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* 340. *Ad meritum & demeritum requiritur accidentalis Libertas.*

Sicut autem non omnis neceſſitas officit libertati

## SECTIO III.

### *De Actibus Humanis.*

347. *Quid ſit actus humanus.* Dicendum 1. actum humanum *eſſe actum hominis ut homo eſt*, ideſt, quatenus agit ut homo, puta per rationem & voluntatem. Unde non omnis actus, qui procedit ab homine, eſt actus humanus, cùm plurimi actus ab homine procedant, qui tamen ratione non diriguntur, ut patet in homine dormiente, phrænetico, & puero.

Dicendum 2. dantur actus humani; qui tamen ab homine non procedunt, quales ſunt actus Angelorum, actus voluntatis divinæ, &c. Ex quo patet, quòd actus humanus & actus hominis ſeſe excedant, cùm detur utrumque ſimul, & utrumque ſeorſim.

348. *Modi agendi modo humano.* Dicendum 3. poteſt homo agere ut homo, ſive deliberatâ voluntate, duobus potiſſimum modis, ſemel expreſsè & formaliter, actuali ſcilicèt judicio judicando de re aliqua agenda aut omittenda, tamquam bona aut mala: alio modo indirectè ſeu interpretativè, ideſt, quando debet & poteſt ſufficienter de tali re judicare.

349. *Omnis actio humana eſt propter finem* Dicendum 4. Cùm actus humani procedere debeant ex voluntate deliberata, ſequitur quòd omnis actus humanus ſit propter finem. Ratio ejus eſt, quòd proprium voluntatis objectum ſit finis, propter quem ſemper agit, quandocumque modo ſibi connaturali agit. Modus autem ille, uti ex ante dictis conſtat, eſt agere liberè, ideſt, prævio rationis judicio actum imperando, in quo ratio actus humani ſita eſt, uti ex mox datâ doctrinâ liquet, cùm nihil ſit aliud, niſi actus procedens à voluntate deliberatâ.

350. *Quidnam propriè agat propter finem* Dicendum 5. ſolam voluntatem rationalem agere propter finem propriè loquendo, ad quod requiritur, ut intellectus cognoſcat proportionem mediam ad finem:

nem, quem voluntati intellectus proponit proſequendum; quam proportionem, utpotè inſenſibilem: ſolum rationale agens poteſt cognoſcere: Hinc de brutis dicit S. Bern. Serm. 81. in cant. *Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu*, adeo ut non tam agant propter finem, quàm bene agantur & rapiantur.

Dicendum 6. ſequitur ex dictis, omnem actum humanum eſſe liberum. Probatur, quia ut ante dixi, debet actus humanus procedere à voluntate deliberata, cum cognitione finis, ergo & eſſe liber, cùm libertas in eo ſita ſit, quòd aliquid à tali voluntate procedat: hoc ipſo enim fit homo talium actuum Dominus per rationem & voluntatem, adeoque in iiſdem eſſentialiter liber. Hinc D. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. docet: *Illæ ſolæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo eſt Dominus. Eſt autem homo Dominus per rationem & voluntatem. Unde & liberum arbitrium eſſe dicitur, facultas voluntatis & rationis. Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* 351. *Omnis actus humanus eſt eſſentialiter liber.* 352. *Per quid homo ſit Dominus ſuorum actuum.*

Dicendum 7. alios eſſe actus humanos elicitos, alios imperatos. Actus eliciti dicuntur, qui proximè & immediatè à potentia aliqua eliciuntur ſive procedunt, v. g. actus amoris reſpectu voluntatis: Imperati vero dicuntur illi, qui procedunt ab aliqua potentia, cui actus illi imperantur ab alia potentia. V. g. actus potentiæ progreſſivæ erit actus imperatus reſpectu voluntatis, quæ actum illum tali potentiæ imperavit. Actus illi eliciti dicuntur actus proprii talis potentiæ, eo quòd de ſe ad finem potentiæ dirigantur. 353. *Actus eliciti & imperati.*

Dicendum 8. dicitur actus proprius alicujus virtutis, quando actus ille ex natura ſua ad finem talis virtutis ordinatur: nec ſatis eſt quòd ad finem illum aſſumatur ut idoneus aut neceſſarius, aliàs enim actus quilibet, eſſet actus proprius virtutis cujuſlibet, cùm quilibet actus aſſumi poſſit ut idoneus, ad finem alterius virtutis aſſequendum. 354. *Actus proprius virtutis.*

nondum videt, ut communis fert ſententia, contra paucos alios.

327. *Miracula non ſunt ſigna actualis Dei viſionis.* Objicies 1. Miracula per SS. facta, quæ ſunt præcipuum motivum Sanctos canonizandi, declarant eoſdem clarè Deum videre. Reſp. neg. aſſumpt. cùm Eliſæus etiam monſtra placaverit & mirabilia fecerit, ut dicit Scriptura. Deinde aliquos in purgatorio exiſtentes Miracula patraſſe tradunt SS. PP. ut de Severino Colon. Pet. dam. l. 2. Epiſt. 15. & de Paſchaſio Diac. Greg. l. 4. Dial. c. 40.

Objicies 2. de quolibet Confeſſore dicit Eccleſia, *Hodie lætus meruit ſecreta ſcandere cœli*: item, *Dies refulſit lumine, quo Sanctus hic de corpore polum migravit præpotens.* Reſp. quilibet Sanctus dum vitam obit, meretur ſcandere cœlum, to *Hodie* ergo afficit *meruit* non autem *ſcandere*: adeò ut ſenſus ſit, hodie meruit ſcandere, non item hodie ſcandit. Porrò meretur illud, etſi aliquanto retardetur â cœlorum ingreſſu. Sic idem legitur de Joachimo, Joſepho, &c. Qui tamen ipſo die obitus cœlum non ſunt ingreſſi, etſi illo die illud ingredi meruerint.

328. *Quid importet natalis beatorum.* Objicies 3. Eccleſia vocat diem obitûs SS. natalem, eo quòd cœlo nati ſint. Reſp. martyrologium vocat etiam diem depoſitionis innocentium natalem illorum, uti & diem depoſitionis Simeonis juſti & timorati, qui tamen eo die cœlum non ſunt ingreſſi, etſi illo die ingredi meruerint: Unde vocatur dies ille natalis, eo quòd jam cœlo certò præparentur, & ad aliam vitam generentur, etſi poſt aliquod tempus in illam ſint ingreſſuri.

329. *Quid tamen glorioſum circa caput beati.* Objicies 4. aliud innuit Eccleſia, quando Sanctos ornat glorioſo lumine circum capita Sanctorum, in ſignum gloriæ cœleſtis. Reſp. lumen in aliquibus eſſe poteſt ſolummodo ſignum prognoſticum cœleſtis gloriæ, uti quondam fuit in Philippo Nerio, Moyſe, &c. Adhuc viventibus. Hinc permittit Eccleſia tali lumine adornari Eliam, quem nondum Deum clarè videre antea diximus.

# CAPUT SECUNDUM.

## De Actibus Humanis.

## SECTIO PRIMA.

### *De Libertate arbitrii ſive voluntatis.*

Cum ad actum humanum requiratur, ut ſit liber, prætractanda ſunt ea, quæ ad libertatem pertinent.

Dicendum 1. ratio liberi vel libertatis opponitur captivo aut ſervituti, nam ut ait S. Aug. op. imp. f. 123. *Quod captivum eſt, liberum non eſt: quod liberum eſt, captivum non eſt.*

Dicendum 2. datur in homine lapſo liberum ar- 330. *Quid ſit liberum arbitrium.*
bitrium, ideſt potentia libera, cùm detur in nobis potentia, quæ ſit actûs ſui Domina. Nam ut rurſum ait S. Doctor l. 2. de lib. arb. 3. *Voluntas noſtra, nec eſſet voluntas, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porro quia eſt in poteſtate libera eſt nobis. Non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe, quod habemus.* Et iterum de ſpiritu & lit. c. 31. *Hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult, non facit.*

Dicendum 3. modus ergo agendi voluntati pro- 331. *Modus agendi proprius voluntati.*
prius eſt, ſua poteſtate & Imperio actum ponere, in quo diſtinguitur ab aliis agentibus inanimatis aut irrationabilibus, quæ actus ſuos in ſua poteſtate non habent, ſed ſine Imperio aut fræno aliquo ex iis erumpunt, nec ita agunt, quam agantur. Ratione hujus modi agendi voluntati proprii, dicitur à SS. Patribus, *ubi voluntas, ibi libertas*, ideſt, ibi eſſe libertatem, quandocumque voluntas modo ſibi connaturali agit.

332. Dicendum 4. ex hoc agendi modo deſumenda eſt eſſentialis ratio libertatis, ſita in eo, quòd voluntas perfecto rationis judicio ſibi prælucente; ad actum ſeſe determinet, eumque quaſi imperet, adeoque ſit actûs ſui Domina; & velit ſe velle, non diverſo actu, ſed ſe ſuper ſe reflectente. Probat hoc D. Bonav. in 2. d. 25. q. 2. ubi ait: *Liberum arbitrium dicitur liberum, non quia ſic velit hoc, ut poſſit velle ejus oppoſitum, ſed quia omne quod vult, appetit ad ſui ipſius Imperium; quia ſic vult aliquid, ut velit ſe velle illud. Et ideo in actu volendi ſeipſam movet, & ſibi dominatur, & pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud*, quæ ſententia ſæpe in dicendis erit recolligenda.

*Libertas eſſentialis.*

333. Dicendum 5. ultra hanc libertatem eſſentialem, datur & alia voluntatis libertas, quæ ſita eſt in indifferentia quadam, quâ poteſt velle hoc & oppoſitum ejus, quæ dicitur *indifferentia contrarietatis*: aut etiam qua poteſt idem velle & non velle, quæ dicitur *indifferentia contradictionis*. Radix vero ex quâ oritur, hæc indifferentia, eſt illa, quòd intellectus, qui voluntati prælucet, poſſit aliquid ut bonum aut malum apprehendere, & ita voluntati cum ſuis rationibus illud proponere ut appetendum, aut fugiendum.

*Libertas accidentalis.*

334. Ex quibus patet, intellectum dici radicaliter liberum, quia eſt radix, ex qua voluntas dicitur libera, quatenus prævio rationis judicio ſibi actum imperat. Voluntatem autem eſſe formaliter liberam, eo quòd ipſi ut propriæ potentiæ attribuatur libertas, ut patet ex eo quando illi adſcribitur ratio boni aut mali, meriti vel demeriti, &c.

*Intellectus radicaliter, voluntas formaliter libera.*

Dicendum ultimò, poſſe voluntatem eſſe eſſentialiter liberam, etſi non ſit accidentaliter libera, juxta ante dicta. Ratio ejus eſt, quòd voluntas prævio rationis judicio poſſit ſe ad actum determinare, adeoque & eſſe eſſentialiter libera, ſic tamen ut ratio non poſſit apprehendere aliquam rationem boni in ceſſatione

tione talis actûs, ex qua tamen ut radice, neceſſariò pullulat indifferentialis ſive accidentalis libertas, uti dictum eſt. Hinc voluntas Chriſti, in exequendo mandato Patris undequaque determinati, erit libera eſſentiali libertate, etſi non accidentali, eo quòd Chriſtus ad illud exequendum non erat indifferens ex parte objecti ſed determinatus ad illud. Quomodò tamen ex parte potentiæ liberrimè & indifferenter ex modo agendi illud impleverit, vide confirmatum de incarnat. de libertate & merito Chriſti. Idem dic de voluntate Dei, voluntate beatorum, &c. juxta illud D. Auguſtini. lib. 1. §. 102. operis imperfecti, ubi Julianum in hunc modum interrogat: *Liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, ideſt bonum & malum? liber Deus non eſt qui malum non poteſt velle? de quo etiam ipſe dixiſti, Deus niſi juſtus eſſe non poteſt. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem? an potius intelligere debes eſſe quamdam beatam neceſſitatem, qua Deus injuſtus eſſe non poteſt?*

Ex quo & illud collige potentiam peccandi, non 335.
ſpectare ad rationem libertatis, & ut ait D. Th. de *Velle malum & peccare non ſpectat ad libertatem.*
verit. q. 22. a. 6. *Velle malum non eſt libertas, nec pars libertatis, quamvis ſit quoddam ſignum libertatis.*

## SECTIO II.

*An omnis neceſſitas repugnet Libertati.*

Dicendum primò neceſſitas conſequentiæ non 336.
impedit libertatem: aliàs nullus actus humanus *Neceſſitas conſequentiæ non repugnat libertati.*
eſſet liber, cùm neceſſariò fiat neceſſitate conſequentiæ, quatènus ſubſunt prædefinitioni voluntatis divinæ. Unde, etſi actus neceſſariò ſequatur ex eo, quòd ſit prædefinitus à Deo; non tamen ſequitur, quòd neceſſariò fiet; eſt ergo neceſſitas conſequentiæ non actus.

Dicendum 2. neceſſitas in amore & viſione bea- 337.
tifica *Neceſſitas*

*amoris beatifici non aufert libertatē.* tifica (ſi tamen neceſſitas dicenda ſit) non impedit libertatem. Probatur ex dictis in alia ſectione concluſ. ultima. Hinc S. Aug. l. 1. §. 105. operis imperf. *Beatiſſima* ait, *neceſſitate* (*ſi tamen neceſſitas dicenda ſit*) *non premuntur Sancti Angeli, ſed fruuntur.* Quapropter etſi S. Thomas 1. p. q. 60. a. ult. dixiſſet: *Quicumque videt Deum per eſſentiam, impoſſibile eſt quin diligat ipſum*, ex quo loquendi modo, deduxerunt alii, actum viſionis & amoris Dei non eſſe liberum, ſed neceſſarium; nihil aliud tamen intendit Doctor Angelicus, niſi non eſſe actus liberos libertate accidentali, prout ejus intentio clarè liquet ex eo quod habet l. 3. c. 138. cont. gentes, ubi ait: *Quod ſi virtus ad finem perfectionis devenerit, quamdam neceſſitatem infert ad bene agendum, ſicut eſt in beatis, qui peccare non poſſunt nec tamen propter hoc, aut libertati aliquid deperit aut actus bonitati.*

338. *Neceſſitas moralis non impedit libertatem.* Dicendum 3. neceſſitas illa, quæ facta eſt in peccatoribus per inveteratam conſuetudinem peccandi, aut in juſtis per habitus bene agendi, quo fit, ut moraliter his impoſſibile ſit malè agere, illis bene agere aut à peccato abſtinere, minimè officit libertati. Probatur clarè ex eo, quòd aliàs conſuetudinarii non peccarent. Unde S. Thom. l. 3. c. 138. contra gentes ita ait: *Eſt quædam neceſſitas ex interiori inclinatione procedens, & hæc laudem virtuoſi actûs non minuit, ſed auget. Facit enim voluntatem magis intensè tendere in actum virtutis.* Quod poſtea docet in beatis, ſententiâ mox antedatâ.

Dicendum 4. pro pleniori intelligentia prædictorum cum S. Bonav. in 2. d. 25. q. 1. *Liberum arbitrium poteſt dupliciter conſiderari, aut ſecundùm quòd liberum, aut ſecundum quod deliberans. Si loquamur de ipſo ſecundùm quod liberum, ſic concedo quod poteſt eſſe non ſolùm reſpectu contingentis, ſed etiam neceſſarii: Sicut patet in Deo, in Chriſto, & in Angelis & Hominibus beatis: Cùm enim duplex ſit neceſſitas, videlicet coactionis & immutabilitatis, neceſſitas coactionis, repugnat liber-*

*libertati arbitrii, neceſſitas verò immutabilitatis non pro eo quod dicitur liberum arbitrium deliberans, non quia ſic velit hoc, ut poſſit velle ejus oppoſitum: Sed quia omne, quod vult appetit ad ſui ipſius imperium, quia ſic vult aliquid ut velit ſe velle illud, & ideo in actu*, &c. Vide ante dicta, Sect. 1. concl. 4.

Dices, videtur data doctrina damnata a. 3. Pontificibus, à quibus proſcripta eſt hæc: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*: Reſp. ad dictum articulum, illum reprobari hoc ſenſu, quod falſum ſit, illud omne quod voluntariè fit, etſi neceſſariò neceſſitate abſolutâ & libertatem auferente, puta neceſſitate naturali, quali feruntur bruta, etiam liberè fieri. Hoc autem volebat illorum articulorum author ſtatuendo etiam motus concupiſcentiæ ante rationis dictamen prorumpentes eſſe liberos, quia etſi neceſſariò erumperent, liberi tamen erant ipſius placito, quia voluntarii, quia non coacti. Hoc autem falſum eſt, cùm ad rationem liberi etiam requiratur, ut cum plenâ advertentia fiat, ſimus illius Domini, ubi tamen prædicti motus voluntate invita prorumpunt, &c. quamvis ſi loquamur de neceſſitate inclinationis, aut beatorum, vera ſit dicta ſententia, ut conſtat ex S. Thoma, Bonav. Auguſt. &c. ante adductis. 339. *Propoſitiones damnata.*

Dicendum ultimò; etſi habeatur plena libertatis ratio, quando voluntas eſt actûs ſui domina, quamvis accidentalis libertas deſit, uti fit in Deo, beatis, &c. tamen ad meritum & demeritum dicta indifferentialis libertas eſt omnino neceſſaria. Probatur, quia ideò Deus reliquit hominem in manu Conſilii ſui, appoſuit illi ignem & aquam, mortem aut vitam, ad quam poſſet pro ſuo arbitrio manus extendere. Deinde hæc ab Innocentio X. eſt condemnata: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* 340. *Ad meritum & demeritum requiritur accidentalis Libertas.*

Sicut autem non omnis neceſſitas officit libertati

 arbitrii,

341. *Deus hominis voluntatem liberam libere movet.* arbitrii, ita nec omnis efficacia gratiæ voluntatem moventis ad bonum, etſi juxta S. Auguſt. ea gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter illam moveat: imò juxta eumdem S. Patrem l. 89. qq. q. 1. *Voluntas libera tanto erit liberior, quanto ſanior: tanto autem ſanior, quanto divinæ voluntati gratiæque ſubjectior.*

342. *Modus quo Deus voluntatē movet.* Pro cujus pleniori intelligentia notandum 1. & ut ait S. Auguſt. l. de Grat. & lib. arb. c. 21. confitendum eſt, quòd agit omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere voluerit. Ex quo ſequitur, quod Deus movendo voluntatem ad bonum indeclinabiliter, poſſit ſe attemperare libero agendi modo voluntatis, ſic ut perfecto rationis judicio voluntas ſe ad actum determinet, ita tamen, ut gratiæ divinæ reſiſtere abſolutè poſſit, etſi de facto non reſiſtat. Pro quo

343. *Senſus diviſus & compoſitus* Notandum 2. recolligendum eſſe ſenſum compoſitum & diviſum: poteſt enim aliquid in uno ſenſu eſſe verum, & falſum in alio, & contra: ſic verum eſt, quod Petrus ſedens poſſit ſtare in ſenſu diviſo ideſt dividendo ſeſſionem à ſtatione, cùm poſſit ſurgere: falſum verò eſt in ſenſu compoſito, componendo ſeſſionem cum ſtatione, cùm falſum ſit, quòd Petrus ſedens, manens ſedens, poſſit ſtare.

344. *Naturalis conditio voluntatis* Notandum 3. talem eſſe naturalem voluntatis noſtræ inclinationem, *Ut quod amplius delectat, ſecundùm id operemur neceſſe ſit*, ut ait S. Auguſt. in expoſit. ad Galat. Hinc ſi Deus homini infundat delectationem boni, quæ vincat delectationem mali, juxta delectationem prævalentem aget homo.

His prænotatis ſciendum eſt, quòd Deus, quando per efficacem gratiam hominem movet infundat illi delectationem boni vincentem delectationem mali, juxta quam voluntatem naturaliter agere, Deo eſt manifeſtum. Ita tamen Deus determinat hominis voluntatem, ut naturali agendi modo voluntatis non officiat quia juxta S. Auguſtinum primo notabili

tabili aductum, Deus poteſt movere voluntatem, ad quod, quando & quomodo voluerit, & conſequenter juxta naturalem ejus agendi modum, ideſt liberum. Nec enim gratia deſtruit liberum arbitrium ſed ècontra illud perficit.

Stante tamen gratiæ efficacis motione abſolutè verum eſt, quòd homo poſſit gratiæ illi diſſentire, in ſenſu diviſo. *Quamvis* enim ut ait Doctor Angelicus q. 23. de verit. a. 5. ad 3. *non eſſe effectus divinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum divina voluntate; tamen potentia deficiendi effectum divinæ voluntatis, ſimul ſtat cum divina voluntate. Non enim iſta ſunt incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari: ſed iſta ſunt incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur.* Eodem planè modo, ſicut non poteſt ſimul ſtare auxilium Dei efficax & diſſenſus: poteſt tamen ſimul ſtare auxilium illud & potentia diſſentiendi, ac proinde eſt ad oppoſitum potentia, & ſimultas potentiæ, licet non ſit potentia ſimultatum, ideſt potentia ad oppoſita conjungenda. 345. *Poteſt homo gratiæ efficaci diſſentire.*

Objiciet aliquis: motio gratiæ non eſt in noſtra poteſtate ut adſit, & cùm adeſt, non eſt in noſtra poteſtate effectum impedire, ergo neque in noſtrâ poteſtate eſt, illi diſſentire. Reſp. objectio illa ſatis coincidit cum illo Petri de Rivo ab Eccleſia condemnato: *Quod ſequitur ex inimpedibili, ipſum quoque eſt inimpedibile ac neceſſarium.* Quamvis ergo gratiæ motio non ſit in noſtra poteſtate, ſed à ſola Dei voluntate nobis immittatur, non ideo liberum arbitrium perimitur, cùm Deus moveat voluntatem juxta connaturalem ejus agendi modum, ideſt liberum, uti ante eſt dictum. Etſi ergo ſuppoſitio antecedens non ſit in noſtra poteſtate ut ſit, vel non ſit, ut operetur vel non operetur: nihil tamen tali ſuppoſitione derogatur libertati noſtræ, dum naturali noſtræ, voluntatis agendi modo attemperatur: quâ ſuppoſitione etiam ſtante abſolutè verum eſt, quod poſſim diſſentire, juxta ante dicta. 346. *Suppoſitio antecedens, quæ non eſt in noſtra poteſtate, non tollit ſemper liberum.*

## SECTIO III.

### *De Actibus Humanis.*

347. *Quid ſit actus humanus.* Dicendum 1. actum humanum *eſſe actum hominis ut homo eſt*, ideſt, quatenus agit ut homo, puta per rationem & voluntatem. Unde non omnis actus, qui procedit ab homine, eſt actus humanus, cùm plurimi actus ab homine procedant, qui tamen ratione non diriguntur, ut patet in homine dormiente, phrænetico, & puero.

Dicendum 2. dantur actus humani; qui tamen ab homine non procedunt, quales ſunt actus Angelorum, actus voluntatis divinæ, &c. Ex quo patet, quòd actus humanus & actus hominis ſeſe excedant, cùm detur utrumque ſimul, & utrumque ſeorſim.

348. *Modi agendi modo humano.* Dicendum 3. poteſt homo agere ut homo, ſive deliberatâ voluntate, duobus potiſſimum modis, ſemel expreſsè & formaliter, actuali ſcilicèt judicio judicando de re aliqua agenda aut omittenda, tamquam bona aut mala: alio modo indirectè ſeu interpretativè, ideſt, quando debet & poteſt ſufficienter de tali re judicare.

349. *Omnis actio humana eſt propter finem.* Dicendum 4. Cùm actus humani procedere debeant ex voluntate deliberata, ſequitur quòd omnis actus humanus ſit propter finem. Ratio ejus eſt, quòd proprium voluntatis objectum ſit finis, propter quem ſemper agit, quandocumque modo ſibi connaturali agit. Modus autem ille, uti ex ante dictis conſtat, eſt agere liberè, ideſt, prævio rationis judicio actum imperando, in quo ratio actus humani ſita eſt, uti ex mox datâ doctrinâ liquet, cùm nihil ſit aliud, niſi actus procedens à voluntate deliberatâ.

350. *Quidnam propriè agat propter finem.* Dicendum 5. ſolam voluntatem rationalem agere propter finem propriè loquendo, ad quod requiritur, ut intellectus cognoſcat proportionem mediam ad finem:

nem, quem voluntati intellectus proponit proſequendum; quam proportionem, utpotè inſenſibilem: ſolum rationale agens poteſt cognoſcere: Hinc de brutis dicit S. Bern. Serm. 81. in cant. *Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu*, adeo ut non tam agant propter finem, quàm bene agantur & rapiantur.

Dicendum 6. ſequitur ex dictis, omnem actum humanum eſſe liberum. Probatur, quia ut ante dixi, debet actus humanus procedere à voluntate deliberata, cum cognitione finis, ergo & eſſe liber, cùm libertas in eo ſita ſit, quòd aliquid à tali voluntate procedat: hoc ipſo enim fit homo talium actuum Dominus per rationem & voluntatem, adeoque in iiſdem eſſentialiter liber. Hinc D. Th. 1. 2. q. 1. a. 1. docet: 351. *Omnis actus humanus eſt eſſentialiter liber.*

*Illæ ſolæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo eſt Dominus. Eſt autem homo Dominus per rationem & voluntatem. Unde & liberum arbitrium eſſe dicitur, facultas voluntatis & rationis. Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* 352. *Per quid homo ſit Dominus ſuorum actuum.*

Dicendum 7. alios eſſe actus humanos elicitos, alios imperatos. Actus eliciti dicuntur, qui proximè & immediatè à potentia aliqua eliciuntur ſive procedunt, v. g. actus amoris reſpectu voluntatis: Imperati vero dicuntur illi, qui procedunt ab aliqua potentia, cui actus illi imperantur ab alia potentia. V. g. actus potentiæ progreſſivæ erit actus imperatus reſpectu voluntatis, quæ actum illum tali potentiæ imperavit. Actus illi eliciti dicuntur actus proprii talis potentiæ, eo quòd de ſe ad finem potentiæ dirigantur. 353. *Actus eliciti & imperati.*

Dicendum 8. dicitur actus proprius alicujus virtutis, quando actus ille ex natura ſua ad finem talis virtutis ordinatur: nec ſatis eſt quòd ad finem illum aſſumatur ut idoneus aut neceſſarius, aliàs enim actus quilibet, eſſet actus proprius virtutis cujuſlibet, cùm quilibet actus aſſumi poſſit ut idoneus, ad finem alterius virtutis aſſequendum. 354. *Actus proprius virtutis.*

355. *Actus ſupernaturales & naturales.* Dicendum 9. alios eſſe actus naturales, alios ſupernaturales. Naturales ſunt, ad quos producendos ſolæ naturæ vires ſufficiunt. Supernaturales autem, ad quos producendos ſola natura non ſufficit, ſed requiritur inſuper principium aliquod ſupernaturale; ad quos actus in quantum ſunt moraliter boni, requiritur ut in Deum per amorem tendant; niſi enim in hunc finem actus tendat, ſupernaturalis non eſt, cùm natura ſibi ſufficiat, ut tendat in omne bonum à Deo diverſum, ſive quòd non eſt Deus. Patebit hoc clarius in ſequentibus.

## SECTIO IV.

### *De Voluntario & Involuntario.*

356. *Quid ſit voluntarium.* Dicendum primò, *Voluntarium eſt, quod procedit à principio intrinſeco cum cognitione finis.* Sub *principio* comprehende quoque principium negativum, cùm detur voluntaria omiſſio. Dicitur quoque *A principio intrinſeco*, &c. Quia aliàs omnis actus eſſet voluntarius, cùm omnis actus procedat à Deo, excepto peccato, quod tamen eſt nihil, idque cum cognitione finis, ideſt ſui ipſius, cùm omnia propter ſemetipſum operatus ſit Dominus. Sub *fine* etiam comprehendi poſſunt aliæ circumſtantiæ, & objectum: etſi enim voluntarium & cognitio ad illud requiſita finem principaliter reſpiciant, ex aliarum tamen circumſtantiarum & objecti cognitione aut non cognitione, variabitur ratio voluntarii. V. g. ſi quis occidat hominem & ſciens illum eſſe hominem, neſciat tamen eſſe Patrem, peccat occidendo voluntariè, adeoque actio erit voluntaria in ratione homicidii, non tamen in ratione parricidii, idque defectu cognitionis circumſtantiæ illius, quod eſſet Pater, quem occidit.

Dicendum 2. duplex eſſe voluntarium, directum &

& indirectum. *Directum* eſt, quod ſecundùm ſe à voluntate appetitur, ſive in quod voluntas expreſsè tendit. *Indirectum* autem eſt, in quod quidem voluntas expreſsè non tendit, morali tamen æſtimatione cenſetur in illud tendere, quatenus in aliquod tendit, ex quo poterat & debebat ſcire aliud eſſe ſecuturum. Hinc dicitur & voluntarium interpretativum, eo quòd interpretativè in illud tendat. Dicitur autem hoc voluntarium quandoque poſitivum, quandoque verò negativum, prout ex aliqua actione poſitiva, aut negativa, ideſt omiſſione, aliud ſecuturum prævideri poteſt & debet. 357. *Voluntarium directum & indirectũ.* 358. *Voluntarium poſitivum & negativũ.*

Ut autem aliquid cenſeatur eſſe indirectè voluntarium, requiritur primò, ut prævideas aut ſaltem prævidere poſſis & debeas, ex tali cauſa ſecuturum eſſe effectum. 2. Ut cauſam illam vitare poſſis & debeas. 3. Ut tamen illis poſitis non vites cauſam. Si enim tantùm prævidere aut vitare poſſis, & tamen non debeas illam cauſam, ex qua ſequitur effectus, non poterit prudenter alicui imputari effectus ſecutus, uti etiam, ſi debeas quidem, ſed non poſſis eamdem evitare. Tota autem ratio voluntarii indirecti, ſumitur ex eo, quòd aliquid alteri tamquam cauſæ morali, poſſit prudenti æſtimatione imputari ad laudem vel ad vituperium. 359. *Quid requiritur ut aliquid ſit indirecte voluntarium.*

Dicendum 3. Ex dictis oritur diviſio voluntarii in voluntarium facti, & voluntarium peccati. *Voluntarium peccati* eſt, quando ponimus actum malum, quia malus eſt, cognoſcendo actus illius malitiam. *Voluntarium facti* eſt, quando quis ponit actum, non quia malus eſt, aut expreſsè cognoſcendo ejus malitiam, ſed cui ſcit, aut ſcire poteſt & debet annexam eſſe malitiam. Hoc autem voluntarium ſufficit ad malitiam actus, ut poſtea dicam. 360. *Voluntarium facti & peccati.*

Dicendum 4. Dividitur quoque voluntarium in voluntarium perfectum, & imperfectum, prout eſt perfecta cognitio finis & aliorum, aut imperfecta. An verò talis adſit nec ne, etſi difficile ſit judicare, ex cir- 361. *Voluntarium perfectum & imperfectum.*

circumſtantiis tamen utcumque colligi poteſt, v.g. ſi quis de actu aliquo dubitet, de cujus qualitate cenſetur ſatis eſſe inſtructus, & inſuper ſit largæ conſcientiæ; ſi fuerit in ſtatu in quo ſibi ſatis præſens fuiſſe creditur, &c. meritò de ſufficienti & perfecta cognitione & conſenſu poterit judicari. Etſi de cætero fatendum ſit valde difficile eſſe, in dubio de plenitudine conſenſus, judicare, in quo negotio, uti in aliis multis, neceſſaria eſt ſpiritualis rectoris prudentia & diſcretio.

362. *Difficile eſt de plenitudine conſenſus judicare.*

363. *Voluntarium voluntate propria & aliena.*

Dicendum 5. Aliquando aliquid eſſe voluntarium voluntate propriâ, aliquando alienâ. V.g. tunc aliquid nobis eſt propria voluntate voluntarium, quando aliquid à voluntate noſtra elicitur aut imperatur, v.g. quando mentimur, vel quando fit mendacium ab alio, cui illud imperamus. Voluntate aliena autem illud fit, quod nobis imputatur, etſi plenè ab alio fiat. Sic voluntas Adæ fuit voluntas noſtra, ratione cujus peccatum originale nobis eſt voluntarium.

364. *An detur voluntarium ſine omni actu voluntatis.*

Dicendum 6. Poſſe dari voluntarium ſine omni actu voluntatis. Ratio eſt, quòd pura omiſſio poſſit eſſe nobis voluntaria, v.g. quando voluntariè omitto audire ſacrum, quod poſſem & deberem audire, nihil prorſus alio adveniente. Hinc S. Aug. Hom. 15. inter 50. docet, omiſſionem boni quod præcipitur, eſſe damnabilem, adeoque & voluntariam. Verba ſunt hæc: *Non ſolùm malum egiſſe, ſed etiam bonum non egiſſe, damnabile erit.* Et S. Bern. Serm. de Converſ. ad Clericos cap. 17. *Omnis arbor non modò quæ malum fecerit fructum, ſed etiam quæ bonum non fecerit excidetur & in ignem mittetur.*

365. *Omiſſio eſt aliquid morale.*

Dices, omiſſio pura nihil eſt, adeoque non poteſt à voluntate procedere, quod tamen ad voluntarium requiritur, uti & ad liberum, quod ad voluntarium, ſaltem perfectum, neceſſe eſt. Reſp. omiſſio, etſi negatio ſit, poteſt tamen moraliter à voluntate procedere, etſi non poſſit Phyſicè: moraliter enim cenſetur ab illa omiſſio præcepti procedere, & illi imputatur

tatur ut cauſæ; cùm tam ſit libera in omittendo, quam in agendo, & omittendo ſuam quoque authoritatem & imperium manifeſtet. quod habet in actus ponendos aut non ponendos: quia tamen ſatis probabile eſt dogma, quòd voluntas rationalis numquam otietur. Hinc aliquando actus voluntatis in omiſſione revera præſto eſt, etſi ſubinde contrarium judicetur: an autem etiam ab illo voluntatis actu procedat talis omiſſio, ſæpe quoque ſatis eſt incognitum & abſconditum.

Dicendum 7. Liberum confunditur cum voluntario perfecto, uti patet ex eo, quòd utrumque ſit illud, quod à voluntate prævio rationis judicio, ſive deliberatâ procedit. Sæpe tamen reperitur voluntarium imperfectum, quod non ſit liberum, uti ſunt actus qui imperantur aut eliciuntur in homine ab appetitu ſenſitivo, & rationem præveniunt; item actus brutorum, qui etiam imperfectè voluntarii dici poſſunt, eo quod à cognitione phantaſticâ aut ſenſitiva procedant. 366. *Liberum & voluntarium coincidunt.*

Dicendum 8. poteſt dari voluntarium, quod ſit expreſsè nolitum. Etſi enim omne omninò voluntarium, à voluntate debeat eſſe ſaltem interpretativè volitum, tamen poterit eſſe expreſsè nolitum; v. g. ſi quis ponat cauſam voluntariè, ex qua ſcit aut ſcire poteſt & debet, amico ſuo damnum aliquòd inferendum; damnum illud illatum poteſt alter expreſsè nolle ſuo amico, & tamen interpretativè cenſetur idem velle, ponendo voluntariè talem cauſam, ex qua damnum illud ſecuturum prævidere poterat & debebat. Quamvis voluntas illa expreſſa, ſit parum efficax, ut pote quæ per aliam interpretativam ſuperatur, & quaſi extinguitur. 367. *Datur voluntarium expreſſe nolitum.*

Dicendum ultimò, involuntarium quod voluntario opponitur, eſt id, quod à voluntate non eſt ullo modo volitum, nequidem interpretativè, etſi quidem homo nullum habeat erga illud adjunctum affectum, dicitur involuntarium abſolutum: ſi verò adſit talis affectus, 368. *Quid ſit involuntarium.*

affectus, dicitur involuntarium ſecundùm quid.

## SECTIO V.

*Quænam impediant voluntarium & liberum.*

369. *Violentia liberum & voluntarium adimit.* Dicendum 1. Violentia maximè impedit, imò deſtruit voluntarium. Ratio eſt, quod violentia ſit *Compulſio paſſiva*, ut ait Bern. id eſt *Compulſio alicui illata ab agente extrinſeco*, illo, cui vis infertur, reſiſtente & contranitente. Debet autem voluntas abſolutè reſiſtere, ſic ut nequidem interpretativè cenſeatur conſentire in illud, quod ab extrinſeco infertur, quod ſi fieret, jam deſineret illud eſſe violentum, & fieret voluntarium, volendo illud pati. Cùm ergo rationem voluntarii penitus auferat violentia; ſequitur actus omnes, qui per violentiam extorquentur, non eſſe voluntarios, ideoque neque malos neque bonos, cùm ratio voluntarii ad rationem boni vel mali ſit neceſſaria.

370. *In quibus actibus poſſit voluntas pati violentiam* Dicendum 2. Voluntati poſſe inferri violentiam in ſuis actibus imperatis, nullo modo autem in elicitis. Probatur prius: quia poteſt violentia inferri voluntati, ſi contra voluntatis imperium aperiantur oculi, & objectum videndum proponatur, quo caſu violentiam patitur voluntas in actu potentiæ viſivæ, quem poteſt imperare. Probatur poſterius, quia ad violentum requiritur, ut procedat ab extrinſeco, illo, cui vis infertur, contranitente, actus autem elicitus voluntatis, eſt eſſentialiter voluntarius, adeoque non contranitente, ſed volente voluntate. Hinc etſi Deus quaſi raptu brutali voluntatem moveret (prout eam movere poteſt, contra naturalem ejus agendi modum, hoc eſt liberum) erit quidem actus ille involuntarius, ſed non erit violentus, eo ipſo, quo immediatè à voluntate procedit.

Dicendum 3. Metus per ſe non cauſat involuntarium.

rium. *Eſt autem metus inſtantis vel futuri mali causâ mentis trepidatio.* Aliquando dicitur gravis, aliquando levis. *Gravis* dicitur, qui cadit in virum conſtantem, ideſt, qui attentis omnibus de ſe ſufficiens eſt, ut virum conſtantem moveat ad agendum aliquid, quod aliàs non eſſet acturus; an autem talis ſit nec ne, prudenti judicio dijudicari debet, attentâ circumſtantiarum ſerie. Si verò eo modo non cadat in conſtantem virum, dicitur eſſe *Levis.* Infertur quoque aliquando metus ex cauſa intrinſeca, v. g. infirmitate gravi metus mortis: aliquando à cauſa extrinſeca, v. g. ab alio homine enſe minante mortem, &c. Item aliquando incutitur metus directè ad talem actum, qui metu ponitur; aliquando indirectè, quando actus ille præter intentionem metum incutientis, metu ponitur. Deniquè incutitur aliquando juſtè, aliquando injuſtè. Juſtè quidem, ſi fiat ab eo, qui habet jus metum inferendi. Injuſtè, ſi ab eo, qui tale jus non habet.

371. *Metus per ſe nō cauſat involuntariū.*

372. *Quis Levis & gravis metus.*

373. *Iuſtus & injuſtus.*

374. *Non ſemper metui adeſt nolleitas.*

Probatur ergo his poſitis dicta Concluſio: quia quod metu fit, fit prævio rationis judicio, & conſequenter voluntariè. Licèt autem communiter adſit nolleitas aliqua circa rem quæ metu ponitur, tamen illa abeſſe poteſt, v. g. ſi metus aliquem adigat ad rem ſibi gratam, vel etiam, ſi diſplicentiam quam habet in actu quem metū facit, deponat, aut ab affectu alio longè fortiori, ſuperetur affectus ad rem metu deſerendam. v. g. mercator metu naufragii projiciens merces in mare, poterit id voluntariè facere, & quidem ſine nolleitate aut diſplicentia contraria, ſi jam affectum ad merces depoſuerit, eo quòd merces illæ viluerint: aut ſi quis mercatori promittat ſummam longè majorem pretio mercium, poterit affectus erga merces, affectu fortiori ad ſummam quæ promittitur deponi. Hinc jam inde deduci poſſet, attritionem formidoloſam, ſive ex ſolo metu, non eſſe ſufficientem in Sacramento Pœnitentiæ, de quo & aliis, ſuo loco agendum erit.

SECTIO

## SECTIO VI.

### *De Concupiſcentia.*

375. *Quid Concupiſcentia.* Dicendum primò Concupiſcentia, quæ ſæpè S. Auguſtino *libido, voluptas & cupiditas* indigitatur, alia eſt *habitualis*, alia *actualis*. *Habitualis* eſt
376. *Quid habitualis concupiſcentia.* pondus quoddam, ſive habitualis inclinatio, quâ anima inclinatur ad fruendum rebus inferioribus. Comparat eam S. Doctor conſuetudini tenaciſſimè nobis adhærenti, & ad creaturas fortiſſimè nos propellenti, uti docet l. 1. de Doct. Chriſt. c. 24. & Serm. 45. de temp. ubi ait : *Quod dixi de ebrietate, hoc de omnibus vitiis, hoc de omnibus cupiditatibus intelligas : cum aliquibus enim nati ſumus, aliquas conſuetudines fecimus ...... Conſuetudini ergo ſemper repugnandum eſt, quia ipſa concupiſcentia cum qua nati ſumus, finiri non poteſt, quamdiu vivimus; quotidie minui poteſt, finiri non poteſt.*

377. *Quid actualis.* *Actualis* Concupiſcentia, ſunt actuales motus & deſideria in bona temporalia fruenda, in quæ habituale pondus jam dictum aſſiduè hominem inclinat.

378. *Concupiſcentia eſt triplex.* Dicendum 2. dividitur ab Apoſtolo Joanne Epiſt. 1. c. 2. in concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ. Quæ ita deſcribit S. Aug. tract. 2. in Joan. *Deſiderium carnis, ideſt deſiderium earum rerum, quæ pertinent ad carnem, ſicut cibus & concubitus, &c.* Hujuſmodi.

*Deſiderium oculorum dicit omnem curioſitatem. Jam, quam latè pateat curioſitas ipſa in ſpectaculis, in theatris, in Sacramentis diabolicis, in magicis artibus, in maleficiis ...... Ambitio ſæculi ſuperbia eſt. Jactare ſe vult in honoribus, magnus ſibi videtur homo, ſive de divitiis, ſive de aliqua potentia. Tria ſunt iſta, & nihil invenis unde tentetur cupiditas humana, niſi aut deſiderio carnis, aut deſiderio oculorum, aut ambitione ſæculi.* Di-

Dicendum 3. Motus concupiſcentiæ bonos eſſe olim prætendit Julianus, eo quòd naturaliter ab hominis natura proſilirent, eo ipſo quo cònſtat imparibus bonis, ideſt; ex anima & corpore: Unde vocabat eamdem bonum non morale, ſed naturale, ut audire, &c. Certum tamen eſt, motus eos eſſe malos, cùm rectæ rationi repugnent, eo ipſo quo volunt frui creaturis, uti dicit Scriptura Sacra *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum & ſpiritus adverſus carnem*: idem conſtat ex pugna illa continua partis ſuperioris & inferioris. Quare S. Aug. 4. contra Jul. c. 2. *Ego*, ait, *concupiſcentiam, contra quam pugnas, malum dico, tu bonum: ſed pugna tua malum fatetur, quod bonum lingua mentitur. Cur enim non potiùs malum vocetur, quod fateris eſſe frænandum? Cur quæſo frænandum, niſi ne noceat, niſi ne ad illicita quæ deſiderat relaxetur? Et utique deſiderium mali malum eſt, etiamſi ei non conſentitur.* Vide plura lib. 6. contra Julian. cap. 15. 16. & 17. 379. *Motus concupiſcentiæ non ſunt boni.*

Quòd quoque malum ſit, probatur clarè ex eo, quòd ſit deſiderium peccati, etſi autem ratio talia deſideria, dum exſurgunt, poſſit moderari, non ſequitur inde, illa non eſſe mala, cùm bonum illud, quod ex moderatione illa provenit, ſit moderantis rationis, non autem moderati, ideſt concupiſcentiæ.

Objicies 1. Facies mulieris ſpecioſæ excitat etiam ad malum, ſcilicèt ad libidinem, & tamen ideo non eſt mala. Reſp. facies muliebris tantùm excitat occaſionaliter & merè per accidens, non ex natura ſua ad malum, prout facit concupiſcentia, interiùs proprio ſuo actu hominem movendo & perturbando.

Objicies 2. illi motus ſunt etiam in brutis, in quibus non ſunt mali, ergo nec in hominibus. Reſp. N.C. eo quòd bruta careant ratione, adeoque in illis caro non concupiſcit adverſus ſpiritum ut ait S. Aug. l. 2. op. imperf. fol. 230. quod ergo pecus naturâ facit, hoc facit homo vitio & peccato. 380.

Dicendum 4. Concupiſcentiam utpotè malam, eſſe odio habendam, oppugnandam, nec eidem poſſe con- *Concupiſcentia eſt odio habenda.*

conſentiri. Hinc ut Judas ait, debemus eſſe *odientes eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam*, ideſt concupiſcentiam ita docet etiam Conc. trid. ſeſ. 5. Can. 5. eo quòd ad agonem relicta ſit concupiſcentia, fortiter eſſe oppugnandam. Et quamvis eadem ſynodus ibidem doceat, Deum in renatis *nihil* odiſſe, ergo nec odiſſe videatur concupiſcentiam adeoque nec eſſe malam: tamen per illud *nihil*, intelligendum eſt, *nihil damnationis*, ideſt, quod aliquem facit reum damnationis, quale non eſt ipſa concupiſcentia, niſi homo illi conſentiat.

Unde cùm Catholicis objiceret Martinus Kemnitius Lutheranus: *Ajunt* (Tridentini Patres) *in renatis nihil odiſſe Deum: fatentur autem in renatis manere concupiſcentiam. Sentiunt igitur Deum concupiſcentiam, quæ in renatis reliqua eſt, non odiſſe*; Ita reſpondet *Judocus Ravenſtheyn*, Academiæ Lovanienſis Doctor è Concilio Tridentino redux in Apologiâ Decretorum Sacroſancti Conc. Trid. ſub finem Cap. *De reliquiis peccati Originalis. Reſpondemus*, inquit, *non potuiſſe ignorare Synodi Patres Deum odiſſe concupiſcentiam, eique eam diſplicere, quam tam multis ſcripturarum locis Spiritus Sanctus admonet mortificandam, crucifigendam, caſtigandam, perſequendam ... Decreti itaque ſatis apertam intelligentiam Patres inſinuarunt per rationem quam continuo ſubjecerunt: quia nihil eſt damnationis in iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, hoc eſt in renatis, &c.* Ex quo ſatis inſinuat *ſe hoc tantùm dixiſſe in renatis nihil Deum odiſſe, quod videlicet faciat renatos exoſos Deo & reos æternæ damnationis.* Deus igitur concupiſcentiam in renatis odit *Odio diſplicentiæ*, nec aliud excludunt Tridentini Patres quàm *Odium inimicitiæ*, Sive odium alicujus, *Quod faciat renatos Deo exoſos & reos damnationis.* Et hanc eſſe ipſorum mentem perſpicuè docet Hiſtoria Tridentina Cardinalis Pallavicini lib. 7. cap. 9. ſciendum enim eſt (prout ex Hiſtoriâ liquet) *Seripandum* Ordinis Eremit. S. Aug. Generalem variis rationibus uſum eſſe, ut tolleretur illud *In renatis nihil Deum odiſſe*; objecit enim *Seripan-*

*Seripandus cùm concupiſcentia ſit origo peccati, non poſſe à Deo eam odio non haberi.... patere ex multis Auguſtini locis ipſam Deo diſplicere: eamdem eſſe malum illud à quo liberari etiam efflagitant Sancti per precationem quam nos omnes Chriſtus edocuit, &c.... His aliiſque rationibus,* inquit Hiſtoricus, *uſus eſt Seripandus, quæ tamen Patribus nequaquam perſuaſere Decreti mutationem, cùm ex ipſius texturâ liquidò conſtaret, ibi ſignificari odium illud, quod inimicitia vocatur, & quo dicimus hominem ab homine odio haberi: quod odium verè ineſſe Deo nequit in eum, qui adoptivus Dei filius eſt renatus: non tamen hinc excludi ab illis omnem prorſus labeculam quâ minus pulchri coram illo reddantur, & quam averſetur in ipſis eo odio, quod diſplicentia nominatur.*

Quòd denique Concupiſcentiæ conſentire ſit vetitum, patet vel ex hoc Eccleſi. c. 8. *Poſt concupiſcentias tuas non eas..... ſi præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Præſtare enim animæ concupiſcentias ejus, quid eſt, niſi eiſdem conſentire? Hinc ab Apoſtolo alibi vocatur *peccati Lex*, alibi *peccatum*, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ut ait Concil. Trid. ſeſſ. 5. c. 5. & ut ait S. Aug. l. 6. cont. Jul. c. 19. *Concupiſcentia cauſa peccati eſt, defectione Conſentientis, vel contagione naſcentis.*

Objicies primò: ipſa voluptas non eſt per ſe mala, 381.
quia ratione delectationes in ſenſibus corporis D. *Quid S.*
Aug. Serm. 17. de verb. Apoſt. c. 2. dividit in dele- *Auguſtino delectatio licita*
ctationes licitas & illicitas. Deinde videtur ſequi ex *quid illi-*
dictis, appetitum ſenſitivum eſſe malum, utpotè cu- *cita.*
jus motui conſentire non licet. Reſp. Verum quidem eſſe S. Auguſtinum delectationem dividere dato loco in delectationem licitam & illicitam, non quaſi doceat licitum eſſe uni delectationi propter ſe conſentire & non alteri; ſed quia quædam delectationes ex objectis propriis licitæ ſunt, v. g. delectatio edendi, bibendi, &c. aliæ autem malæ & culpabiles ex objecto, v. g. delectari canticis impudicis, fornica-

tione,

tione, &c. Licita tamen dicta delectatio dicetur, ſi fiat eo modo, quo debet fieri, ſcilicèt propter naturæ neceſſitatem ac tandem propter Deum, non autem propter ipſam delectationem ſecundùm ſe, quod in omni delectatione, æternâ & indiſpenſabili lege prohibetur. Nam ut ait S. Aug. l. 6. muſicæ. c. 11. *Neceſſe eſt, ut nos inter illa quæ infra nos ſunt, & illa quæ ſupra nos ſunt, Deo & Domino noſtro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur,* Solis autem superioribus delectemur. Hinc, etſi voluptas illa ſecundùm ſe non ſit mala ejus, tamen motui & ductui ſecundùm ſe conſentire & adhærere vetitum eſt, *Poteſt enim amari res bona, amore non bono*, ait idem Doctor l. cont. ſecundi: c. 16. idem dic de appetitu ſenſitivo, qui etſi ſecundùm ſe malus non ſit, eſt tamen imperfectus ex ea ſaltem parte, quod feratur in objecta ſenſibus grata, in iiſque hæreat, cum altiùs de ſeſe exſurgere non valeat; quod ſi voluntas imitetur, iiſdem inhæreat & delectatione fruatur, culpabilis eſt, & culpa eſt voluntatis, non appetitus ſenſitivi. Vide quæ ſub finem dicam, de voluptate habita ex copula matrimoniali, agendo de matrimonio.

382. Dicendum 5. nullum ab homine committi peccatum, niſi prævio conſenſu in delectationem aut concupiſcentiam. Probat hoc clariſſimè S. Doctor Auguſt. l. 22. cont. Fauſtum c. 28. dum ait: *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illiciti relaxat potiùs, quam refrænat.* Rationem dat alibi S. Præſul, quòd ſcilicèt nullum fiat peccatum, niſi prævia tentatione in parte animali, in quâ concupiſcentia exſurgit. Vide l. 2. in Geneſ. cont. Manich. c. 14. idem etiam docet S. Jacobus c. 1. dicens, *Unuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſuâ abſtractus & illectus, concupiſcentia verò cum conceperit* (conſenſum) *parit peccatum.* Denique, ideo docet S. Auguſt. nullum in cœlo fore peccatum, quia nulla erit ibi delectatio concupiſcentiæ. Vide quæ de impec-

*Omne peccatū ſupponit conſenſum in delectationem.*

impeccabilitate Sanctorum dixi agendo de beatitudine. Hinc & alibi concludit, & ait: *Non concupiſces apertiſſimum ſaluberrimumque præceptum eſt, quod ſi quis impleverit, nullum habebit omninò peccatum ..... neque enim ullum peccatum, niſi concupiſcendo committitur.* De Spiritu & litt. c. 4.

Objicies 1. multa peccata fieri ex ignorantia, ergo non omnia fiunt ex concupiſcentia. Reſp. Peccata illa quæ fiunt ex ignorantia, etiam fieri ex concupiſcentia; quatenus concupiſcentia eſt cauſa ignorantiæ. Deinde etſi aliquando id, quod concupiſcitur, ignoretur eſſe peccatum, ipſum tamen factum, quod concupiſcitur, non ignoratur. 383. *Peccatum ex ignorantia eſt etiam ex concupiſcentia.*

Objicies 2. nihil ob eſt quo minus poſſit voluntas pro ſuâ libertate peccare nullâ prorſus tentatione concupiſcentiave ſenſuali illecta aut ſeducta, uti patet in primo peccato. Reſp. Etſi hoc fieri potuerit in ſtatu innocentiæ, in quo pars inferior plenè ſuberat ſuperiori, & pars ſuperior ſupremæ, ideſt Deo; 384. *Pondus amoris proprii continuum.* tamen id fieri nequit in hoc ſtatu naturæ lapſæ, idque ratione amoris proprii, aſſiduè hominem tentantis, & adverſus ſpiritum concupiſcentis, etiam tunc, cùm videtur hominem non tentare. Illius enim motus aſſiduè contra rationem in ſenſibilia evolant, uti aëre puriſſimo cœlum movetur etiam quando moveri non apparet. Qui amor, etſi de ſe malus non ſit, & ab authore naturæ cuique rei ſit inditus, eſt tamen malus & inordinatus in agente rationali, dum ea quæ non ſunt diligenda, diligit, aut alio fine diligit, quam ſint diligenda, puta diligendo res inferiores propter ſe, ideſt eis fruendo, quod inordinatum eſſe, poſteà ex Aug. oſtendam.

## SECTIO VII.

### *An Concupiſcentia Augeat voluntarium.*

385. *Modus quo concupiſcentia movet voluntatem.* PRÆNOTANDUM eſt quomodo Concupiſcentia voluntatem moveat. Quare Dico 1. magnam eſſe vim concupiſcentiæ in movendo voluntatem: patet hoc ex lucta illa ardua inter carnem & ſpiritum, ſub qua gemunt animæ, etiam ſanctiſſimæ, adeo ut ex illâ exoptent liberari, de corpore mortis hujus.

Vis tamen ejus in movendo voluntatem non eſt tanta, quin ſub poteſtate hominis maneat eidem conſentire & non conſentire, prout negant moderni Hæretici: ſub nobis enim manet appetitus noſter, & dominamur illius.

Dicendum 2. Movet appetitus ſenſitivus rationalem, per quamdam ſympathiam, quam habent potentiæ in eadem natura rationali conjunctæ quâ fit, ut quando appetitus ſenſitivus fertur in objectum proprium, voluntas excitetur & inclinetur ad eidem conſentiendum & idem proſequendum, idque aliquando tanto impetu, ut voluntas ſine deliberatione prævia in illud exſiliat & prorumpat, uti patet in motibus primò primis, ſeu qui à voluntate ante rationis dictamen erumpunt. Quinimò, etſi aliquando rationis deliberatio adveniat, & à proſecutione objecti abſtinendum judicet, difficulter ſubinde voluntas retrahitur, eo quòd vis concupiſcentiæ tam fortiter inflammet appetitum & voluntatem moveat.

386. *Concupiſcentia antecedẽs & conſequẽs.* Ut ergo ad propoſitam quæſtionem reſpondeam, prænotatâ communi diviſione concupiſcentiæ in antecedentem & conſequentem dico quod antecedens nihil ſit aliud quam motus appetitus ſenſitivi voluntatem inclinans ad motum ſibi conformem; de qua mox egimus. Conſequens autem eſt motus appetitus ſenſitivi à voluntate excitatus & imperatus, v.g. quando

do homo voluntariè appetitum ſuum excitat ad libidinem, iram, &c. His poſitis.

387. *Antecedens poteſt aliquando tollere voluntariũ.* Dicendum 3. Concupiſcentiam antecedentem eſſe tam vehementem aliquando, ut tollat voluntarium & liberum, uti patet in iis, in quibus motus appetitus ſenſitivi, v. g. libidinis aut iræ tam fortes ſunt, ut rationem planè abſorbeant & extinguant, homines ſubinde redigendo ad inſaniam. Si tamen concupiſcentia illa non ſit adeo vehemens, voluntarium minuit & liberum eſſentialiter; probatur, quia paſſio ſive concupiſcentia rationis judicium perturbat, unde dicimus homines præoccupatos ideſt paſſionatos ad alteram partem, non rectè poſſe de rebus judicare: minuto autem rationis judicio, minuitur & voluntarium perfectum & liberum, quæ à cognitione prælucente dependent. Quin imò minuit liberum accidentaliter, cùm paſſionibus voluntas fortiter in unam partem inclinetur, quo deinde minuitur voluntatis ad oppoſita indifferentia, & conſequenter liberum accidentale, quod in tali indifferentia conſiſtit.

388. *Conſequẽs neque minuit illud, neque auget.* Dicendum 4. Concupiſcentia conſequens, nec minuit, nec auget voluntarium, cùm non ſit cauſa cui voluntas aliquid velit, ſed effectus voluntatis, ab ipſa imperatus & excitatus, adeoque ſignum ſolummodo eſt voluntatis intenſioris.

Dicendum 5. Concupiſcentia antecedens, ſubinde tam vehemens eſt, ut eidem non conſentire videatur impoſſibile, nec tamen à peccato ideo eximit. Patet hoc in conſuetudinariis, quibus ex frequentatis actibus & conſuetudine, facta eſt moralis neceſſitas, ut de ſe confitetur S. Aug. in ſuis Confeſſionibus. Adeoque ipſis impoſſibile apparet, concupiſcentiæ non conſentire; peccant tamen, eo quòd ſtante tali conſuetudine poſſint & debeant abſolutè tali concupiſcentiæ ex conſuetudine ortæ non conſentire, & conſuetudinem mediis opportunis deponere, quam voluntariè acquiſiverunt. Hinc qui conſuetudinem habent jurandi, & quidem tantam, ut ipſis moraliter

389. *Mala conſuetudini non reſiſtendo peccatur.*

impoſſibile appareat à jurando abſtinere, quam tamen extinguere non ſatagunt, peccant mortaliter jurando, eo quòd cauſam jurandi ideſt conſuetudinem jurandi voluntariè poſitam pro ſua obligatione non ſtudeant deponere & auferre.

390. *Morali neceſſitate facta etiā ſunt imprŏbāda.* Petes, quomodo à S. Auguſtino dictum eſt l. 3. de lib. arb. c. 18. *ſunt etiam neceſſitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non poteſt?* Reſp. Vel loquitur S. Doctor de neceſſitate morali, qualis dicta eſt, eſſe in conſuetudinariis, vel de neceſſitate abſoluta: ſi de priori, rectè docet illâ neceſſitate facta eſſe improbanda, ideſt peccata, juxta mox ante dicta: ſi verò agat de abſoluta neceſſitate, etiam rectè docet, illâ neceſſitate facta eſſe improbanda, non quòd ſint formalia peccata, ſed objectivè tantùm, eo quòd habeant malum objectum, in quod inclinant, ratione cujus cupiditas omnis meritò eſt improbanda.

391. *Quid prohibeat lex non concupiſces.* Quæres ultimò, quinam motus concupiſcentiæ prohibeantur illo præcepto, *non concupiſces?* Reſp. directè & expreſsè prohiberi motus adulterii, &c. quæ ſequuntur: dicitur enim, *non concupiſces uxorem proximi tui, non domum*, &c. Deinde implicitè vetatur, ne illi concupiſcentiæ ad illicita pertrahenti conſentiendo obediamus, aut interiùs eâ nos oblectemus, aut eam opere compleamus; ut eam odio proſequamur, eam oppugnemus, &c. Denique ut pro viribus cum divina opitulatione laboremus, ut in nobis aliquando perimatur, ut non tantùm ei non conſentiamus, ſed nequidem eam ſentiamus; quod ultimum nemini, exceptis Chriſto Salvatore ejuſque matre, in hâc vitâ datum eſt aut conceſſum. Hinc S. Aug. l. 1. c. 29. de nuptiis & concupiſc. ita docet: *Multum boni facit, qui facit quod ſcriptum eſt, poſt concupiſcentias tuas non eas: Sed non perficit, quod ſcriptum eſt*: non concupiſces.

392. *Quomodò impleri poſſit in hac vita.* Objicies 1. ſi non poſſit in hâc vitâ adimpleri hoc præceptum, *non concupiſces*, quomodo ergo Deus impoſſibilia

impoſſibilia non jubet? Reſp. cum Heſſelio, non eſſe præceptum omnes concupiſcentiæ motus extinguere, quod hic in via fieri nequit; ſed ſolùm præcipi hujus rei deſiderium, ſtudium & conatum: perfectionem autem proponi ut ſcopum & mercedem in patria acquirendam. Hinc S. Aug. l. 3. contra Bonif. c. 7. *hic*, ait, *Præceptum eſt, ut non peccemus, ibi præmium non poſſe peccare. Hic præceptum eſt, ut deſideriis peccati non obediamus, ibi præmium, ut deſideria peccati non habeamus.*

Objicies 2. videtur prædicta Concluſio damnata in hac a. 3. Pontificibus proſcriptâ. *Prava deſideria, quibus ratio non conſentit, ſunt prohibita præcepto non concupiſces.* Reſp. Merito illum articulum ab Eccleſia eſſe damnatum, uti & hic ei affinis, *concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.* Meritò enim damnatur dogma, quod docet omnes motus concupiſcentiæ prohiberi illo præcepto, & eſſe legis inobedientiam in tantum, ut ſint peccata formalia, uti volunt Lutherani & Calviniſtæ. Etſi tamen rectè prohibeantur hoc ſenſu, ut illos motus oppugnemus, iiſdem non conſentiamus, & pro viribus eos ſopire ſtudeamus, ut dixi cum Heſſelio. 393. *Propoſitio damnata.*

---

## SECTIO VIII.

### *De Ignorantia, quid ſit, & quotuplex.*

DICENDUM primo *Ignorantia eſt privatio ſcientiæ alicujus rei, in ſubjecto capaci.* Dividitur 1. in ignorantiam juris & ignorantiam facti. *Ignorantia juris*, eſt ignorantia legis, aut conſuetudinis vim legis obtinentis, v. g. ignorantia decalogi, &c. Hæc ignorantia pro diverſitate legis, diverſificatur. *Ignorantia facti* eſt, quâ neſcitur factum vel circumſtantia facti, ob quam lata eſt Lex: v. g. dum quis ſciens, eſſe 394. *Ignorantia juris.*

 qui-

quidem cenſuram latam in percutientes clericos, neſcit tamen aliquem eſſe clericum, quem percutit.

395. *Vincibilis & invincibilis.* Dividitur 2. in vincibilem & invincibilem. *Vincibilis* eſt, quam quis deponere poteſt, faciendo quod poteſt & debet facere. Dividitur hæc in affectatam, craſſam ſeu ſupinam, & vincibilem ſtrictè. *Affectata* eſt, quam quis directè vult & affectat, de qua Pſalm. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Talis etiam eſt in eo, qui de alicujus actus malitia dubitat, & interim non vult inquirere de rei veritate, ut liberius peccet, dum de eâ ſufficienter inquirere poteſt & debet.

396. *Craſſa.* *Craſſa* ſeu *ſupina* dicitur ea, quæ oritur ex latâ culpâ ignorantis, dum vel nullam vel valde modicam adhibet diligentiam in inquirendis iis rebus, quæ neceſſariæ ſunt ſcitu pro qualitate ſui ſtatus & officii.

397. *Vincibilis ſtrictè.* *Vincibilis ſtrictè* dicitur illa, quæ oritur ex culpa modica ignorantis, v. g. ſi adhibuerit diligentiam aliqualem ad ſuperandam ignorantiam, non tamen tantam, quantam adhibere poſſet & deberet, pro gravitate negotii.

398. *Invincibilis.* *Ignorantia invincibilis* eſt illa, quam non poteſt ſuperare adhibitis iis, quæ debet & poteſt adhibere ad illam ſuperandam.

399. *Antecedens & conſequens.* Dividitur 3. in antecedentem & conſequentem: *Antecedens* eſt illa, quæ eſt cauſa operis, ideſt quæ ſi ab eſſet, opus non fieret. v. g. ignorantia, quâ Petrus occidit Paulum amicum, quem putat eſſe feram.

*Concomitans*, ſive *conſequens* eſt illa, quæ non eſt cauſa operis, adeo ut, etſi illa ab fuiſſet, equidem opus fuiſſet factum. V. g. ignorantia, quâ Petrus occidit Paulum inimicum, quem putat eſſe feram, tamen eum eo non obſtante occidiſſet& ſi eum ibidem latitare ſciviſſet.

Alio modo definitur ignorantia antecedens & conſequens in ordine ad voluntatem: ſcilicèt ut antecedens ſit illa, quæ ſit omnino involuntaria, & eſt eadem cum invincibili. Conſequens autem ſit illa,

illa, quæ eſt voluntaria vel directè, ut affectata, vel indirectè ſeu interpretativè, qualis eſt craſſa & ſupina, & alia vincibilis.

Porrò ad ſuperandam ignorantiam, adhibenda eſt ea diligentia, quam negotii gravitas & perſonæ ignorantis conditio requirit; unde prudenti judicio in quacumque reſpectivè ignorantiâ erit judicandum, quanta ſit adhibenda diligentiâ, quæ ſi non adhibeatur aut adhibitâ ſit, cenſeri debeat ignorantia vincibilis, aut invincibilis, ſi ignorantia remaneat. 400. *Quid requiritur ad ignorantiam ſuperandam.*

Hinc pro pleniori intellectu, conſiderandum eſt, quid quiſque ex ratione officii & ſtatûs, ſcire debeat, & ſcire poſſit; quomodo quiſque poſſit adhibere media ignorantiam repellendi, v. g. ratione ſtudii proprio marte veritatem indagando, aut alios, qui præſto ſunt, doctiores conſulendo, à Deo ſapientiam flagitando, &c. quæ ſi magis vel minus commodè ab aliis adhiberi poſſint ad ignorantiam ſuperandam, nec tamen adhibita ſunt, magis quoque vel minùs vincibilis ignorantia perſeverans judicanda.

Ex quibus Collige, quod ignorantia quæ in uno eſt invincibilis, in alio poſſit eſſe vincibilis: v. g. plebejus plura invincibiliter ignorare poteſt, quæ ratione ſtatus & conditionis non ita indagere conſtringitur, ſicut Paſtor v. g. aut Sacerdos eadem ignorans, quæ ratione officii ſui & conditionis ſcire tenetur, aut etiam majorem debeat adhibere diligentiam in iis inquirendis, quam quilibet alius adeo ut ſi eam non adhibeat, vincibiliter eadem ignorare judicabitur, non item aliuš quilibet, ſi eam non adhibeat. 401. *Ignorantia in uno vincibilis in alio eſt invincibilis.*

Patet itidem, magis vel minus vincibilem dicendam eſſe ignorantiam, ſi uni major adſit vel minor commoditas veritatem inquirendi, quam alteri, niſi tamen alter ſe ſua culpa & voluntariè in hoc ſtatu poſuerit, in quo veritatem indagare non poteſt.

## SECTIO IX.

### *An ignorantia cauſet involuntarium.*

402. *Quanam ignorantia cauſet involuntarium.* Dicendum 1. Ignorantia antecedens, quæ ſit cauſa operis, cauſat involuntarium. Probatur, quia opus illud nec in ſe, nec in ſua cauſa eſt voluntarium, eo quod ignorantia quæ eſt cauſa operis, ſit planè involuntaria, imò ſi opus prævisum fuiſſet, factum non fuiſſet.

Si verò ſit ignorantia antecedens reſpectu operis, ſic tamen ut ſit conſequens reſpectu voluntatis, non cauſat involuntarium, ſed opus ſubſequens eſt voluntarium, ſicut cauſa ejus, ideſt ignorantia; quæ eſt voluntaria in cauſa, ut eſt affectata, craſſa, &c. Cauſat tamen talis ignorantia involuntarium ſecundum quid, quia cum ſit antecedens ut ſupponitur, eſt cauſa operis, adeoque opus factum non fuiſſet, ſi ignorantia ab fuiſſet.

Dicendum 2. Ignorantia vincibilis quæ ſit concomitans, non facit opus involuntarium. Ratio ejus eſt, quod ſicut ignorantia ipſa eſt vincibilis, adeoque voluntaria in cauſa, ita etiam opus ex tali ignorantia ſubſequens erit voluntarium.

Si verò ſit ignorantia invincibilis concomitans, facit opus eſſe non voluntarium ſecundùm eam circumſtantiam, quam ignorat; Ratio ejus eſt, quod ſecundum illud quod ignoratur opus non ſit voluntarium in ſe, nec in ſua cauſa. Nec aliquid obeſt, quod homo equidem opus feceſſet, etſi ignantia illa ab fuiſſet: quia habitualis illa hominis diſpoſitio, nihil omninò hic confert, niſi actualiter aut virtualiter ſe in hoc opere talis diſpoſitio ingereret, aut in illud influeret, v. g. ſi antequam ad opus ſeſe accingeret, intendiſſet tale opus exequi, ſive illud foret quod facit ſive non; vel etiam in ipſa operis executione, hoc intenderet.

deret. Tunc enim talis intentio in illud opus cenſeretur influere; adeoque ratione talis intentionis, opus illud eſſet voluntarium.

Dicendum tertiò. Ignorantiam affectatam non minuere voluntarium, aut culpam. Ratio eſt, quia directè volendo ignorantiam, vult interpretativè illud opus, quod ex illâ ſequitur; imo directè vult ignorare, ut illud opus liberiùs exequatur. Hinc dicit S. Bern. Epiſt. 27. ad Hug. Vict. *Quod neſcire ſit, ignorantiæ; nolle autem ſcire, ſuperbiæ.* Et de grad. humilit. *Fruſtra ſibi de ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter ignorant.*

---

## SECTIO X.

### *An detur ignorantia invincibilis in jure Humano & divino.*

Dicendum primò, dari poteſt ignorantia invincibilis in jure humano, ratio eſt, quia potuit alicui numquam de tali jure lato, incidiſſe cogitatio aut ſuſpicio; aut etiamſi inciderit, potuit tamen adhibita fuiſſe tanta diligentia, quæ pro rei gravitate eſt adhibenda. Quin imò notandum, non requiri hic tantam diligentiam, ut habeamus cauſam excuſantem à jure humano, quam bene in lege divina aut naturali, eo quod legiſlator humanus benigniùs velit legem ſuam interpretari, quàm legiſlator Deus aut natura. 403. *An detur ignorãtia invincibilis in jure humano.*

Dicendum 2. vixdum poterit dari ignorantia invincibilis eorum, quæ ad ſtatum & officium ignorantis ſpectant. Ratio eſt, quia illa lege, quâ quis exequi debet illa, ad quæ ex officio conſtringitur, obligatur quoque eadem ſcire; quomodo enim exequetur, illa quæ ignorat? Si tamen ſit aliquid quod ignoret, & de cæteris fecerit diligentiam ſufficientem, ad ea ſcienda, quæ ex officio ſcirè debet, nec umquam de tali inciderit dubitatio aut ſuſpicio, poterit 404. *Raro dantur ignorantia vincibilis eorũ, quæ ad ſtatum alicujus pertinent.*

terit talis rei ignorantia eſſe invincibilis. Hinc patet, plerumque religioſorum ignorantiam circa ſtatuta generalia, vota & alia communiter obligatoria, eſſe vincibilem: quia eadem ex vi ſuæ profeſſionis ſcire debent, & facilè poſſunt, ſive per ſe, ſive per inſtructionem aliorum. Si verò ſit aliquis adeo hæbes, ut eadem nec per inſtructionem cognoſcere valeat, poterit aliquando à gravi culpa excuſari, dummodo officia tali ignorantiæ contraria non ambiat: quo pacto graviter peccat, tam ſe, quam alios ad quos inſtruendos tale officium inſtitutum eſt, periculo proximo errandi exponendo, & ut cæcus
405. cæcum ducendo. Hinc ſi talis ignorantia in ſuperiore contingat, aut debet mediis opportunis & neceſſariis ſtudere, ut eam deponat, aut officium deponere, ob prædictum periculum, errandi & alios ſeducendi.

*Superiores aut ignorantiam aut officium deponere debent.*

Dicendum 3. dari poteſt ignorantia juris divini, quæ ſit invincibilis: probatur, quia notitia talis legis, revelatione conſtat, & debitâ promulgatione,
406. quæ ad aliquem pervenire, aliquando non poſſunt. Aut etiam ſi aliqua de tali lege oborta fuerit cogitatio aut ſuſpicio, poterit in ea indaganda tantam adhibuiſſe diligentiam, quantam poſtulat materiæ gravitas; & interim in ignorantia perſeverare. Sæpe tamen deficiunt in multis plurimi, uti quod cauſam dederint tali ignorantiæ, v. g. fugiendo aut ſeſe locando voluntariè in locis, in quibus talis legis notitia eis innoteſcere nequit: quod non currant ad loca debita, ubi lex illa ſolet promulgari, v. g. Catechiſmum, vel ſi audientes legem, ex pertinaci ſuperbia non velint illius propoſitioni acquieſcere. Si tamen numquam de lege divina audierint, aut audire potuerint moraliter loquendo, erit ignorantia illius legis invincibilis, unde Chriſtus Joan. 15. *Si non veniſſem, & eis locutus non fuiſſem, peccatum non haberent*: Quare & hæc ab Eccleſia eſt proſcripta: *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Quarum autem rerum fidei

*Datur ignorantia juris divini, quæ ſit invincibilis.*

poſſit

poſſit dari ignorantia invincibilis, dicam in materia de fide.

## SECTIO XI.

*An detur ignorantia juris naturæ, quæ ſit invincibilis.*

Dicendum primo, nullam ignorantiam juris naturæ eſſe invincilem. Probatur 1. Quia illa ignorantia eſt vincibilis, quæ per media ordinaria & opportuna ſatis poteſt ſuperari: atqui ignorantia juris naturæ per talia media poteſt ſuperari, ergo. Probatur minor, quia talia media adhibenda ſunt, reflectere ad lumen & regulas naturæ noſtræ inſcriptas, ad regulas inquam immutabiles, conſulere doctiores, per orationem ad Deum confugere, &c. Neque dici poteſt, poſſe hominem neſcire invincibiliter, ea eſſe adhibenda ut ignorantiam ſuperet, quia ut ait S. Auguſt. l. 3. de Lib. arb. c. 19. *Nulli homini ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat.* 407. *Non datur ignorantia legu naturæ quæ ſit invincibilis.*

Probatur 2. Sicut nulla dari poteſt concupiſcentia tam ardua, quin ſaltem per vires gratiæ ordinariæ ſuperari queat: ita nec poteſt dari aliqua ignorantia juris naturæ, quin poſſit tali medio ſuperari. Per gratiam dico *ordinariam*, ideſt, quæ ſimilis conditionis hominibus dari ſolet; quod enim non niſi extraordinariis mediis ſuperari poteſt, non dicitur eſſe vincibile ſimpliciter. Porrò ſicuti dari poteſt concupiſcentia aliqua adeo fortis & vehemens, ut quaſi moraliter impoſſibile appareat eam ſuperare, uti ante docui, tamen eo non'obſtante abſolutè vinci poteſt illi non conſentiendo, ſaltem per Dei gratiam: 408. ita etiam, poſſet dari talis ignorantia, tam craſſa & fortis, ut deponi poſſe vidiatur impoſſibile, etſi deponi abſolutè poſſit per gratiam; quod autem poteſt per gratiam fieri, abſolutè eſt poſſibile: nam ut *Quod per gratiam fieri poteſt, omnino eſt poſſibile.*

aic

ait S. Thom. 1. 2. q. 109. a. 4. *Quod poſſumus cum auxilio divino, non eſt nobis omninò impoſſibile.*

Probatur 3. Quia quando quis voluntariè dat cauſam ignorantiæ, cenſetur eidem ignorantia illa eſſe voluntaria, adeoque & vincibilis, dum cauſam non deponit, quam poteſt & debet deponere, ut ignorantiam deponat: ſed ignorans aliquid ut jure naturæ, poteſt illius cauſam depellere, puta reflectendo ad lumen vultus divini, quod ſignatum eſt ſuper nos, à Deo ſapientiam poſtulando, &c. Ergo niſi eam deponat adhibitis jam dictis mediis, cenſebitur illi ignorantia perſeverans voluntaria, & conſequenter opus ex ea factum.

Probatur 4. Authoritate D. Aug. Epiſt. 105. ad Sixtum. ubi ait: *Humana ſuperbia tamquam præſumens de viribus liberi arbitrii, excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ, non voluntatis eſt, quod peccet. Secundùm hanc excuſationem incuſabiles dicit Scriptura divina, quoſcumque ſcientes peccare convincit. Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit, qui non audierunt: quicumque ſine lege peccaverunt ſine lege peribunt. Et quamvis ſe ipſos excuſare videantur, non admittit hanc excuſationem, qui ſcit ſe feciſſe hominem rectum, eique obedientiæ dediſſe præceptum, nec niſi ejus quo malè uſus eſt libero voluntatis arbitrio, etiam quod tranſierit in poſteros, manaſſe peccatum. Neque enim damnantur, qui non peccaverunt, quandoquidem illud ex uno in omnes pertranſiit, in quo ante propria ſingulis quibuſque peccata, omnes communiter peccaverunt. Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat, quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt, in eis autem qui non potuerunt pœna peccati.*

Accedit Magiſtro ſuo Diſcipulus S. Proſper, apertè docens etiam eos, qui defectu gratiæ, quæ quibus datur, miſericorditer datur, & quibus non datur, juſtè non datur, non ſciunt quid agere debeant, aut

eadem

eadem agere non poſſunt non excuſari cum poſſint abſolutè per gratiam, quæ etſi non detur, ex eorum culpa proficiſcitur, ſaltem originali. Audi S. Doctorem carm. de ingrat. c. 32.

*Non autem rectè, nec verè dicitur illos*
*Qui ſunt exortes divini muneris, & quos*
*Gratia neglexit, degentes mortis in umbra*
*Peccati non eſſe reos, quia recta gerendi*
*Non data ſit virtus.*

Idem docent Bernardin. Senenſ. tom. 2. fol. 564. ubi ait: *Jus naturæ omnes obligat, & nullum adultum excuſat, cum ſit ſcriptum in cordibus noſtris.* Et Alph. à Caſtro qui l. 1. de poteſt: legis pœn. c. 2. ita ait: *Theologi omnes concorditer docent, ignorantiam legis naturæ neminem excuſare à tranſgreſſione illius legis.* Idem docent alii SS. Patres & Theologi veteres, paucis exceptis neotericis invicem annexis.

Objicies primò, illa omnia intelligenda ſunt, 409. Dei ignorantia primorum principiorum, v. g. *Fac bonum & declina à malo, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, Et alia his ſimilia, non autem quoad alia, quæ ex iis deducuntur. Reſp. etſi aliquorum ſenſu de primis principiis tantum intelligatur dicta ſententia; cum illa omnium cordibus clarè inſculpta ſint, & facili ſtudio cognoſci poſſint: tamen idem quod de illis tenet ſententia, de aliis omnibus juris naturæ dijudicandum eſt, juxta Sanctos Patres. Pro quo ulterius notandum eſt, quædam immediatè ſatis & clarè ex illis primis principiis deduci, ut non eſſe furandum, mentiendum, in quibus quoque non dari ignorantiam invincibilem docent plurimi, eo quod facili ſtudio ignorantia vinci poſſit per media antedicta. Alia verò ſunt, quæ non ita immediatè & facili conſequentia ex iiſdem principiis deducuntur, ut ſunt mutuum exigere ex lucro, furari ad dandam eleemoſynam, & alia his ſimilia, maximè ſi quadam honeſtâ circumſtantiâ veſtiantur; in quibus volunt, poſſe dari ignorantiam invincibilem, eo quod ſit majori

*Non tantum principiorum ſed aliorũ juris naturæ non datur ignorãtia invincibilis.*

rationis

rationis ſtudio opus ad eadem ex primis principiis juris naturæ deducenda. Hinc etiam viri doctiſſimi arbitrati ſunt ea eſſe licita, v. g. Caſſianus collat. 18. c. 17. & Origines putarunt licitum eſſe mendacium ob juſtam aliquam cauſam.

Ad quæ tamen reſpondeo, quòd cùm SS. Patres non diſtinguant in ignorantia primorum principiorum & aliorum, quæ ſunt juris naturæ, ſed generaliter aſſerant, omnem juris naturalis ignorantiam eſſe vincibilem neque excuſare à peccato, ſequitur nec nos debere diſtinguere, maximè cùm omnium ſit par ratio, ut mox oſtendam. Licèt enim in cognoſcendis primis principiis non exigatur tantum ſtudium, tantus labor, quam bene in cognoſcendis
410. aliis, maximè quæ mediatè ſatis ex iis deducuntur; nihil omninò obeſt prædictæ ſententiæ, cùm abſolutè per gratiam ordinariam cognoſci poſſint, ſi velint adhibere omnia, quæ adhibere poſſunt & debent. Quod ſi fortè diligentiam adhibeant, etiam longè majorem quam adhiberent in inveſtiganda ſcientia primorum principiorum aut aliorum quæ immediatè & clarè ex iis deducuntur, & interim ignorantia illa permaneat, excuſabuntur quoque reſpectivè ad factam diligentiam & difficultatem in indaganda veritate, à peccato pro aliqua parte culpæ, etſi numquam ab omni; quomodo dicunt alii, excuſare poſſe à tanto, ſed non à toto. Magis enim ignorantia eſt culpabilis, quæ facili negotio deponi poteſt, quam quæ difficiliori.

*Ignorantia juris naturæ aliquando excuſat à tanto, ſed numquam à toto.*

Quod autem dicitur, aliquando viros doctiſſimos arbitrari aliqua talia eſſe licita, nihil omninò obſtat aut probat, cùm probari deberet eos hoc invincibiliter judicare, quod eſt, quod quæritur. Quamvis, enim prima principia, quivis facili negotio perpen-
411. dat, tamen aliquando in applicatione illorum deficit, & quidem voluntariè, & ſuâ culpâ, vel quod concupiſcentiæ ardore, vel animo præoccupato de tali re judicat, vel quod non ad hibeat, quæ adhibenda ſunt

*Viri docti aliquando errant in jure naturæ.*

ſunt, ut rectè judicare poſſit ſic etiam in applicatione primorum principiorum', ad ea quæ immediatè ſatis ex iis deducuntur, defecerunt aliqui, vel nimiâ concupiſcentiarum libidine intellectu offuſcato, vel etiam quòd cæco modo procedentes, illa quæ adhibenda eſſent ad ignorantiam ſuperandam, non adhibuerint; quo factum eſt, ut etiam illa licita ſint, quæ tamen erant jure naturæ illicita, v. g. quando alii arbitrati ſunt licita eſſe furta, adulteria, fornicationes, &c. Nec dici poteſt ea ſolummodo fuiſſe permiſſa, cauſa vitandi majoris mali, ut modo alibi permittuntur meretricia: aliud enim docet S. Chryſ. hom. 12. in 1. cor. 4. ubi ita ait: *Sapientibus gentilium ſcortari neque flagitioſum neque malum videtur; unde nemo externorum legumlatorum hoc punivit; neque inde in judicium traxit: ſed ſi quiſpiam hac de cauſa in judicium aliquem vocaret, riderent multi.* Idem dic de ruſtico illo, qui pium credebat, moribundum in alteram partem flectere, quo citius exhalaret animam. Quòd autem in his & aliis ſit ignorantia vincibilis, ſatis claret ex remorſu aliquo, quo titillantur in executione illorum operum: quod ſi remorſu nullo tangantur, non magis excuſandi ſunt illius defectu, quam alii qui cùm in profundum venerint peccatorum, contemnunt, & ſine ullo ſcrupulo flagitiis vacant. Sicut enim in iis concupiſcentiâ & conſuetudine id fit, ita in aliis ignorantiâ & concupiſcentâ, quæ ex peccato nobis voluntario proficiſcuntur, puta originali.

Deinde notandum eſt, nos docere ignorantiam juris naturæ eſſe vincibilem, non quatenus de omnibus omninò poſſit haberi clara & evidens notitia omnium omnino concluſionum ad illud jus ſpectantium, ſed quòd poſſit quilibet, quando hic & nunc agendum eſt, habere aliquod ſaltem dubium de honeſtate aut malitia actus an ſit contra jus naturæ nec ne, adeò ut niſi præceſſerit culpa ſaltem habebit aliquod dubium de ea, quo dubio ſtante tenebitur ad ſequendum, quod ſibi apparet tutius.

Objicitur

412. *Saltem omnibus agentibus de jure natura advenit aliquod dubium de eodem jure.*

Objicitur 2. Datur ignorantia invincibilis in jure poſitivo, ergo & in jure naturali quoad illa quæ mediatè ſatis ex primis principiis eruuntur. Reſp. N. C Ratio diſparitatis eſt hæc, quòd ad obligationem legis poſitivæ requiratur debita promulgatio, quæ ad nos quandoque ſine noſtra culpa pervenire non poteſt, adeoque eam ignorans, invincibiliter ignorat. Lex autem naturalis etiam quoad dictas concluſiones in aliis principiis ſufficienter eſt promulgata, etſi aliquando difficile ſit earumdem notitiam aſſequi, abſolutè tamen poteſt per gratiam & alia media antedicta.

Objicies 3. Plurimi Doctores Theologi æſtimant ſe non peccare dicendo ſuam ſententiam in re juris naturæ ſatis obſcura & dubia, aliis affirmantibus ejus malitiam, aliis eamdem pernegantibus. Quod ſi non detur ignorantia invincibilis, nullus Paſtor aut confeſſarius de talibus rogatus poterit dare ſuam ſententiam, exponendo ſe periculo, ſuo Conſilio aut ſententia aliis dandi cauſam injuriæ aut peccati. Reſp.

413. *In ſpeculativis dari poteſt ignorãtia juris naturæ quæ ſit invincibilis.*

etſi ſint plurima juris naturæ in re Theologica & aliis controverſa, ex iis tamen nihil deduci poteſt dictæ ſententiæ contrarium. Fatemur enim quoad ſpeculationem poſſe multarum rerum juris naturæ dari ignorantiam quæ ſit invincibilis, non tamen quoad praxim; ſive quando hic & nunc agendum eſt in materia juris naturæ. Quod ſi aliis in hac re agere volentibus, alii doctiores ſuam deſuper dent ſententiam dum conſuluntur, & aliquando errent, aut in re obſcura pro altera ſententia dant judicium; etiam eoſdem peccare pro defectu cognitionis debitæ profitemur, ſi ex officio ad hoc ſint deſtinati. Ex quo palam fit, quo onere premantur Doctores, Confeſſarii & alii, non ſatis pro officio ſuo inſtructi. Hoc interim addo, ſæpe quæſtiones tales verſari in materia juſtitiæ circa bona temporalia, quæ ſubſunt ſuperioris poteſtati, ſic ut de iis ob boni communis cauſam poſſit ſuperior diſponere: eo autem caſu, ſi circa illa aliquando errent in tali materia, & de cætero ſeſe direxerint juxta com-

communes leges, præſumere poſſunt, ſi errare contingat, & bona illa cedant, cui non debentur, id poteſtate ſuperiori per leges eſſe conſtitutum in utilitatem boni communis. Denique hinc quoque diſcendum in rebus dubiis & Controverſis parti tutiori adhærendum eſſe, quo facto majus periculum in rebus illis poterit præcaveri.

Objicitur 4. S. Aug. loco pro ſententiæ noſtræ confirmatione ſuperius citato apertè agnoſcit invincibilem juris naturæ ignorantiam, dum ait in fine, *in iis autem qui non potuerunt* (intelligere) *pœna peccati eſt*, quod diſtinguit contra præcedentia, dum dicit, *in iis qui intelligere noluerunt*, in quibus ſtatuit vincibilem, in priori autem invincibilem. Reſp. Intelligit S. Doctor per to *non potuerunt*, impoſſibilitatem moralem, quæ à peccato non excuſat: quâ ratione admitti poſſet ignorantia aliqua juris naturæ quodammodo moraliter invincibilis, quæ tamen abſolutè ſit vincibilis. Moralis autem illa impoſſibilitas in hoc caſu, ſita eſt in eo, quòd ignorantia illa deponi non poſſit niſi arduo ſtudio, & Dei gratiâ, prout aliquando inveterata conſuetudo deponi non poteſt, poteſt tamen abſolutè quod poteſt fieri per gratiam.

---

## SECTIO XII.

### *An & quando ipſa ignorantia ſit peccatum.*

Dicendum primò, Ignorantia ipſa peccatum eſt, quando ſcientia oppoſita quâ privat, eſt in præcepto. Probatur, quia eodem præcepto quo præcipitur ſcientia, interdicitur ignorantia oppoſita. Hinc quia ſcientia præcipitur omnibus illarum rerum, quæ in officio conſtitutis ad executionem debitam ejuſdem officii ſunt ſcitu neceſſariæ, ſi eaſdem neſcire contingat ſuâ culpâ, ſpeciale peccatum erit ipſa ignorantia. 414. *Quando ipſa ignorantia ſit peccatum.*

 Dicen-

Dicendum 2. juris naturæ ignorantia non ſemper eſt peccatum per ſe conſiderata uti aliqui ab aliquibus imponunt edoctum. Probatur, quia aliquando expedit illam in multis eſſe, v. g. expedit monialem aut liberam neſcire multa, quæ in actu matrimoniali ſunt de jure naturæ ſervanda, aut cavenda.

415. *Ignorantia eſt aliquando peccatum ſpeciale.* Dicendum 3. Ignorantia ſecundùm ſe eſt ſpeciale peccatum, diſtinctum ab eo opere, quod ex peccato facit, quando eſt illorum, quæ quis ſcire tenetur ratione ſui. Hinc v. g. Confeſſarius vel Paſtor ignorans ea, quæ ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ neceſſaria ſunt, & ſacrilegè ex ea ignorantia abſolvens, peccat duplici peccato, uno ignorantiæ ſecundùm ſe: altero ſacrilegii.

Dicendum 4. Quando ignorantia tantùm eſt illarum rerum, quæ ſunt in præcepto, & quæ ratione ſui non debent ſciri, v. g. ignorantia jejunii, Feſti &c. non eſt ſpeciale peccatum ſeu diverſum ab eo opere quod ex tali ignorantia provenit, v. g. prævaricatione jejunii aut feſti, ſed eſt unum ſpecie peccatum, & opponitur illi præcepto, quod tali ignorantiâ contingit violari. Ratio hujus eſt, quòd qui talia ignorant exponant ſe periculo præceptum violandi: qui autem ſe exponit periculo alicujus peccati, peccat eâdem ſpecie peccati, cujus eſt peccatum, cujus periculo ſe exponit.



CA-

# CAPUT TERTIUM.

## De Bonitate & malitia actuum humanorum.

## SECTIO PRIMA.

### *De eſſe morali & naturali actûs humani.*

416. *Quid ſit eſſe morale & naturale actûs.*

Dicendum primò, duplex *eſſe* in actu humano diſtingui poſſe, unum *naturale*, alterum *morale*. *Naturale* deſumitur ex ipſo actu ſecundùm ſuam Phyſicam entitatem, prout præciſè ordinem dicit ad potentiam à qua phyſicè & vitaliter procedit, & ad objectum in quod tendit.

Morale autem actûs ſitum eſt in habitudine actûs ad potentiam liberam, ex cujus proprio agendi modo oritur moralitas actûs, qui ideo eſt conformis vel difformis rationi, quia rationali modo à potentia procedit, quo modo ſi ab ea procedat, fieri non poteſt, quin ſit moraliter bonus aut moraliter malus. Etſi enim actus de ſe ſit rectæ rationi conformis aut difformis, prout aliquando ſunt actus à dormientibus eliciti aut pueris: niſi tamen à potentia libera & quidem liberè procedant, non poſſunt dici actus moraliter boni aut mali.

417. *Moralitas actûs deſumenda eſt ex libero amore finis.*

Dicendum 2. Quia proprius agendi modus potentiæ liberæ formaliter ideſt voluntatis, eſt agere propter finem, cùm finis ſit objectum ejus proprium, ut ante dictum eſt: & inſuper tendentia voluntatis in finem ſit amor finis; ſequitur, quòd moralitas actûs, ſit ſumenda ex libero amore finis. Probat hoc expreſſè D. Aug. Epiſt. 52. *non faciunt*, ait, *bonos vel malos mores, niſi boni vel mali amores.* Et rurſum. *Mores noſtri, ex eo quòd quiſque diligit, dijudicari ſolent.*

418. *Non ſemper actus acquirit moralitatem ab objecto.* Dicendum 3. quatenus voluntas liberè tendit in objectum, non ſemper moralitatem recipit ab objecto. Probatur, quia aliquando amari poteſt objectum bonum, ſic ut voluntas ab illo non dicatur bene morata, poteſt enim res bona amari amore non bono. Hinc ut rectè dici poſſit moralitatem actûs deſumi ex objecto, intelligi debet per objectum, objectum voluntatis proprium, quod eſt finis, vel objectum voluntatis cum ordine ad finem.

419. *Nec præcisè ex ratione.* Dicendum 4. moralitas actûs non eſt ex dictamine rationis præcisè deſumenda. Probatur ex dicto S. Auguſt. loco Epiſt. 52. ubi ait: *Mores noſtri, non ex eo quod quiſque novit, ſed quod quiſque diligit disjudicari ſolent.* Hinc etſi plurimi ſciant aliquid eſſe ſequendum aut vitandum, ſi tamen dictamen illud rationis non proſequantur, moraliter boni aut mali dici non poſſunt ab illa cognitione, ſed à voluntate illud ſequente aut fugiente: fit enim ſæpè, ut ait Poëta, quòd videant meliora, probentque, deteriora ſequantur.

420. *Voluntas modo ſibi connaturali agens eſt bona vel mala.* Dicendum 5. Eo ipſo quo voluntas modo ſibi connaturali agit, eſſe moraliter bonam vel malam. Probatur: quia quando tali modo agit, liberè agit, & propter finem: ſi ergo tendat in objectum bonum aut de ſe indifferens, & propter finem debitum, erit bona; ſi verò in objectum malum aut etiam bonum, ſed propter malum aut indebitum finem, erit moraliter mala; ſemper enim voluntas moraliter ac liberè agens, agit propter finem. Patebit hoc clariùs ex ſequentibus.

## SECTIO II.

*Undenam deſumenda ſit bonitas actuum humanorum.*

421. *Bonitas actûs ex amore finis.* Dicendum 1. moralitas actûs juxta dicta deſumenda eſt ex libero amore finis, hinc dicit S. Aug. Epiſt. 52. *Virtus non eſt, niſi diligere quod diligendum*

*ligendum eſt.* Et S. Bern. l. de grat. c. 6. *Nihil aliud ſunt virtutes, niſi ordinatæ affectiones.* Denique hinc S. Aug. l. 2. c. 13. manichæos compellans, ita diſſerit: *Quæro à vobis, quo fine facitis? Finis enim quo referuntur ea quæ facimus, ideſt propter quem facimus, ſi non ſolùm inculpabilis, ſed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta noſtra laude aliquâ digna ſunt.*

Dicendum 2. ut meliùs pateat bonitas actûs moralis, diſcernendum eſt officium à fine. *Officium eſt quod faciendum eſt, finis verò propter quod faciendum eſt*, ut ait Aug. l. 4. contra Juli. c. 3. & rurſum, *Noveris itaque non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes.* Si enim ſit rectum officium ſed perverſus finis, actus erit moraliter malus. 422. *Quid officium, quid finis.*

Dicendum 3. ille ergo bene moratus eſt, qui rectè diligit. Ipſe autem qui ordinatam dilectionem habet, *Videat* ait S. Aug. de Doct. Chriſt c. 27. *ne aut diligat, quod non eſt diligendum, aut non diligat quod eſt diligendum, aut amplius diligat, quod minùs eſt diligendum, aut æque diligat, quod vel minùs vel ampliùs eſt diligendum, aut minùs vel ampliùs, quod æque eſt diligendum.* Quo autem ordine diligenda ſint omnia, dicam de charitate. 423. *Bonus eſt qui bene diligit.*

Dicendum 4. finis actionis humanæ, alius eſt proximus, ſive operis, ſive ad quem ipſum opus ex natura ſua tendit: alius eſt finis operantis, quem ipſe agens intendit. Ut autem actio ſit moraliter bona non ſufficit ut habeat finem proximum bonum, ſed requiritur, ut habeat alium finem operantis ultimum pro ſcopo, finis autem ille eſt ſolus Deus. 424. *Fines actionis & agentis.*

Probatur prius ex D. Auguſt. l. 19. de civit. c. 25. ubi docet virtutes ipſas inflatas eſſe ac ſuperbas niſi in Deum referantur, ubi tamen virtutes & earum officia habent finem proximum bonum & honeſtum. Idem docet l. 4. cont Jul. c. 3. ubi ait: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit, etſi of-*

 *ficio*

*ficio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Porrò quis ſit rectus finis, declarat Epiſt. 120. ubi ait: *Tunc rectè, tunc juſtè, tunc piè fit, cùm opus bonum in ejus laudem fit, cujus gratia donatur, ut fiat.* Idem probari poteſt, ſcilicèt eſſe Deum finem omnis bonæ actionis neceſſarium, ex eo quòd idem S. Doctor Epiſt. 81. dicat, *Illam actionem eſſe recti itineris quæ oculos ſemper habet ad Dominum.* De quo mox plura.

425. *Non eſt ſatis ad actum bonum quòd ſit in Deu ordinabilis.* Dicendum 5. Patet ex dictis, non ſatis eſſe ad actum moraliter bonum, quod ſit in Deum ordinabilis; probat hoc rurſum S. Auguſt. l. 4. cont. Jul. c. 3. ubi roganti, an nudum operire eſſet peccatum, reſponderit, illud opus quidem eſſe per ſe bonum, ideſt ex officio & fine proximo, ſed tamen de illo opere non in Domino gloriari, ideſt ad Deum referre; ſolus impius negat eſſe peccatum. Vide dicenda ſect. 4.

426. *Solus Deus eſt ultimus finis actionis humanæ.* Dicendum ultimò, Deum ſolum eſſe ultimum finem omnis actionis humanæ. Probatur, quia illud eſt ſolùm finis ultimus ad quem referenda ſunt cætera, & cui licet inhærere propter ſemetipſum, ideſt quo licet frui, quæ Deo ſoli competunt, uti ex dictis conſtat, & dicendis conſtabit pleniùs.

---

## SECTIO III.

*An omnis actus humanus, ut ſit bonus, debeat ex præcepto referri in Deum ut finem ultimum.*

427. *Præcipitur omnia opera deliberata referri in Deum ut ultimum finem.* Dicendum primò, Omnis actio moralis referenda eſt ex præcepto in Deum tamquam ultimum finem. Probatur 1. ex ſcriptura 1. Cor. 10. ubi ait: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Item ad Coloſ. 3. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jeſu-Chriſti facite.* Rurſum 1. Cor. 16. *Omnia veſtra in Charitate fiant,*

Quod

Quòd autem ibidem ſignificetur verum præceptum, non verò ſolummodò Conſilium, declarant & confirmant S. Auguſt. & D. Thom. Prior quidem de corrept. & gratia ubi ait: c. 3. *Præcipit Apoſtolus dicens: omnia veſtra in Charitate fiant.* Poſterior verò ad locum ad Coloſ. 3. *Quidam*, ait, *dicunt quòd hoc eſt Conſilium, ſed hoc non eſt verum,* Idem docent alii SS. PP. & Doctores. 428. *S. Auguſt.*

Probatur 2. ex S. Auguſtini in alia ſectione adductis ſententiis, & jam in confirmatione præcedenti, quibus hoc adde, quod dicit l. 2. de lib. arb. c. 17. *Quidquid laudabile advertitur in rerum natura, ad laudem referendum eſt Creatoris.*

S. Amb. Serm. ſuper verba Malachiæ. *Qui eſt Chriſtianus, ſemper debet Patri ac Domino ſuo laudes dicere, & in ejus gloriam omnia procurare, ſicut ait beatus Apoſtolus: ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 429. *Ambroſ.*

S. Bern. ſerm. 3. de diverſ. *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei.* D. Thomas lect. 2. in c. 16. 1. ad Cor. ad illud *omnia veſtra in Charitate fiant*, ita loquitur: *Omnia debent referri in finem Charitatis, ſcilicèt ut fiant propter Deum & proximum.* & 2. 2. q. 83. a. 14. in corp. *Omnia debemus in gloriam Dei facere.* Idem docent alii SS. Patres & Doctores. *Bernard.*

Ratio hujus eſt, quòd Deus ſit principium & finis, Alpha & Omega, ex quo conſequitur, quòd ſicut omnia ab ipſo procedunt tamquam principio ita omnia ad ipſum ſint referenda tamquam finem. Deinde planè perverſum eſt inhærere alicui creaturæ propter ſe ipſam, ſive eâdem frui, ille autem re aliqua fruitur, qui dilectionem ejus ad dilectionem Dei non dirigit. Tertiò quilibet debet in ſuis actionibus habere rectam intentionem, hoc autem, ut ait S. Bonav. in 3. diſt. 23. a. 1. q. 1. *Solùm fit rectâ intentione, quod fit ad honorem & gloriam Dei: Sine verò rectâ intentione, nullus actus virtutis rectè incedit.* 430. *Rationes.* 431. *Quæ bona intentio.*

Objicitur 1. Impoſſibile videtur naturæ noſtræ

 fragili,

432. fragili, & in hoc ſtatu diſtractionis & miſeriæ, omnia noſtra opera referre in Deum tamquam ultimum finem. Reſp. Impoſſibile quidem eſt actuali relatione opera noſtra in talem finem referre, quod beatis reſervatur in patria, qui actuali intentione ſemper divinæ laudi & gloriæ ſunt intenti: ſed virtuali relatione id agere impoſſibile non eſt, ideſt relatione, quæ ex actuali præcedente procedit, quæ moraliter etiamnum durare cenſetur, & in opus influere. Opus namque ſemel directum in Deum, jam de ſe quaſi in ipſum tendit, ut emiſſa ſagitta in ſcopum. Nec exigitur, ut ſemper repetatur directio; ſed ſufficit, ſi non abrumpatur intentio. Eodem modo, ſicut rota ictu movente pulſata, etiam otiante manu curſum abſolvit ſuum: ſed quo fortior actus, aut impetus eſt validior, eo diutiùs durat virtus, motuſque perſeverat. Hinc notant varii, quòd intentio illa actualis ſæpè renovanda ſit, ut diutiùs in alia virtuali perdurare cenſeatur.

*Præceptū illud eſt poſſibile.*

433. Deinde, etſi ſit difficillimum præceptum illud, ea propter non debet non admitti: præceptum enim vitandi omnia venialia, non niſi extraordinario Dei auxilio ſervari poteſt in hoc ſtatu; tamen ideo obligare non deſinit: quia ſicuti nulla eſt in particulari actio, quin eam cum divino auxilio rectè exequi poſſimus: ita etiam nulla eſt actio in particulari, quin illam ad Dei gloriam valeamus dirigere & deſtinare, cum auxilio divino, quod autem cum adjutorio divino poſſumus, abſolutè poſſumus, ut aliquoties cum Doctore Angelico dictum eſt.

*Etſi foret difficile, tamen non ideo non agnoſcendum.*

434. Quod autem poſſibile ſit obſervatu omnia in Dei gloriam agere, monſtravit Seraphica Mater Thereſia, dum emiſit votum agendi ſemper illud, quod eſſet perfectiſſimum, adeoque obligavit ſe ad agendum omnia in Dei gloriam, idque ex verâ obligatione, cùm illud præſtare ex obligatione meliùs ſit & perfectiùs, quam ſine obligatione ſupererogatoriè, ſive ex Conſilio. Hinc ſuis hoc dedit monitum,

*S. Thereſia*

monito

monito 23. *Quidquid ages, ad Deum referes.*

Objicies 2. Præceptum illud Apoſtoli, eſt tantùm affirmativum, adeoque non obligat in tantùm, ut ſemper & in omni actu illud implere teneamur, adeoque non omnia ex eo obligamur dirigere in Deum ut ultimum finem. Reſp. In primis præcepta affirmativa communiter dicuntur non obligare quoad modum, ſed contrarium evenit, quando ſimul cum præcepto præcipitur modus præcepti, uti hîc fit. Præcipitur enim ſimul modus durationis & quidem continuæ, dum deliberatè agimus: æquivalet enim huic negativæ, *Non ſiſtes ultimatè in ulla creatura, niſi dilectionem ejus ad dilectionem Dei referas.* Provenit illud, ex illo dilectionis Mandato, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, totâ animâ, &c.* Quæ regula divinitus conſtituta hoc importat, ut ait, S. Aug. l. 1. de Doct. Chriſt. c. 22. *Ut omnes cogitationes tuas, omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, ex quo habes ea quæ confers. Cum autem ait toto corde, totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut alia te velit frui* ( ideſt propter ſe diligere ) *Sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Vide quæ dabo in materia de Charitate Dei, ejuſque obligatione & neceſſitate.

435. *Quando præcepta obligent quoad modum*

---

## SECTIO IV.

*An hic ſufficiat relatio Habitualis, ſita in eo, quod opus aliquod de ſe ſit ordinabile ad Dei Gloriam.*

Dicendum primò, Ut dicto Apoſtoli præcepto ſatisfiat, non eſt ſatis, quòd opus illud de ſe ſit referibile in Dei gloriam. Probatur illud clarè ex D. Auguſt. l. 19. de Civit. c. 25. & alibi, dùm docet, virtutes ipſas inflatas eſſe ac ſuperbas, niſi in Deum refe-

referantur: quis verò neget virtutes de ſe ad Dei gloriam eſſe ordinabiles? Deinde idem S. Doctor apertè docet, quòd operire nudum, quod certè ad Dei gloriam eſt ordinabile, peccatum ſit, ſi in eo opere non in Deo gloriemur. Unde conformiter Alvarez de Paz. l. 2. p. 1. c. 7. ita ait: *Ut autem opus bonum ſit, non ſatis eſt, ut ex natura ſua fructus virtutis ſit, ſed neceſſarium eſt, ut in finem virtutis ordinetur.* Finis autem ille eſt Deus, ut ibidem expreſsè docet.

Dicendum 2. Neque D. Thomæ ſufficit ejuſmodi intentio ſeu relatio Habitualis. Probatur ex eodem Doctore q. de Charit. a. 11. ad 2. qq. diſp. ubi ait: *Dicendum, quod omnia actu referrè in Deum, non eſt poſſibile in hac vita, ſicut nec eſt poſſibile, quod ſemper de Deo cogitetur: ſed quod omnia referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam conſiderandum eſt, quòd ſicut in cauſis efficientibus virtus primæ cauſæ manet in omnibus cauſis ſequentibus: ita etiam intentio principalis finis, virtute manet in omnibus finibus ſecundariis. Unde quicumque actu intendit aliquem finem ſecundarium, virtute intendit finem principalem. Sicut medicus, dum colligit herbas actu intendit conficere potionem, nihil fortaſſe de ſanitate cogitans, virtualiter tamen intendit ſanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cùm aliquis ſe ordinat ad Deum ſicut in finem, in omnibus, quæ propter ſe ipſum facit, manet virtute intentio ultimi finis qui Deus eſt, unde in omnibus mereri poteſt, ſi charitatem habet, hoc igitur modo Apoſtolus præcipit, quod omnia in Dei gloriam referantur.* Ex quo ſatis claret, mentem Angelici Doctoris eſſe, quòd omnia ſaltem virtute intentionis præcedentis, cùm virtualis formalem ſupponat, in Deum ut in ultimum finem juxta Apoſtoli præceptum debeant referri.

Mentem hanc ipſe declarat ibid. ad 3. ubi ait: *Aliud eſt referre habitualiter in Deum, aliud virtualiter, habitualiter enim refert in Deum & qui nihil agit, nec qui actualiter intendit, ut dormiens: ſed virtualiter aliquid referre in Deum, eſt agentis propter finem ordinantis in Deum: Unde habitua-*

*habitualiter referre in Deum non cadit ſub præcepto, ſed virtualiter referre in Deum cadit ſub præcepto charitatis, cùm hoc nihil aliud ſit, quam habere Deum ultimum finem.* Perperam igitur & à mente D. Thomæ longè alienum ſentiunt, quicumque docent, juxta eumdem ſatis eſſe, ſi opus de ſe ſit in Deum referibile, ut Apoſtoli præcepto ſatisfiat. Imo Vincentius Contenſon ob dictam S. Thomæ ſententiam ita concludit: *Ergo manifeſtè, imò inſulsè & craſsè mentiuntur, qui dicunt S. Thomam ejus fuiſſe ſententiæ, habitum charitatis, non actum præcipi: Nullus enim umquam Theologiæ Moralis error vel fuit, vel eſſe poteſt, qui capitaliùs S. Doctori adverſetur.*

Objiciet quiſpiam, quomodò ergo S. Doctor 1. 2. q. 88. a. 1. cùm in ſecundo argumento ſibi objeciſſet locum Apoſtoli 1. cor. 10. ſæpè memoratum, ita reſpondit: ad 2. *Dicendum, quòd illud præceptum Apoſtoli eſt affirmativum, unde non obligat ad ſemper, & ſic non facit contra hoc præceptum, quicumque non actu refert in gloriam Dei omne quod facit: ſufficit ergo quod aliquis habitualiter referat ſe & omnia ad Deum.* Reſp. Omiſſo variorum reſponſo, quo dicunt S. Thomam per to *habitualiter* intelligere *virtualiter*, uti illud intelligit in 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. Ubi docet intentionem habitualem miniſtri ſufficere ad Sacramenti adminiſtrationem, ubi per habitualem neceſſariò intelligunt virtualem, cùm habitualis certò non ſufficiat: aliter tamen ex ſcopo & contextu Doctoris dici poteſt, mentem ejus eſſe, non quòd velit habitualem relationem ſufficere, quod loco ante dicto expreſsè negat, ſed ſolùm quòd non peccet mortaliter, qui habitualiter ſe & omnia refert ad Deum: Agit enim ibidem de diſtinctione peccati venialis à mortali, veniali quidem, quia non tollit charitatem & relinquit hominem habitualiter ordinatum ad Deum, adeoque non eſt contra ſed præter Apoſtoli Legem: ſubdit enim: *Sufficit ergo quòd aliquis habitualiter referat ſe & omnia ad Deum, ad hoc quòd*

*quòd non ſemper mortaliter peccet, cum aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter.* Unde & addit: *Veniale autem peccatum non excludit habitualem ordinationem actûs humani in gloriam Dei, ſed ſolum actualem:* Quia non excludit charitatem, quæ habitualiter ordinat ad Deum. Porrò hanc eſſe mentem S. Doctoris optimè expreſſit ejus Diſcipulus Ambroſius Catharinus in illud 1. cor. 10. *Sive manducatis, &c.* Ubi ait: *Hoc eſt præceptum, quod ſervari debet ab omnibus & in omnibus, ut ſaltem virtualiter habeat quis in animo ſe velle in gloriam Dei facere, quæcumque facit.*

---

## SECTIO V.

*Quale ſit dictum præceptum & quale peccatum ejuſdem prævaricatio.*

436. *Præceptū illud eſt divinum naturale.*

DICENDUM primò, non tantùm eſſe præceptum divinum, per Apoſtolum nobis intimatum, ſed etiam naturale, omnes omninò obligans, etiam infideles. Probatur hoc ex D. Aug. l. 4. cont. Jul. c. 3. Ubi docet Romanos peccaſſe, eo quod homines ſine fide, opera ſua ad illum finem non retulerint, ideſt ad Deum, ad quem referre eadem debuiſſent. Idem ibidem docet, dum Juliano ſciſcitanti, num ſi infidelis nudum operiret peccaret: reſponderit, peccatum eſſe, eo quod de tali opere non in Deo gloriari, ſolus impius neget eſſe peccatum.

437. *Omnia opera infidelium nō ſunt peccata.*

Dices, inde ſequitur omnia opera infidelium eſſe peccata, quod eſt condemnatum. Reſp. Hoc inde non ſequi. Etſi enim infideles verâ fide careant, piis tamen ſubinde illuſtrationibus illuſtratur illorum intellectus, & piè afficitur eorumdem voluntas; quo fit, ut Deum imperfectè diligere ſubinde incipiant, ut de Cathecumenis docet Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. hoc facto ergo, aliqua opera in Deum referre poterunt, ad quam relationem amor ille imperfectus ſuffi-

ſufficit. Deinde, ſi juxta aliquos, omnes omninò ſemper habeant gratiam ſufficientem, quod tamen falſum eſſe demonſtrabo in materia de gratia: quare non eodem jure, dici poterit Deum aliquando infidelium mentes illuſtrare & afficere, infundendo imperfectum ſui amorem, cùm amor ſit inſpiratio dilectionis, & gratia N. T. ut ait S. Auguſt.? Denique rectè proſcripta eſt illa ſententia, cùm de ſe falſa ſit, non enim omnia opera infidelium ſunt peccata, non utique indeliberata, imo nec alia, uti mox oſtendi.

Dicendum 2. Ille, qui violat hoc præceptum, 438.
per amorem ſiſtendo ultimatè in creatura, ſic ut eamdem habeat pro fine ſimpliciter ultimo, cui adeo affigitur per amorem, ut quidvis potiùs deſereret, etiam amicitiam Dei, quam illam creaturam, mortaliter peccat. Probatur, quia eſt maxima diſordinatio creatorem contemnere ejuſque amicitiam, propter amorem creaturæ, quod talis prævaricator facit.

*Quandonam ſiſtere ultimate in creatura ſit mortale peccatum.*

Dicendum 3. Ille, qui creaturam non habet dicto modo pro fine ſimpliciter ultimo, ſed ſolummodò ejus amorem, ad amorem Dei non dirigit, peccat venialiter contra dictum præceptum. Ratio ejus eſt, quòd etſi ſit deordinatio aliqua, quòd dilectionem creaturæ ad creatoris laudem & gloriam non referat, non tamen ſemper eſt tanta, ut Deum contemnere cenſeatur, & dici debeat mortalis. Patet hoc in peccato veniali, in quo hæretur ultimatè in creatura, ubi tamen illâ inhæſione ſolùm venialiter peccatur.

Dices, deordinatio illa, quâ quis hæret in crea- 439.
turis, ſecundùm nos eſt gravis, ergo mortalis. Reſp. Nego Conſ. datur enim etiam gravis diſordinatio, quæ ſit venialis: cùm deordinatio unius venialis culpæ, ſit alia alterius major, unde unum veniale alio eſt gravius.

*Una deordinatio venialis eſt alia veniali gravior.*

Dicendum 4. ex eo quod peccet ille, qui opus 440.
aliquod ad Dei gloriam referre negligit, non ſequitur

*Peccantis actus non*

*ſemper eſt malus.* tur continuò, illud opus eſſe peccatum propriè dictum. Declaravit illud ante S. Aug. Juliano reſpondens & dicens: non quod per ſe ipſum factum, quod eſt operire nudum, peccatum ſit, utpotè ſecundùm ſe rectæ rationi conforme: ſed quod in eo opere non in Domino gloriari, ſolus impius neget eſſe peccatum. Rem habes in ſimili. Pictor quiſpiam obligatur ſuas picturas referre in Regem v. g. pingit picturam artificioſam, ſic tamen ut eam in Regem referre negligat: etſi peccet pictor eo neglecto, pictura tamen non ex eo deſinit eſſe artificioſa, nec defectus illius relationis picturam inficit. Sic voluntas noſtra, quæ amorem creaturarum ad amorem creatoris dirigere obligatur, ſi pingat, ideſt exerceat opus de ſe bonum, puta operire nudum, quod tamen in Deum referre negligit, etſi peccet voluntas defectu hujus relationis, opus tamen quod exercet, ideſt, operire nudum, non ideo malum eſt aut peccatum, nec defectus ille relationis opus illud inficit; ſed ſolam voluntatem; opus ad debitum finem referre negligentem, à qua voluntate alter denominatur peccare.

Dixi in concluſione, peccatum *propriè* dictum, quia ut ait Jacobus Marchantius minorita in ſuo tribunali tract. 1. tit. 2. q. 2. §. 4. aſſertâ jam à no-
441. bis datâ & confirmatâ ſententiâ, *Etſi ratione officii, ſive ejus quod faciendum eſt, aut quod modo fit, actus interdum quoad ſubſtantiam ſit bonus & honeſtus in genere moris: quia tamen non refertur ad finem ad quem referendus eſt* (*ſcilicèt Deum*) *ex defectu cauſæ finalis, ſive intentionis debiti finis, cenſebitur defectuoſus. Et hoc ſenſu intelligendus venit S. Auguſtinus, ſi quando dicit omnia opera infidelium eſſe mala vel eſſe peccata: per hoc enim nihil aliud ſignificat, quam opera prædicta continere defectum veri & integri boni, etſi enim multa opera infidelium ſint bona quoad ſubſtantiam actûs, ſive in genere moris præciſe: quia tamen intentione debiti finis, ad quem ordinantur, carent, ex hoc capite defectuoſa ſunt, & mala;*

*Peccatum impropriè dictum.*

*mala, ac peccata in lata ſignificatione dici poſſunt.*

Dicendum ultimò. Relatio prædicta, qua quodlibet opus referri debet in Deum ut ultimum finem, debet fieri per amorem, & quidem ſupernaturalem. Probatur primum, quia debet fieri per affectum, quo voluntas inhæreat Deo propter ſe & ut ultimo fini: hic autem affectus eſt amor aliquis amicitiæ. Quòd verò debeat eſſe amor ſupernaturalis, probatur, eo quod omnis amor Dei propter ſe, ſit ſupernaturalis; *prorſus enim Dei donum eſt diligere Deum*, ut ait alibi S. Aug. vide hoc ad longum probatum in materia de gratia. 442. *Ad relationem in Deum opus eſt amore.*

## SECTIO VI.

### *An detur actus in individuo indifferens, ideſt nec bonus nec malus moraliter.*

Dicendum primò, certum eſt dari poſſe actum moralem, qui nec ſit bonus nec malus moraliter ſecundùm ſuam ſpeciem, ut ambulare, edere & bibere, &c. Illa enim poſſunt benè & malè fieri, attendendo ad ſpeciem actuum. 443. *Datur actus in ſpecie indifferens, ſed non in individuo.*

Dicendum 2. Nullus actus deliberatus in individuo eſt indifferens. Quia ut ait D. Thom. in 1. diſt. 1. q. 3. *Secundùm Theologum, nullus actus procedens à voluntate deliberata eſt indifferens: quia ſi refertur in Deum ſuppoſitâ gratiâ meritorius eſt; ſi autem non eſt referibilis, peccatum eſt: ſi verò eſt referibilis & non referatur, vanus eſt & otioſus, otioſum autem apud Theologum inter peccata reputatur.*

Deinde, ut ait S. Leo ſerm. 5. de jejunio 7. menſis, *Duo amores ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates.... rationalis enim animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt aut mundi:. in dilectione Dei nulla eſt nimia, in dilectione autem mundi cuncta ſunt noxia.* Cùm ergo voluntas debeat eſſe amatrix mundi aut Dei, dum

dum deliberatè agit: ſequitur aut debere eſſe malam aut bonam, prout mundum diligit, aut Deum.

Unde etiam S. Aug. l. 2. de pecc. merit c. 18. *Voluntas*, ait, *mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, ut nec bona ſit nec mala. Aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt; etſi magis diligimus, magis bona; ſi minùs, minùs bona eſt: aut ſi omninò non diligimus, non bona eſt. Quis verò dubitet dicere voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? ſi ergo voluntas aut bona eſt aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, reſtat ut bonam voluntatem habeamus à Deo.*

Ratio ergo dictæ concluſionis eſt, quod actus in individuo exercitus, vel ſit rectæ rationi conformis, vel non: deinde, vel exercetur cuſtodito ordine amoris, vel non. Si ſit conformis vel exerceatur cuſtodito tali ordine, bonus erit, aliàs malus.

444. Varia contra datam Doctrinam objiciunt aliqui. *Ioan. Huſch.* Primò quidem, quod in Conc. Conſtant. ſeſ. 15. a. 6. damnata ſit hæc propoſitio Joannis Huſch, quâ dicebat, nulla opera eſſe indifferentia. Reſp. damnata illa fuit ad ſenſum ejuſdem authoris, qui volebat omnia opera juſtorum eſſe bona, omnia autem opera peccatorum eſſe peccata, ubi tamen peccatores poſſunt facere & ſæpè faciunt actus moraliter bonos.

Objiciet alius: datur actus indifferens ſecundùm ſpeciem, ergo & in individuo. Reſp. N. C. quia acceptio ſimplex mutatur in perſonalem, quod conſequentiam deſtruit.

445. Objicies 3. D. Hieronymus Epiſt. ad Aug. contra- *S. Hieron.* rium docet, dum dicit: *inter utrumque* (bonum & malum) *indifferens eſt ambulare, naribus capitis purgamenta projicere, &c. hoc nec bonum nec malum eſt. Sive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis nec injuſtitiam.* Reſp. loqui S. Hieronymum de operibus illis ſecundùm ſpeciem. Nec refert quòd addat, *ſive enim feceris, ſive non feceris;* ex quo videri poſſet eadem de ſpecificâ actione non poſſe intelligi, cùm ambulatio

ulatio in genere, &c. fieri non poſſint: quod forſan rigoroſo Philoſopho non placebit & apparebit inconveniens, cui & hæc in rigore Philoſophico eſt falſa, *Chriſtus eſt homo*. Hæc tamen & alia ſimilia nihil 446.
morati, dicimus ſpeciem actionis fieri & exerceri in *Species fit*
individuo, quando hæc individua talis ſpeciei actio *in individuo.*
ponitur. Adde, hoc à S. Patre addi, eo quòd ſimiles actiones plerumque in nobis ſint indeliberatæ, de quibus proinde nec juſtitia nec injuſtitia eſt expectāda.

Objicies ulteriùs. Appetitio commodi & fuga incommodi naturalis, non eſt mala ex objecto, neque moraliter bona, ergo. Reſp. vel illa appetitio tendit ultimatè in Deum uti debet, vel non. Si tendat, bona eſt, ſi cætera adſint ad bonitatem requiſita. Si non tendat, mala dicitur defectu relationis 447.
debitæ, juxta mox ante dicta ſect. 4. concl. 4. Quod *Creaturis*
autem appetitio illa in eum finem tendere debeat *non licet*
declarat S. Auguſtinus tract. 10. in Joannem ubi *inhærere.*
ait: *Noli hærere in via, & non pervenire ad finem. Ad quidquid aliud veneris tranſi, uſquequo pervenias ad finem. Quid eſt finis? Mihi autem adhærere Deo bonum eſt ....... ſalutem corporis quæris? Adhuc noli ibi remanere. Quæ eſt enim iſta ſalus corporis, quæ morte perimitur, quæ ægritudine debilitatur? &c. Quære illam ne impediat fortè morbida valetudo opera tua bona. Quæris honores? Fortè ad aliud agendum quæris, ut peragas aliquid, ut Deo placeas. Noli ipſum honorem amare, ne ibi remaneas. Quæris laudem? Si Dei quæris, bene facis: Si tuam quæris, malè facis: remanes in via, &c.* Deinde de omnibus perituris bonis, id ipſum edocet, dicens ſolis æternis licitum eſſe frui, ideſt, ea propter ſe diligere. Vide quæ dicentur de objecto charitatis in 2. 2.

Ex quibus omnibus manifeſtè apparet, quam neceſſaria ſit ad bonitatem moralem actûs, recta intentio, quâ in omni opere quod molimur, intendamus gloriam Dei, quod præceptum gentilis Philoſophus agnovit, dum ait: *Proponamus oportet finem*

*ſummi boni, ad quem nitamur, & quod factum noſtrum dictumque reſpiciat, veluti navigantibus ad aliquod ſidus, dirigendus eſt curſus.* Quænam autem ſit ea intentio, declarat S. Bonav. in 3. diſt. 23. a. 1. q. 1. ubi ait: *Hoc ſolum fit rectâ intentione, quod fit ad honorem & gloriam Dei: ſine verò recta intentione, nullus actus virtutis rectè incedit.* Et Adamus noſter Præmonſt. l. de trip. tab. p. 3. c. 14. num. 170. *ut actio ſit pura, requiritur, quatenus ideo agas, quidquid agis, ut ſolius interni inſpectoris oculis placeas.*

---

## SECTIO VII.

### *De bonitate actûs interni & externi.*

448. *Eſt eadem bonitas actus interni & externi.*

DICENDUM primò, tota moralitas & libertas communicatur actui externo ab interno: ex quo conſequitur, quòd non ſit diverſa moralis bonitas actûs externi & interni. Dico *moralis*, quia Phyſica bonitas eſt diverſa, quam hic non attendimus. Hinc ſequitur, quòd quando præcipiuntur, aut vetantur, actus externi aliquâ lege, non vetari aut juberi actum externum præcisè ſecundùm ſe & ab interno ſejunctum, ſed ut illi connexum, & ab eo profluentem. Rurſum dum eumdem vetat, idem dicit ac ſi diceret, *Nolo hunc actum fieri ab homine ratione utente.*

Dicendum 2. Si ſit actus internus efficax, nullam bonitatem illi ſuperaddi ex poſitione actûs externi, quem internus reſpicit. Probatur ex dictis, quia totam bonitatem habet externus ab interno. Hinc do-

449. *Actus interno efficaci non addit bonitatem actus externus ſubſequens*

cet Aug. Epiſt. 49. l. 1. de lib. arb. c. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur facturum eſſe, non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Idem docet Apoſtolus 2. ad Cor. 8. de bonitate actûs, dum ait: *Si voluntas prompta eſt, ſecundùm id quod habet accepta eſt, non ſe-*

*cundùm*

*tundùm id, quod non habet*: Ideſt, quòd ſi voluntas prompta ſit, ideſt, efficax ad aliquid dandum, quod non habet, ſed ſi haberet, dediſſet: quòd æque Deo gratum ſit, ac ſi reverâ dediſſet. Hinc communia dicta SS. Patribus Bernardo, Gregorio & Auguſtino, Deum non tam penſare quantum detur, ſed ex quo (affectu) aliquid detur: voluntatem reputari pro effectu, ubi effectum excludit neceſſitas, &c.

Hinc etiam tantum habebit martyr efficaci voluntate, quam opere, excepto dono accidentali, quod diximus alibi aureolam: qua ratione cantat de S. Martino Eccleſia. *O Beata anima, quam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrii non amiſit.* Idem dicitur de Joanne Evangeliſta & aliis.

Varia tamen circa prædicta ſunt notanda. 1. quidem me conſultò in concluſione addidiſſe *efficacem voluntatem*: Si enim ſit ſolùm voluntas in efficax, certum eſt, bonitatis plurimùm ex opere externo ſecuto acceſſurum. Eà propter ille qui habet voluntatem convertendi mille homines v. g. vel etiam mille pauperes alendi, non eſt tantæ bonitatis ac ſi tot homines convertiſſet, aut educaſſet, eo quòd voluntas illa unica, non cenſeatur efficax, in ordine ad dictum effectum. Unde per voluntatem efficacem intelligo illam, ex qua natus eſſet ſequi talis effectus externus, quem reſpicit. 450. *Quid voluntas efficax.*

Neque etiam ex dictis ſequitur, illum qui vellet tantum ſatisfacere, quantum deberet ſatisfacere in purgatorio, habere tantam ſatisfactionis vim, ac ſi ipſo facto ſatisfeciſſet, eo quòd concluſio ſolùm intelligenda ſit de bonitate morali formali ſive morali ut tali, qua aliquis cenſetur laude vel vituperio dignus, non item quâ quis ſatisfacit, ad quam plurimùm confert pœna externa.

Dicendum 3. Etſi per ſe nihil bonitatis moralis actui interno ſupperaddat actus externus, uti probatum eſt, per accidens tamen plurimùm conferre poteſt, 451. *Addit tamen per accidens.*

teſt, quatenus actus internus ex poſitione actûs externi, fit magis intenſus, ex majori autem intenſione actûs boni, bonitas actûs intenditur.

Deinde quatenus occaſione actûs externi, actus internus ſæpiùs renovatur, & diutiùs continuatur, qua ratione bonitatem actûs interni augeri certum eſt. Hac ratione, non tantùm actus internus ſed & externus ſecutus, exprimi debet in confeſſione, ut ſpiritualis judex competenter judicet, tum etiam, quòd externo peccato cenſura aliqua aut aliud onus aliquando annexum ſit, quod actui interno non annectitur, puta reſtitutionis, reſervationis, &c.

Dicendum ultimò, actui morali plurimùm bonitatis, uti & malitiæ accedere poſſe ex circumſtantiis, quæ actum circumſtant: de quibus agendum eſt in materia Confeſſionis.

---

## SECTIO VIII.

### *Quænam requirantur ad malitiam actûs humani, ſive peccati.*

452. *Ad malitiã actus non requiritur actualis reflexio ad malitiã.* Dicendum 1. Ad malitiam actûs humani non requiri reflexionem aut dubitationem actualem ad malitiam actûs. Probatur, quia abſque cogitatione aut dubitatione de malitia, poſſumus cenſeri velle actùm & malitiam ejus, puta quia ſufficienter ſcire potuimus & debuimus malitiam illi actui eſſe annexam, ſi à nobis factum fuiſſet, quod fuerat in noſtra poteſtate, conſulendo v. g. alios doctiores qui ad manum ſunt, reflectendo ad alias regulas actionum humanarum, &c. Sufficit enim quòd interpretativè velit actum malum, ſive actum cui ſcit, aut ſcire poteſt & debet, annexam eſſe malitiam. Aliàs enim impii, cùm in profundum venerint, quibus plerumque nulla de actûs malitia ingeritur dubitatio aut cognitio, dum legem contemnunt, ab immaniſſimis pecca-

peccatis eſſent excuſandi. Deinde ecquid certius, in ſana Theologia, quam dari peccatum ex ignorantia? Ceſſent ergo Lovanienſem æquè ac Pariſienſem Academiam quidam accuſare imperitiæ aut ignorantiæ cenſurando has propoſitiones: priorem quidem hanc ſequentem: *Ut actio quæpiam ſit peccaminoſa, oportet ut procedat, ab homine qui cognoſcit, & percipit, quid boni malive in ea ſit, & antequam id videat aut animum reflectat, actio neque bona eſt, neque mala.* Cui hanc inflixit cenſuram, quòd ſit *Contra communia Theologiæ Chriſtianæ principia, & innumera etiam immaniſſima hominum peccata excuſet cum pernicie animarum.*

Poſteriorem verò hanc P. Baunii: *Numquam peccatur niſi prævià peccati cognitione animus illuſtretur, ejuſque vitandi deſiderio extimuletur.* Quæ ut falſa & admodum apta cenſuratur, ad excuſandas excuſationes in peccatis.

Dicendum 2. Quòd in conſideratio prædicta ad malitiam actûs, ſæpe à formali peccato excuſet, tunc ſcilicèt, ſi ne quidem moraliter loquendo illa inconſideratio alicui fuerit voluntaria, puta ſi nec eamdem malitiam cognoſcere potuerit, ſi ad eamdem recognoſcendam ſufficientem diligentiam adhibuerit, &c. Aut non debuerit. 453. *Inconſideratio malitiæ quãdonam excuſet.*

Dicendum 3. Peccatum juxta communem ejus deſcriptionem eſſe, *dictum factum vel concupitum contra legem æternam.* Sub dicto, & facto, comprehende quoque omiſſionem facti & dicti, quia negatio & affirmatio reducuntur ad idem genus, ut ait D. Thom. definitur autem peccatum in ordine ad legem æternam, magis quam alias leges poſitivas, ut pateat, peccatum debere potiſſimùm conſiderari, ut eſt offenſa Dei, & à lege æterna omnis alia lex derivetur & dependeat. 453. *Quid ſit peccatum.*

*Dicto, facto, &c.* Adde quoque *voluntarium dictum vel factum*, nam ut ait S. Aug. l. de vera Relig. c. 14. *Uſque adeo peccatum eſt voluntarium malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*, voluntarium inquam, ſaltem in cauſa. O 3 Di-

455. Dicendum 4. Omnis humana perverſio eſt utendis frui, & fruendis uti. Ex quo patet, quòd peccatum omne ſit amor inordinatus, prout virtus eſt amor ordinatus. Quænam autem res ſint quibus frui debemus ante diximus ex S. Aug. eſſe ſolas æternas.

*Omne peccatum eſt utendis frui, & uti fruendis.*

456. Dicendum 5. etſi ſatis fundata ſit ſententia Greg. Ariminenſis, quæ nihil penitus poſitivi in peccato agnoſcit, cui favet S. Aug. l. 12. de civit. c. 7. dicens non eſſe quærendam *Cauſam efficientem malæ voluntatis, non enim eſt efficiens ſed deficiens; cauſas verò defectionum iſtarum velle invenire tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras*, &c. Tamen verior ſententia diſtinguit inter materiale & formale actûs peccaminoſi. Materiale verò nihil eſt aliud, niſi actus peccati ſecundùm ſuam ſubſtantiam; formale eſt defectus aut deviatio à recta regula. Juxta primum ergo, peccatum aliquid eſt, etſi non ſecundùm poſterius, quia defectio illa, nihil eſt, uti omnis omninò negatio.

*Peccatum poteſt dici nihil.*

Dicendum 6. etiam peccatum veniale eſſe contra legem & contra rationem, etſi non ſit contra finem legis ideſt charitatem, ſed tantùm contra fervorem charitatis.

457. Dicendum 7. peccatum eſſe contra hominis naturam, quæ hoc ipſo quo ad imaginem Dei facta eſt, exigit ut factori ſuo aſſimiletur in agendo, ideſt conformiter ad regulam æternam. Quòd ergo in malum naturâ proni ſimus, non eſt ex inſtitutione ſed corruptione naturæ humanæ. Dicimur quoque ab Apoſtolo Eph. 2. *Natura Filii iræ*, Sed per hoc nihil aliud vult Apoſtolus, niſi nos à nativitate eſſe, aut naſci filios iræ, per peccatum originale.

*Peccatum eſt contra naturam.*

SECTIO

## SECTIO IX.

*Variæ diviſiones peccatorum.*

Peccatum primò, dividitur in actuale & habituale. Actuale jam ante deſcripſimus. Habituale, eſt habitualis inordinatio moraliter perſeverans in anima hominis poſt peccatum commiſſum. 458. *Quid peccatum habituale, quid veniale, mortale, &c.*

2. Dividitur peccatum actuale, in peccatum veniale & mortale. Veniale dicitur, propter inordinationem actûs non adeo gravem, quin mereatur veniam. Mortale autem dicitur, quod ob ſuam gravitatem mortem animæ adferat: De quo intelligitur illud Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit, ipſa morieur.* 459. Porrò ſita eſt hæc gravis inordinatio in eo, quòd Deum ejuſque amicitiam homo peccando contemnat, idque vel formaliter diligendo gloriam hominum magis, quam gloriam Dei: Aut aliquando interpretativè, dum judicatur moraliter loquendo, hominem vilipendere & contemnere Dei amicitiam, etſi id formaliter non faciat. Peccatum veniale ab Aug. Enchr. c. 64. *Peccatum* dicitur, mortale autem dicitur *Crimen*, quâ ratione docet, juſtum vivere poſſe ſine *Crimine*, non item ſine *Peccato*. *In quo ſita ſit gravitas peccati mortalis.*

Dicendum 1. hanc diviſionem ipſa rei natura conſtituit, non ſola Dei miſerentis voluntas. Contrarium docent Lutherani & Calviniſtæ dum volunt, quodlibet peccatum eſſe mortale, aliquando tamen non adferre mortem animæ, eo quòd Deus in prædeſtinatis ſuis talem effectum producere nolit. Accedit & Gerſon. 3. p. Theol. Tract. de vit. ſp. lect. 1. dum docet omne peccatum continere malitiam infinitam, eo quòd per illud offendatur perſona infinita, Deum tamen juſta miſeratione aliquando id punire infra condignum. 460. *Diviſio mortalis & venialis oritur ex vi naturæ.*

Aliqua tamen peccata eſſe talia conſtat, quæ ſine

 reſpe-

reſpectu ad miſericordiam Dei, naturâ ſuâ à mortali diſtinguuntur & merentur veniam, uti declarat Salvator Matth. 5. dum tres gradus peccatorum conſtituit, quibus 3. reatus correſpondeant: Convitio ſcilicèt gehenna ignis; iræ, concilium ſi ſit compreſſa: Si verò nullo externo ſigno foras iracundia erumpat, judicium dicit eidem correſpondere. Deinde alibi aliqua peccata aſſimilat ſtipulæ, fœno, paleæ, &c. quæ ſicut facilè abſumi poſſunt, ita quoque illa peccata, quæ ejuſmodi aſſimilantur. Inſuper cùm ſepties in die cadat Juſtus, & cadendo juſtus maneat, ſequitur quoque admittendum eſſe aliquod peccatum, quod amicitiam Dei non diſſolvat. Denique ſubſequens ſententia damnata eſt a. 2. Pontificibus, *Nullum eſt peccatum, naturâ ſuâ veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Objicies 1. Omnis qui peccat fruitur utendis, dum inordinato amore inhæret bono commutabili, amorem illius ad amorem Creatoris non referens: atqui utendis frui juxta D. Aug. eſt humana perverſitas, adeoque & peccatum mortale, ergo omne peccatum erit mortale. Reſp. nullibi docet S. Aug. omnem amorem inordinatum, ſive quo homo inhæret ultimatè in creatura eſſe mortaliter malum, ſed quando illi inhæret ut fini ſimpliciter ultimo, amorem illius amori Creatoris anteponendo: hoc autem frui non ſemper importat, ſed ſolùm inhærere alicui rei per amorem propter ſe ipſam, quòd fit etiam in peccato venali, in quo hæret homo ultimatè in creatura, etſi eamdem non habeat pro fine ſimpliciter ultimo. Deinde dicitur quoque peccatum veniale *Humana perverſitas*, ſicut & dicitur *malum, culpa*, &c. Non tamen unta, ut mortem animæ cauſet & adferat.

Objicies 2. Quævis pœna etiam æterna, eſt malum longè minus, quam ſit peccatum venale, adeò ut quidvis potiùs ſuſtinendum ſit quam venialiter delinquere, ergo omne peccatum de ſe mereur pœnam æternam. Reſp. pœna æterna in ratione pœnæ major

jor eſt, quam juſtè infligi poſſet peccato veniali. Deinde peccatum veniale dicitur malum majus, quam quævis pœna, etiam æterna, eo quòd malum contra legem Dei minimum, ſit majus quovis malo contra naturæ commoditatem, adeoque ſit reſpectus in diverſo mali ordine.

Objicies 3. Quòd culpa remittatur in peccato veniali eſt ex Dei miſericordia, ſed non remiſsâ culpâ non remittitur pœna, ergo quòd peccatum veniale non puniatur pœnâ æternâ, oritur ex Dei miſericordia. Reſp. rigorosè loquendo oritur ex miſericordia Dei, quòd culpa & pœna remittantur in peccato veniali, cùm omnis remiſſio ab illa dependeat. Sic tamen ex ea oritur, ut ſit ſimul juſtitiæ & bonitati debita, & ex natura rei requiſita, quatenus in homine juſto remanet principium quod meretur veniam, puta gratia & amicitia cum Deo, quâ ratione jus amicitiæ exigit, ut ſatisfacienti alteri facilè condonet, in re levi & veniali delinquenti.

Objicies 4. Quæcumque Deus ſub veniali prohibuit, potuiſſet prohibere ſub mortali: Reſp. potuiſſet illa nobis ſub mortali prohibere, ideſt liberè hoc facere, ſic verum eſt, quod objicitur: non potuit tamen Deus rem levioris momenti prohibere ſub mortali, ſicut non poteſt excedere limites ſuæ juſtitiæ: exigit enim ſumma Dei bonitas & juſtitia, ut rem aliquam prout poſtulat ejuſdem gravitas aut levitas, ſub gravi vel levi reatu culpæ aut pœnæ reſpectivè prohibeat, cùm in Deo omnia ſint ordinatiſſima, & vel minimum in eo inconveniens, inferat impoſſibilitatem.

Dicendum 2. Uſu loquendi Sanctis Patribus ſatis uſitato, dicitur nullum peccatum eſſe leve, uti etiam mortale aliquando eſſe veniale. Priori loquendi modo innuunt, nihil eſſe leve, quaſi eo titulo debeat parvi pendi, cùm peccatum veniale gravi ſatis pœnâ purgatorii plectatur; pro illo Chriſtus mortuus ſit, charitatis fervorem minuat, &c. Poſteriori autem modo,

461. *Peccatum mortale dicitur aliquando veniale.* modo, ſignificant Sancti Patres mortale eſſe aliquando veniale ab eventu, quòd ſcilicèt venia ſecuta ſit: vel etiam quòd ſit veniale, ideſt ſaltem per pœnitentiam diluendum, prout graviſſima ſcelera poſſunt dici venialia.

---

## SECTIO X.

### *Regulæ ad dignoſcendum an aliquid ſit peccatum mortale an veniale.*

462. *Difficile eſt judicare quanam donam aliquid ſit præciſe veniale aut mortale.* Dicendum primò, Etſi Fide tenendum ſit, aliqua peccata eſſe venialia, alia mortalia, difficilimum tamen eſt invenire, & periculoſum definire, quodnam ſit peccatum mortale, quodnam veniale: intantum, ut S. Auguſt. jam ætatis maximè provectæ qualis fuit, dum ſcripſit l. de civit. ibidem l. 21. c. ult. *Dicat: Ego certè uſque ad hoc tempus, cum inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.* Et ut l. de natura boni contra Manich. c. 30. & 8. dicit: *Quanta unicuique culpæ pœna debeatur, divini eſt judicii non humani.* Et Enchrid. c. 78. concludit. *Quæ ſint autem levia, & quæ gravia peccata, non humano ſed divino ſunt penſanda judicio.*

Dicendum 2. Ad dignoſcendum tamen quænam peccata, ſint mortalia, quænam venialia, ſolent tradi à Theologis ſequentes regulæ, à ſpirituali dire-
463. *1. Regula.* ctore in foro conſcientiæ obſervandæ. Prima eſt: illud colligi poteſt ex modo loquendi SS. Patrum, ut notat quoque S. Aug. dicto Enchridii loco: ſi enim dicant aliquod peccatum eſſe dignum morte; qui talia agunt, regnum Dei non poſſeſſuros, &c. Rectè colligi poteſt peccatum illud eſſe mortale ex ſuo ganere. Huic accedit traditio Eccleſiæ & unanimis Doctorum conſenſus, de gravitate alicujus peccati, judicantium.

464. *2. Regula.* Secunda regula eſt, prudens conſideratio de bonitate

tate & malitia actûs, earumque gravitate, quæ penſari poſſet ex gravi diſordinatione ad legem æternam, ex gravitate injuriæ proximo vel ſibi illatæ, ex gravitate damni ſecuti, &c.

Dicendum 3. Peccatum ex ſuo genere mortale poteſt fieri veniale, primò ratione parvitatis materiæ, ſi materia ſit tam parva, ut inordinationem non adeo magnam cauſet actus circa talem materiam exercitus. ſic v. g. etſi furtum de ſe & ex ſuo genere ſit mortale, ſi tamen ſit materia parva v. g. aſſis quem fur furatur, erit veniale propter parvitatem materiæ. Notandum tamen non in omnibus peccatis hoc uſuvenire, tunc ſcilicèt quando tota diſordinatio peccati mortalis ex ſuo genere, etiam judicatur ineſſe omni actui talis peccati, etiam verſanti circa minimam materiam: uti docent de blaſphemia, infidelitate, &c. De quibus ſuo loco agendum eſt. 465 *Mortale fit Veniale ratione parvitatu materia.*

2. Peccatum ex genere ſuo mortale fit aliquando veniale, propter imperfectionem actûs, ideſt, quòd non plenâ deliberatione actus ille fiat, fiat tamen aliqua deliberatione ſufficienti ad culpam. Si enim adſit plena deliberatio aut ſufficiens ad materiam gravem peccati mortalis, erit quoque peccatum mortale ſi materia ſit gravis. Si verò in illam materiam quis moveatur vel ex ſuggeſtione dæmonis, vel concupiſcentiæ ductu, in tantum ut motus illi omnem omninò deliberationem præveniant, qui dici ſolent, *motus primo primi*, defectu voluntarii, quod deliberationem aliquam eſſentialiter reſpicit, non erunt peccata formalia. Si denique ſit aliqualis advertentia, non tamen ſufficiens, ut malitiam mortalem cognoſcat aut cognoſcere poſſit & debeat, poteſt actus ille, etſi ex genere ſuo ſit mortalis, fieri venialis, ob imperfectionem actûs, & motus illi ita eliciti aut imperati, ſolent vocari ab aliquibus, *ſecundo primi* quales reperiri ſæpe poſſunt in ſemidormientibus, & vigilantibus, ſed paſſione aliquâ turbatis & commotis, aut aliis rebus intentis, &c. 466. *Ratione imperfectionu actûs.*

Dicen-

467. *Venale ſit mortale ex variis capite.* Dicendum 4. Peccatum veniale ex ſuô genere poteſt fieri mortale, primò ratione conſcientiæ erroneæ, qua putans aliquid eſſe mortale, illud liberè exercet de qua re vide ſequentia de conſcientia erronea. 2. Ratione ſcandali gravis, quod ex actu ſuo veniali ſecuturum prævidere quis poteſt & debet. 3. Ratione formalis contemptûs legiſlatoris: quandonam autem ille ſit, dicam in materia de legibus ſectione 9. 4. Ratione finis ultimi, qui in veniali peccato conſtituitur; quod tunc fit, quòd ita erga actum venialem, quis ſit affectus, ut ex ejus amore paratus eſſet Deum ejuſque amicitiam relinquere; ſive ſi alterutrum fieri deberet, vel ab actu illo abſtinere, aut amicitiam Dei deſerere, potius actum illum vellet ponere, etiam cum diſſolutione amicitiæ divinæ, quam eumdem omittere, in quo contemnitur divina amicitia & peccatur mortaliter. 5. Ratione ordinationis ad finem mortaliter malum, v. g. ſi quis actum venialiter malum ordinet ad peccatum mortale, verbum otioſum ad alterum inducendum ad fornicationem, furtum, &c. à quo fine, malitiam habet actus, qui ut medium ad eumdem aſſumitur. 6. Ratione periculi proximi peccati mortalis, cui ſe venialiter peccans illo peccato exponit: qui enim amat periculum peribit in illo, & qui vult voluntariè cauſam, vult & effectum, qui ex tali cauſa profluit.

---

## SECTIO XI.

### *Aliæ quæſtiones circa Peccata venialia.*

468. *Multa venialia non conſtituunt unum mortale.* DICENDUM I. peccata venialia, quantumcumque coagmentata non poſſunt conſtituere peccatum mortale, etſi ad illud poſſint diſponere. Probatur prius, quia ſunt diverſi generis & ordinis peccatum veniale & mortale, quare venialia non poſſunt fieri mortale, non magis, quam multa entia natu-

naturalia, poſſint fieri unum ſupernaturale. Deinde expreſsè ſtatuit Tridentina Synodus ſeſ. 14. c. 5. non poſſe dici, nos per peccata venialia excludi poſſe à gratiâ ſanctificante, quod in contrariâ ſententiâ dici poſſet.

Dices, qui pluribus minutis furtis accepit ſummam notabilem, mortaliter peccat, ſi ad notabilem quantitatem veniat, atqui minuta furta, ſunt tantùm venialia, ergo. Reſp. Verum eſſe quod objicitur, non quaſi ex omnibus furtis minutis præcedentibus, & ſubſequenti quod pertingit ad ſummam notabilem, conſletur unum mortale: ſed quòd ultimum illud furtum, etſi quoque de ſe ſit parvum, tamen ut moraliter cenſetur ferri in materiam, quæ aliis materiis unita cenſetur gravis, ſit peccatum mortale, nullo modo ut de veniali fiat mortale.

469. *Veniale diſponit ad mortale.* Probatur poſterius: *Quia qui ſpernit modica paulatim decidet*, ait Eccleſ. c. 19. quo fit, ut voluntas aſſueta ſe ſubducere à recto ordine & regula in exiguis, facilè ſeſe ſubducat in gravioribus. Nam ut ait S. Greg. l. 10. mor. c. 14. *Si curare parva negligimus, inſenſibiliter ſeducti, audacter etiam majora perpetramus*, uti experientiâ conſtat. Deinde venialia multiplicata, cauſa ſunt ſubſtractionis gratiarum actualium, quæ ſi aliquando adfuiſſent, homo in mortale non cecidiſſet.

470. *Qui poteſt peccare venialiter, poteſt & mortaliter.* Dicendum 2. Qui attento rationis ſtatu poteſt peccare venialiter poteſt & peccare mortaliter. Probatur, quia ut quiſpiam peccare poſſit, requiritur, ut poſſit judicare quid ſit honeſtum, quid turpe. Atqui qui poteſt judicare officioſum mendacium v. g. eſſe turpe, multò magis id judicare poteſt de peccato graviori v. g. homicidio. Ex iiſdem enim principiis, ex quibus id judicare poteſt de leviori, poterit & de graviori, v. g. quia ſcit Deum non eſſe offendendum, alteri non eſſe faciendum, quod nobis fieri nolumus, &c.

Dices, poteſt dari actus venialiter malus ob imperfectionem intellectûs, ſed poteſt homo eſſe in tali ſtatu

ſtatu rationis, in quo habet ſufficientem rationis uſum ad peccandum venialiter, etſi non ad peccandum mortaliter, non enim tota rationis perfectio ſimul advenit, ſed ſenſim. Reſp. Verum eſt, quod prætendit objectio, ſcilicèt rationis uſum non ſimul advenire, ſed mentem illuſtrari ut cœlum ſole, ideſt ſenſim & ſucceſſivè. Inde tamen non ſequitur quod vult objectio, quandoquidem ut quis peccet ſive mortaliter ſive venialiter, requiritur, ut homo ſit in poteſtate perfectè utendi ratione, etſi per accidens actualiter eâ perfectè non utatur, quâ ratione dicitur poſſe dari actum venialiter malum propter imperfectionem actûs. Hinc dum ille ſupponitur in ſtatu, quo poſſit venialiter peccare, ſupponitur quoque in illo ſtatu, in quo poteſt perfectè uti ratione, adeoque & mortaliter peccare.

471. *Vſus rationis ſenſim advenit.*

Dices ſi poſſit perfectè uti ratione, quando ob actûs imperfectionem venialiter peccat, non excuſabitur à culpa, quam ob defectum perfectionis actûs non incurrit. Reſp. Etſi Phyſicè poſſit, moraliter tamen pro tunc cenſetur non poſſe perfectè uti, quando venialiter peccat, putà quòd aliis intendat, & ſingulis ſimul intendere non poſſit, etſi poſſit ſingulis ſeorſim, qua ratione cenſetur imperfectio conſiderationis alicui non eſſe voluntaria, neque imputari in culpam.

472. *Poteſt veniale eſſe cum ſolo originali.*

Dicendum 3. Veniale peccatum ſociari poteſt cum ſolo originali. Probatur, quia adveniente ſtatu quo homo uti ratione incipit, poteſt hærere per amorem in creatura, ſic tamen ut in eadem non conſtituat finem ſuum ultimum ſimpliciter, ſed ſolùm ejus amorem ad amorem Dei referre negligat: Deinde poterit ob imperfectionem actûs in eo ſtatu peccare venialiter, & de cætero nihil obſtat contrarii.

Dices cum D. Thoma, homo cum ad uſum rationis venit, tenetur deliberare de ſe ipſo, adeoque ſi ſe ad debitum finem ordinaverit per gratiam, acquiret veniam peccati originalis. Si verò ſe ordinaverit ad illum, peccabit mortaliter. Reſp. certum eſt

in primis, quòd actum amoris Dei ſuper omnia quo ad Deum convertimur varia ſoleant præcedere, puta timor, Spes, Fides, &c. Uti docet Conc. Trid- Seſ. 6. c. 6. quo caſu poſſet homo in exercitio illorum actuum præcedentium actum amoris Dei ſuper omnia, venialiter peccare. Si verò ſumatur inſtans primum pro primo non rigoroſe ſumpto, ſed tantùm moraliter, adeo ut ſuam habeat latitudinem, intra quam plenum converſionis negotium abſolvitur: eo ſenſu ſumendo utrumque inſtans, tam converſionis, quam quo poſſit homo in eo ſenſu peccare, dicendum puto, cum D. Thoma hominem ſub mortali ſe tenere ordinare cùm ad uſum rationis venerit, per amorem Dei ſuper omnia ad ipſum Deum, adeoque primum plenæ deliberationis peccatum eſſe mortale. Obligationem hanc vide aſſertam, de obligatione præcepti charitatis Dei ſuper omnia.

## SECTIO XII.

### *Aliæ peccati actualis diviſiones.*

Dico primò peccatum ulteriùs dividitur in Carnale & ſpirituale: *Carnale* eſt, quod pro objecto habet aliquam delectationem carnalem, & in carne potiſſimùm perficitur, ut gula, & luxuria. Aliàs carnale peccatum famosè dicitur eſſe peccatum carnis, ſive luxuriæ, vel etiam generaliùs omne peccatum, quod ex corruptione carnis proficiſcitur. *Spirituale* peccatum eſt, quod pro objecto ſuo non habet aliquam delectationem carnalem, nec potiſſimùm in carne exercetur, ut ſuperbia, invidia, &c. 473. *Peccatum carnale & ſpirituale*

Dicendum 2. Dividitur peccatum in peccatum cordis, oris & operis, prout peccatum aliquod vel ore vel opere externo, vel corde ex natura ſua perfici requirit: etſi omne peccatum oris vel operis, ſit quo- 474. *Peccatum cordis, oris & operis.*

que

que cordis peccatum, cùm debeat omne peccatum eſſe voluntarium.

375. *Peccatum in Deum & proximum.* Dicendum 3. Dividitur peccatum in peccatum in proximum, Deum, & ſeipſum, prout contrariatur virtuti alicui, quæ de ſe vel Deum vel proximum vel peccantem reſpicit. Sic Religio, virtutes Theologicæ Deum ex ſe reſpiciunt, juſtitia proximum, temperantia, ſobrietas, &c. Ipſum operantem. Prout ergo aliquis hiſce virtutibus peccando contravenit, ſic peccat vel peccato in Deum, vel in proximum, vel ſeipſum. Etſi enim omnia peccata ſint contra Dei voluntatem, & contra ejus legem, ſpecialiter tamen quædam dici ſolent contra Deum, & contra proximum, modo jam dicto.

476. *Peccatum ex ignorantia & malitia.* Dicendum 4. Dicitur quoque aliud peccatum ex ignorantia, aliud ex malitia: ex malitia dicitur, quod nullâ paſſione aut ignorantiâ, ſed merâ ſuâ voluntate homo committit, quale fuit peccatum Adæ. Ex ignorantiâ, & infirmitate dicitur, quod homo ex ignorantiâ prævia, aut paſſione excitatus committit, quâ ratione eſt etiam peccatum aliquod veniâ magis dignum.

477. *Peccata capitalia.* Dicendum 5. Alia ſunt peccata capitalia, ex quibus tamquam ex capitibus ſeu radicibus alia peccata profluunt, qualia ſunt, Superbia, Gula, Avaritia, Luxuria, Ira, Acedia, Invidia. Alia ſunt etiam peccata aliena, ideſt, quæ etſi ab alio fiant, nobis tamen imputantur, eo quòd nobis ut cauſæ morali eorumdem culpa adſcribi poſſit, ut dum peccatis coöperamur aut conſentimus: non enim ſolùm peccata agentes, ſed & peccatis conſentientes digni ſunt vituperio, & aliquando morte.

478. *Peccata omiſſionis ac commiſſionis* Dicendum 6. Alia ſunt peccata commiſſionis, alia omiſſionis. Omne etenim peccatum eſt contra legem, quæ vel eſt affirmativa vel negativa: ſi ſit contra negativam vetantem aliquem actum, dicitur commiſſionis, committendo id quod prohibetur: ſi ſit contra legem affirmativam jubentem actum aliquem, erit pec-

peccatum omiſſionis, omittendo id quod præcipitur. Quomodo autem omiſſionis peccatum poſſit eſſe ſine omni actu, dixi agendo de voluntario.

Dicendum 7. opus quo quis occupatur, quando omittit adimplere legem affirmativam aliquid præcipientem, ſic ut opus illud ſit cauſa omiſſionis, eſt peccatum. Ratio eſt clara, cùm opus illud ſit peccati cauſa libera vel liberè poſita, ex qua prævidetur aut prævideri poteſt & debet, ſecuturum eſſe peccatum omiſſionis. Intellige de cauſa omiſſionis culpabilis: etſi enim quis aſſiſtens v. g. ægro moribundo omittat tali aſſiſtentiâ auditionem Sacri, non ideo talis aſſiſtentiâ eſt peccatum, eo quòd omiſſio Sacri tali caſu non ſit culpabilis. Quando enim duo præcepta ſimul concurrunt, quæ ſimul obſervari non poſſunt, uti hîc fit, unum de aſſiſtendo ægro, aliud audiendi Sacrum, ſervari debet quod arctiùs ſtringit, quale hîc eſt præceptum aſſiſtendi ægroto; quare omiſſio Sacri propter aſſiſtentiam ægri, non eſt culpabilis. Hinc ſi foret actus ille, qui eſt cauſa omiſſionis, ſub præcepto, ſed tamen minùs urgente, quàm quo præcipitur actus qui omittitur, actus ille eſſet peccatum, eo quòd eſſet cauſa omiſſionis culpabilis: Idem dic, ſi actus ille, qui eſt cauſa omiſſionis, non ſit præceptus, ſed de ſe indifferens. 479. *An opus quo quis occupatur dum legē violat, ſit peccatum.*

Dicendum 8. actus ille ut ſit peccatum, debet eſſe cauſa omiſſionis; ideſt aliquo modo influere debet in illam omiſſionem: v.g. intentio omitendi Sacrum, & ſtudium externum ratione vel amore cujus alter omittit Sacrum, eſt talis cauſa, quia in omiſſionem ſuo modo influunt eamque cauſant. Ulteriùs, poſitâ intentione abſolutâ omittendi aliquid, quod eſt præceptum, & interea varia agendo, v.g. poſitâ intentione, non audiendi Sacrum, interea ſtudendo, ambulando, comedendo, &c. Secundùm aliquos peccat illis actionibus, quæ ſunt incompatibiles cum obſervantia præcepti; non tantùm intentione prævia: Ratio illorum eſt, quòd actiones illæ ſint

veræ cauſæ omiſſionis culpabilis. Neque refert, quòd quis antea firmiter ſtatuerit non audire Sacrum, quia ex inde tantùm ſequitur, quòd poſſint eſſe duæ cauſæ talis omiſſionis, puta intentionem, & actus incompatibiles ſubſequentes. V. g. ſi firmiter ſtatuiſſem non legere horas, & poſt illam intentionem projicerem breviarium in mare, non tantùm peccarem illud intendendo, ſed & poſtea ponendo actum incompatibilem cum lectione horarum præceptâ. Deinde aliàs non peccarem uxorem ducendo voto caſtitatis conſtrictus, ſi hoc antea firmiter intendiſſem.

Veriùs tamen diſtinguendum eſt. Vel enim opus illud eſt cauſa finalis talis omiſſionis, v. g. omitto Sacrum propter ſtudium, venationem, &c. Vel tantùm eſt formalis ratio talis omiſſionis, nullo modo cauſans aut influens in illam omiſſionem. Si ſit cauſa finalis, erit opus illud diſtinctum ſpecie peccatum à peccato omiſſionis. V. g. dum quis amore ſtudii ex curioſitate facti aut avaritia, omittit audire Sacrum, ſtudendo peccat, & quidem alio peccato à peccato omiſſionis audiendi Sacrum diverſo vel peccato curioſitatis, vel avaritiæ, imò magis dicendus eſt avarus aut curioſus, quam irreligioſus, uti dicitur, quod ſit magis mæchus, quam fur, qui furatur, ut adulteretur.

Si verò non ſit cauſa finalis talis omiſſionis, ſed ſolùm formalis, adeo ut opus ſit tantùm objectum, & externus actus intentionis internæ, non peccat novo peccato opus illud exercendo, ſed uno & eodem completo peccato, ſicuti eadem eſt moralitas completa actûs interni & externi. Ex quo patet reſponſio ad incommoda prætenſa de clerico; peccat enim completè eodem peccato, dum ducit uxorem, dum projicit breviarium in mare, quo peccavit antea efficaciter illa intendendo, niſi longo tempore poſt illa exequatur: tunc enim novo peccato peccare poterit, ratione novæ voluntatis illa

omit-

omittendi vel faciendi. Tales enim actus cum tali intentione cenſentur ſimul influere in illam omiſſionem, dando cauſalitatem & influxum moralem in illam.

Hinc deduco, ſi opus illud ſit cauſa finalis omiſſionis culpabilis, debere exprimi in confeſſione, non tantùm ſi opus ſecundùm ſe ſit malum, ſed etiam ſi ſit de ſe indifferens, uti eſt comedere, ſtudere, &c. ut volunt alii, ad diſtinctionem datam non attendentes. Imò hoc addo, maximè neceſſarium eſſe illud in Confeſſione exponere, ut muneri ſuo Confeſſarius opportuniùs ſatisfaciat. Dum enim agnoſcit malæ voluntatis finalem cauſam, rectiùs illi mederi poterit, dum fini ut radici extirpandæ, opportunam adhibet aut præſcribere poteſt medicinam.

Dicendum 9. Peccatum omiſſionis internum incurritur, quando intenditur efficaciter ipſa omiſſio vel in ſe, vel in ſua cauſa. Peccatum verò externum omiſſionis incurri cenſetur, eo tempore quo præceptum eſt adimplendum, etſi fortè aliùs eo tempore dormiat: pro quo tempore contrahitur etiam pœna externo peccato omiſſionis poſita. Ratio eſt, quòd tunc quis peccet, quando præceptum tranſgreditur: ſed tranſgreſſio præcepti eſt ſolùm pro eo tempore, quo præceptum obligat, ergo: 480.

*Quando incurritur peccatum internum omiſſionis; quandonam externum.*

Dicendum 10. Omiſſio exterior actus præcepti deſinit aliquando eſſe peccatum, ſi quando ante illam pœnitet omittentem, retractavit intentionem efficaciter, vel quantùm eſt de ſe cauſam omiſſionis datam auferendo, quo caſu omiſſio cenſetur illi ſimpliciter involuntaria, adeoque neque culpabilis. Et quamvis eo non obſtante omiſſio illa puniatur, ſi annexa illi ſit cenſura aut pœna etiam aliquando excommunicatio, quæ ſupponit peccatum mortale propter quod infligitur nihil dictis obſtat: non enim ſolùm punitur peccatum propriè dictum, ſed etiam effectus peccati. Deinde cenſetur illa omiſſio, etſi per pœnitentiam quoad culpam diluta, eſſe pecca- 481.

*Omiſſio præcepti deſinit quãdoque eſſe culpabilis.*

 tum

tum quoad pœnam, prout ad malam & voluntariam cauſam ex qua orta eſt, ordinem dicit; ita plectuntur fures patibulo propter furtum, etſi de eo confeſſi ſint & abſoluti.

Dicendum ultimò, gravitatem peccati omiſſionis externi deſumi proportionaliter ad gravitatem omiſſionis internæ, cujus gravitas rurſum deſumenda eſt ex gravitate & obligatione præcepti, cui omittendo contravenit.

---

## SECTIO XIII.

### *Undenam deſumatur numerica & ſpecifica ratio peccatorum.*

482. *Unitas numerica actuum.* Dicendum primò, Numerica diſtinctio, ſeu quod unus actus ſit alter numero ab alio actu, deſumenda eſt, vel ex interruptione, vel diverſo objecto. Ex objecto quidem, ſi objectum unius actûs morali judicio diſtinguatur ab alio. Dico *morali judicio*, quia etſi phyſicè ſit aliud objectum, poterit tamen eſſe actus idem numero, v. g. ſi juxta communem æſtimationem moraliter ſit idem & unus, eo quòd objecta phyſicè plura cenſeantur moraliter coaleſcere in unum. Hinc deduco, quòd qui unico actu vult occidere 3. homines, tot peccata committat, quot ſunt homines, eo quòd actus ille habeat objectum phyſicè & moraliter diverſum. Secùs dicendum eſt, de eo qui vult furari totum gregem alicujus, etſi ſint 100. oves: quia etſi hic ſint 100. objecta furti phyſicè diverſa, cenſentur tamen moraliter unum, adeoque morali judicio eſt unicus actus furti, quo vult Gregem conſtantem 100. ovibus, furari. Videndum ergo ad cognoſcendam unitatem actûs, an objecta diverſa in quæ tendimus, non tantùm phyſicè in unum coaleſcant, ſed etiam moraliter.

Quæ-

Quæres circa priùs datum exemplum, quot ergo peccata committit, qui vult occidere omnes homines unius familiæ, & ignorat quot ſint in tali familia, cùm peccata debeant eſſe determinata. Idem quæri poſſet, de eo qui vult occidere homines infinitos. Reſp. ad prius, illum tot peccata committere, quot homines putat ibidem degere. Ad aliud reſp. illum unico peccato peccare, cum ibidem ſit ſolùm ſimplex complacentia, non autem abſoluta & efficax voluntas, eo quod ſit impoſſibile infinitos homines occidere. Hinc illa complacentia non reſpicit illos homines occidendos infinitos, ut effectum, ſed ut objecta; in ratione objecti autem homines infiniti, ſunt unicum objectum talis complacentiæ & conſequenter unum numero peccatum. 483. *Quot peccata committit qui vult occidere familiam.*

Inferes ulteriùs: ille qui unico actu Charitatis vult benefacere tribus, non eſt niſi unicus charitatis actus, etſi ſint plura objecta: ergo & actus ille 3. occidendi, erit actus unicus. Reſp. N. C. & ratio diſparitatis eſt hæc, quòd in virtute actus virtutis non multiplicetur, quotieſcumque motivum & ratio formalis eſt eadem: neque etiam actus virtutis ſpecificatur ab effectu ſecundùm ſe, ſed ulteriùs requiritur, ut ametur honeſtas, quæ eſt in exercitio talis virtutis. Ad peccandum verò, non requiritur, ut peccatum ametur propter ſeipſum, ſed ſatis eſt, ut ſequatur effectus ex cauſa voluntariè poſita, ex qua prævideri poterat & debebat ſecuturum eſſe effectum: hinc, quando ſunt plura mala, vel in ſe vel in causâ tali volita, ſunt quoque plura peccata in ratione peccati, etſi per modum unius illa expetantur. Si verò bona aliqua amentur propter unicum motivum honeſtatis, erunt unum bonum moraliter loquendo, quia honeſtas non multiplicatur ab effectu, ſed à motivo. 484. *Quando actus bonus diverſificatus.*

Quæres ulteriùs, an etiam plura numero peccata committat, qui lædit jus communitatis, ex qua læſione emergit partibus ſingulis talis communitatis aliquod damnum. Reſp. Si jus illud communitatem 485. *Lædens communitatis jus, quomodo peccet.*

 illam

illam qua talem reſpiciat, ſic ut jus illud partialiter in ſingulis non reſideat, ſolùm erit unicum peccatum, cùm ſit propriè unicum objectum morale quod læditur, puta communitas qua talis. Si verò jus illud reſideat in quaque parte in particulari, non verò in ipſa communitate ut tali, tunc ſunt tot numero peccata, quot ſunt partes communitatis, quarum jus læditur, & conſequenter plura objecta, etiam moraliter loquendo.

486. *Interruptio actûs.* Dicendum 2. Ex interruptione diverſificatur numerus actionum, quando notabilis interruptio intercedit inter actus ſibi ſuccedentes. Quanta verò ſit illa aut eſſe debeat interruptio, ut actus numero diſtinguat, morali judicio eſt dijudicandum. Aliquando enim major interruptio actum non diverſificat, quod tamen facit minor.

Dicendum 3. Cenſetur actus non eſſe interruptus, quamdiu formaliter aut virtualiter perſeverat. Hinc ſi quis volens occidere inimicum, accingit ſe gladio, adſcendit equum, &c. Etſi varia interea agat, tamen cenſetur unica voluntas occidendi, cùm in iis actibus, ad occiſionem aſſumptis, virtualiter illa perſeveret. Aliud eſſet, ſi in via intentionem illam retractaſſet, & eandem denuò poſuiſſet, tunc enim eſſet nova voluntas occidendi, adeoque & novum peccatum, propter interruptionem.

487. *Cauſa interruptionis.* Dicendum 4. Actus internus interrumpi poteſt, per voluntatem contrariam illi, quod ante quis voluit. Deinde, per voluntariam ceſſationem ab actu. Dico *voluntariam*, quia ſi actus interrumpatur, propter naturalem inadvertentiam, aut diſtractionem v. g. circa alia, erit eadem numero voluntas, quia non obſtante tali cauſa naturali, cenſetur moraliter perſeverare. Denique, quando inter unum & alium actum tanta intercedit interruptio, ut prudenter judicari poſſit, unum actum alteri morali conjunctione non eſſe annexum. Vide concluſ. 2.

Dicendum 5. Specifica diverſitas peccatorum, ſumitur

mitur ex objecto formali potiſſimùm, etſi etiam aliquando deſumi poſſet ex fine & aliis circumſtantiis. 488. *Specifica diverſitas actuum.*
Probatur, quia cùm peccatum formaliter ſitum ſit, in privatione alicujus perfectionis debitæ, ſequitur formalem & ſpecificam cujuſque peccati rationem ſumendam eſſe ex ratione ſpecifica talis perfectionis, quâ privat: privationum enim ſpecifica diſtinctio, ex ſpecifica diſtinctione formarum quibus privant, petenda eſt, ut docent Philoſophi. Hinc non tantùm illa peccata ſpecie differunt, quæ diverſis virtutibus opponuntur, ſed etiam, quæ eidem & uni virtuti repugnant, ſi id fiat ſub diverſa ratione formali, v. g. prodigalitas & avaritia reſpectu liberalitatis votifragium & perjurium reſpectu religionis, &c.

Dicendum 6. Non ſemper peccata ſpecie diſtingui quando repugnant diverſis præceptis, niſi lata ſint ex diverſo ſpecie motivo honeſtatis. Hinc quia furtum in loco S. prohibetur lege naturali ex motivo juſtitiæ, & lege Eccleſiaſticâ ex motivo Religionis, ſpecie erit multiplex. Quia verò fornicatio vetatur lege naturæ, divinâ & humanâ idque ex eodem caſtitatis motivo, erit unicum ſpecie peccatum. 489. *Peccata ſpecie diverſa, diverſis legibus contraria.*

Dicendum 7. Ex circumſtantiis quoque & maximè ex fine, ſpecifica peccatorum ratio eſt deſumenda. Hinc circumſtantias mutantes peccati ſpeciem expreſsè præcipit, in confeſſione aperiendas Synod. Trid. quænam autem ſpeciem mutant, etſi utcumque ex dictis colligi poſſit, ibidem ſuo loco dicemus, agendo de confeſſione.

## SECTIO XIV.

*Undenam deſumenda ſit gravitas Peccatorum.*

DICENDUM primò, gravitas peccati deſumi poteſt ab objecto quod reſpicit, intelligendo tam objectum quod, quam objectum cui, ſeu perſonam in 490. *Menſura gravitatis peccati,*

 quam

quam peccatur. Hinc furtum 10. aſſium eſt gravius furto unius aſſis, & peccata in Deum commiſſa ſunt graviora peccatis in proximum commiſſis, ſi cætera ſint paria: quod addo quia odium grave proximi, eſt gravius, peccato veniali, commiſſo contra charitatem Dei, etſi objectum *cui* hîc ſit præſtantius. Hinc ulteriùs collige, peccata illa eſſe cæteris paribus graviora, quæ fiunt in perſonam digniorem, aut etiam nobis aut Deo magis conjunctam.

590. *Ex parte perſonæ.* Dicendum 2. Gravitas peccati deſumitur etiam ex parte perſonæ peccantis, quo enim quis eſt perſona magis publica, graviùs peccat ratione ſcandali, quod eorumdem peccata comitari ſolet: item quo quis majoribus à Deo donis eſt inſtructus, graviùs peccat ratione majoris ingratitudinis.

491. *Ex parte cauſæ.* Dicendum 3. eo quoque peccatum eſt gravius, quo cauſa peccati eſt vehementior ſeu intenſior, ſi ſit efficiens, aut quo cauſa finalis peccati eſt pejor. Quod enim majori deſiderio committitur, aut propter finem magis abſurdum, eo titulo cenſetur gravius.

492. *Ex parte privationis.* Dicendum 4. Eo gravius cenſetur peccatum, quo dignior eſt virtus cui opponitur, intelligendo cæteris paribus: quo enim virtus illa, quâ privat peccatum, eſt dignior, eo privatio ejus eſt gravior, cùm privationis gravitas, ſequatur ex dignitate aut neceſſitate formæ cujus eſt privatio.

493. *Ex parte nocumenti.* Dicendum 5. Gravitas peccatorum deſumi poteſt ex nocumento, quod nobis peccantibus eſt voluntarium. Tunc autem cenſetur eſſe voluntarium, quando illud èx noſtra actione veroſimiliter prævideo futurum, aut illud prævidere poſſum, & de cætero actum illum omittere poſſum & debeam. Ad quod rectè judicandum neceſſaria eſt circumſtantiarum concurrentium ſeria conſideratio, an ſit aliqua connexio talis nocumenti cum cauſa; quâ ſubſiſtente, penſandum eſt, an debeat, aut poſſit actio illa aut cauſa omitti, &c.

CA-

# CAPUT QUARTUM.

## De Subjecto Peccatorum.

## SECTIO PRIMA.

### *Quodnam poſſit eſſe ſubjectum peccatorum.*

Dicendum primò, propriè loquendo, non omne peccatum eſt in voluntate. Pro cujus intelligentia notandum eſt à 3. in omni peccato poſſe conſiderari: ipſum materiale peccatum, ipſum formale, & rationem voluntarii eſſentialiter ad peccatum requiſiti. Materiale peccati, ſive actus peccaminoſus ſubjectatur in ipſa potentia à quâ egreditur. Sic Hæreſis ſubjectatur in intellectu. Formale autem, quod eſt privatio rectitudinis debitæ, ſubjectatur in ipſo actu, qui rectæ rationi repugnat, unde & ſubjectatur in illa potentia, in qua ſubjectatur actus. Si denique ratio voluntarii in peccato conſideretur, eo ſenſu omne pecccatum dici poteſt eſſe in voluntate prout ſæpiſſimè ratiocinatur S. Auguſtinus. Ratio eſt, quia omne peccatum debet eſſe actus liber, cujus homo ſit Dominus; eſt autem Dominus ſuorum actuum per intellectum & voluntatem; in qua libertas formaliter ſita eſt. Deinde ratio voluntarii eſſentialiter requiritur ad peccandum, quod etiam ad voluntatem ſpectat. Denique, hinc eſt quòd doceant communiter. ſine voluntate non peccari, tum quia ubi voluntas, ibi libertas: tum quia omne peccatum vel fit ex imperio, vel negligentia aut permiſſione voluntaria voluntatis, omne enim peccatum vel imperatur à voluntate, vel permittitur, vel negligitur ab eadem. 494. *Non omne peccatum eſt in voluntate.* 495. *Non peccatur ſine voluntate.*

Dicendum 2. Aliquo ſenſu omne peccatum etiam dici

496. dici poteſt eſſe in intellectu, quatenus voluntatem perversè dirigit, vel ſaltem eamdem rectè dirigere poteſt ac debet, & interim hoc omittit. Nihil enim voluntas vult, maximè deliberatè & cum plenâ libertate, niſi prævio rationis judicio voluntatem dirigente.

*Quomodò omne peccatum ſit in intellectu.*

497. Dicendum 3. Etſi motus concupiſcentiæ mali ſint, & concupiſcentia ipſa ſit oppugnanda, ut alibi contra Julianum & alios probavimus, eo quòd ex peccato ſit & ad peccatum inclinet; Certa tamen eſt ſententia, que docet ejuſmodi motus ſecundùm ſe, ſine reſpectu ad voluntatem non eſſe formalia peccata. Patet ex dictis, quia ſine ordine ad voluntatem non peccatur. Deinde ſi tales motus præveniant conſenſum voluntatis, non ſunt liberi, eo quòd eorumdem homo non ſit Dominus, qualis eſt per voluntatem & rationem. Requiritur ergo, ut voluntas illis conſentiat, dum eoſdem tolerat aut negligit reprimere, ſive etiam excitat, ut ſint peccaminoſi. Quomodo tamen mali ſint, & quomodo prohibeantur hac lege, *Non concupiſces*, &c. Vide hoc tractatu c. 2. ſect. 6. & 7. de concupiſcentia.

*Concupiſcentiæ motus ſine reſpectu ad voluntatem non ſunt peccata.*

Dicendum 4. ejuſmodi motus appetitûs ſenſitivi nequidem poſſunt eſſe peccatum veniale, ſine ordine ad conſenſum voluntatis. Eſt contra Cajetanum, aſſignantem appetitui ſenſitivo ſufficientem libertatem ad peccandum venialiter, non item ad peccandum mortaliter. Probatur tamen ex dictis, quia peccatum veniale etiam debet eſſe voluntarium & liberum, quod ſine tali conſenſu voluntatis fieri nequit, à qua & in qua formaliter omnis libertas reſidet.

Dicendum 5. Motus illi non ſunt peccata, ex parte intellectûs & voluntatis, ſi ante advertentiam rationis erumpant, aut advertente ratione voluntas diligenter & pro viribus reſiſtat. Hujuſmodi enim motus in nobis exſurgunt aliquando, aut ex diſpoſitione corporis, aut imaginatione, aut narratione vel lectione

lectione rei ſenſibus gratæ, vel etiam ex ſuggeſtione Dæmonis, à quibus aliquando in nobis ſine ullâ rationis advertentiâ excitantur: ſi verò ratio advertat, poterit uoluntas reſiſtere, vel aliò dirigendo cogitationes, vel eoſdem motus deteſtando, confugiendo ad Deum, &c.

## SECTIO II.

### *De delectatione Moroſa & conſenſu in illam.*

498. *Quid delectatio moroſa.* Dicendum primò, Delectatio moroſa eſt ſimplex complacentia de opere malo, advertente ratione aut advertere valente. Dicitur *Moroſa*, non à morâ temporis quâ durat, cùm etiam in inſtanti perfici & haberi poſſit; ſed ex morâ rationis, qua ratio advertens talem delectationis motum in parte ſenſitiva, eam non repellit aut impedit. Diſtinguitur autem hæc delectatio, à delectatione, quæ eſt conjuncta abſolutæ voluntati exequendi opus in quod delectatio tendit: hæc enim ſemper mortaliter mala eſt, quando executio operis eſt mortaliter mala, juxta illud Math. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.*

Dicendum 2. Delectatio moroſa de re quapiam, non ſemper eſt mortaliter mala, etſi opus illud ſit ſub mortali prohibitum, eo quòd præſcindat abſolutè ab inhibitione operis, & tendat in illud opus ſecundùm ſe. V. g. ſi delectetur quiſpiam de fractione jejunii, ſi non eſſet lex jejunii.

499. *Delectatio moroſa de modo operis.* Dicendum 3. Etſi delectatio moroſa de opere malo ſit mala, non tamen mala eſt delectatio moroſa de modo artificiali aut cognitione operis. Probatur quia delectatio ſequitur conditionem objecti, quod hîc eſt bonum aut indifferens, v. g. modus artificioſus, cognitio, &c. Quæ etſi opus comitentur, poteſt tamen appetitus & ratio in eadem ferri, præſcindendo

dendo eadem ab opere malo, ſic ut delectatio in opus non tendat.

Dicendum 4. Sollicitè advigilandum eſt, ne mentiatur hîc iniquitas ſibi, exiſtimando delectationem aliquam moroſam eſſe de modo aut *cogitatione* operis, non item de ipſo opere, cùm delectatio de tali modo aut cogitatione, ſæpe oriatur aut annexum habeat
500. affectum erga ipſum opus. Ut autem hoc rectiùs
*Quando delectatio eſt de modo operis,* diſcerni poſſit, tradunt aliqui hanc regulam: quod ſi quiſpiam ex honeſta occupatione delectetur moroſè de cogitatione aut modo alicujus operis, v.g. confeſſiones excipiendo, ſtudendo, &c. præſumi poſſit delectari de modo aut cogitatione operis, non item de ipſo opere: etſi hoc non ita firmiter procedat, niſi merè occupetur in ordine ad bonum, nec in exercitio ejuſdem concupiſcentiis ſuis indulgeat. Aliud eſt, ſi in exercitio malo aut in honeſto delectetur moroſè, v. g. fœdè confabulando, &c. Tunc enim præſumitur delectari de ipſa re, non item de cogitatione illius, juxta illud: *Navita de ventis, de bobus narrat arator*, ideſt, quilibet de tali re cui addicitur per affectum libenter loquitur. Deinde etiam, ſi affici quis ſoleat & delectari modo artificioſo in quacumque re, ſive bona ſive mala, præſumi poſſet, eum delectari moroſè de modo conjuncto operi malo, non autem de ipſo opere malo.

501. Dicendum 5. Delectatio moroſa aliquando dicitur
*Delectatio expreſſa & implicita.* expreſſa, aliquando implicita. *Expreſſa* dicitur, quando advertitur exſurgere in parte ſenſitivâ, cui advenit conſenſus deliberatæ voluntatis. *Implicita* eſt, quando advertitur quidem, ſed tamen eidem non reſiſtitur à voluntate, cùm deberet & poſſet illi reſiſtere, idque ob periculum conſentiendi, cui ſe voluntariè ſaltem in cauſa exponit, qui delectatur.

Hinc patet, ſufficere ad conſenſum qui requiritur ad delectationem peccaminoſam, quòd ſit interpretativus, quod fit, quando delectatione cognitâ, voluntas eidem non reſiſtit, prout reſiſtere debet & poteſt;

teſt; unde non reſiſtendo & tacendo quaſi conſentire cenſetur, cùm loqui poſſit ideſt reſiſtere & debeat, adeo ut voluntariè tolerando cauſam, cenſeatur velle effectum, cujus periculo ſe exponit, ideſt conſenſum in delectationem.

502. *Delectatio moroſa ſequitur opus, quo delectatur.*

Dicendum 7. delectatio moroſa de re mala cogitata, eſt ejuſdem malitiæ, ideſt æquè gravis, cujus eſt opus quo delectatur. Unde delectari de re venerea, eſt mortale, de parvo damno proximi eſt veniale. Non tantum ſemper eſt ejuſdem ſpeciei cum ipſo opere, niſi ſit delectatio de tali opere ſub eodem motivo. V. g. qui delectatur morte ſui proximi occiſi, non quia ipſum vellet occiſum ſed quia cum ejus uxore ſuperſtite liberiùs poſſet peccare, peccat peccato Luxuriæ, non item injuſtitiæ cujus eſt opus, quo delectatur, ſcilicèt occiſio alterius.

In materia tamen venerea eſt ejuſdem malitiæ cum opere externo, adeo ut, ſi opus habeat ſibi 2. aut 3. malitias annexas, delectatio illas contrahet, v. g. dum quis delectatur de copula cum conſanguinea; religioſa; &c. Ratio hujus eſt, quòd delectatio de hoc peccato, conjunctos habeat graves motus carnales, quibus materia libidinis excitetur ex variis corporis membris, uſque ad conſenſum aut periculum conſenſus in pollutionem, cum ordine ad hanc perſonam in quam tendit delectatio. Deinde plerumque tali delectationi adeſt voluntas exequendi copulam cum tali, ſi non timeretur pœna, infamia, &c. Quæ conditiones malitiam totalem non minuunt, neque ab ea præſcindunt.

503. *Delectatio viduæ de copula præterita, ſponſæ de futura.*

Dicendum 8. non licet viduæ delectari moroſe de copula habita nec ſponſæ de eadem futurâ: Imo neque fœminæ in abſentia mariti de præteritâ vel futurâ. Ratio prioris eſt, tum quòd ſimiles delectationes habeant ſibi annexos prædictos motus corporis, ex quibus oritur periculum conſenſus in copulam habendam pro tempore præſenti: tum quòd

dele-

delectationes illæ, ſint natura ſua initium copulæ, illis pro nunc prohibitæ: Denique delectationes illæ non ſunt adeo de re futura aut præterita, quo tempore eis licita fuit copula viduæ aut erit ſponſæ, quam bene in copulam repræſentatam ut præſentem.

Ratio poſterioris eſt, eo quòd conjugibus delectari non liceat de carnali commercio, etiam ſepoſito periculo pollutionis, niſi quatenus delectationes talem actum matrimonii ſubſequuntur aut ad illum ordinantur, uti neque licet iis vacare tactibus & aliis impudicis, niſi in ordine ad illum. Vide quæ de hac re dicam in materia de matrimonio.

## SECTIO III.

### *De cauſis Peccatorum.*

504. *Voluntas.* Dicendum 1. generalem omnium peccatorum cauſam eſſe voluntatem, liberè à debita rectitudine, peccando deficientem: Unde Auguſtino per quam familiare eſt, peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe.

505. *Concupiſcentia.* Dicendum 2. Generalis quoque cauſa peccatorum in hoc ſtatu eſt concupiſcentia, ſine qua nullum peccatum committi, docet Sanctus Auguſt. vide quæ de hac re dixi c. 2. ſect. 6. hæc enim eſt adinſtar medii maximè opportuni, quo à cauſis aliis ad peccandum provocamur.

506. *Mundus, dæmon.* Dicendum 3. Cauſas externas ad peccatum homines excitantes, eſſe Diabolum & mundum, quæ etſi hominem ad conſenſum ſuadere poſſint & excitare, nullatenus tamen perſuadere; adeo ut ſtante etiam fortiſſimâ tentatione mundi aut diaboli, homo per gratiam poſſit illi reſiſtere non conſentiendo. Sub mundo intellige homines malos & mundanos, qui ut inſtrumenta dæmonis, proprium dæmonis officium exe-

exequuntur, quod eſt alios ad peccatum excitare.

Dicendum 4. Cum Aug. Enchrid. c. 81. *Duabus ex cauſis peccamus, aut nondum videndo, quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus. Quorum duorum, illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis.* De priore ante egimus agendo de ignorantia c. 2. ſect. 8. de poſteriori jam mox actum eſt, & pluribus loco ibidem citato. 507. *Concupiſcentia & ignorantia.*

Dicendum 5. De fide eſt, Deum non eſſe cauſam peccati. Facili negotio hoc probant, qui juxta ſententiam Greg. Ariminenſis docent, peccatum tam quoad materiale, quam formale eſſe nihil, & quod, ut ait S. Auguſt. non poſſit dari cauſa efficiens peccati, ſed ſolùm deficiens, qualis cauſa Deo convenire nequit utpote, qui deficerè non poteſt. Verùm loquitur S. Doctor de peccato formaliter ſumpto, quo ſenſu verum eſt, quod prætendunt. 508. *Deus non eſt cauſa peccati.*

Dicendum 6. Deus concurrit cum voluntate ad materiale, ſive actum Phyſicum peccati, diverſo tamen modo, quo concurrit in hoc ſtatu ad actus bonos: hos enim cum voluntate efficit, voluntatem ad eoſdem ſpeciali auxilio indeclinabiliter determinando, illud autem tantùm concurſu generali coefficit, qui concurſus indeterminatus eſt, nec præcisè datus ad malum illud efficiendum, ſed generalis & debitus creaturæ agenti, quæ ſine concurſu cauſæ primæ operari nequit; unde quod tali concurſu abutatur hominis voluntas, non Deo, ſed creaturæ eſt imputandum & adſcribendum. 509. *Modus cōcurrēdi quo Deus concurrit ad actus.*

Dicendum 7. Etſi Deus concurrat ad materiale peccati, cui annexa eſt deformitas, non tamen ad ipſam deformitatem concurrit: ratio ejus eſt, quòd cùm deformitas illa ſit defectus à regula debita, non poſſit eſſe objectum omnipotentiæ divinæ, quod ſolum eſt omne id, quod nullam importat contradictionem aut imperfectionem, quam importat indubiè illa deformitas. Impoſſibile quoque eſt quòd ſumma in agendo & eſſendo perfectio in aliquo deficiat. Deinde

Deinde cùm deformitas illa ſit defectus à lege æterna, cùm omne peccatum ſit contra legem æternam; ſequitur quòd Deus talis deformitatis cauſa eſſe non poſſit, cùm Deus à ſe ipſo deficere, aut ſibi contrariari nequeat, ipſe enim eſt Lex æterna.

510. *Quid requiratur ad cauſam interpretativam.* Dices, videtur Deus eſſe cauſa interpretativa talis deformitatis, dum concurrit ad actum, cui inſeparabiliter annexa eſt talis deformitas. Reſp. ut quis interpretativè cenſeatur eſſe cauſa alterius, quod ex actione ſua ſequitur, requiruntur duo, ut ſcilicèt cauſam illam vitare poſſit & debeat. Unde, etſi Deus cauſam illam vitare poſſit non concurrendo ad materiale peccati, non tamen debet, cùm hoc exigat naturalis conditio creaturæ liberæ, quæ ſine concurſu Creatoris operari non poteſt, & quæ ratione ſuæ libertatis bene & malè uti poteſt libero voluntatis arbitrio.

Quomodo autem, Deus aliquibus præcipere dicatur actum peccaminoſum, indurare non tantùm per patientiam, ſed & per potentiam, & alia hinc concernentia, vide diſcuſſa tract. 1. c. 3. ſect. 5. Modum autem quo Deus poſſit concurrere ad materiale peccati, non verò ea propter ſit cauſa formalis ſive deficiens, hoc exemplo declarant aliqui; ſicuti potentia progreſſiva eſt cauſa ambulationis, non item claudicationis, quæ ex ſolo defectu tibiæ provenit: item ſicut bonus ſcriptor ſcribendo in papyro fluida, non eſt cauſa defectûs, qui ex tali fluiditate provenit, ſed papyrus, etſi ſit cauſa ſcriptionis de ſe exactæ & rectæ: ita Deus eſt cauſa actûs illius, qui in ſubſtantia bonus eſt, non item deformitatis, quæ tota à voluntate deficiente derivatur & illi ſoli imputatur.

511. *A ſimili*

512. *Quid obduratio & excæcatio.* Dicendum 8. Deus non eſt cauſa obdurationis & excæcationis: excæcatio enim eſt pravus motus voluntatis, quo Spiritui Sancto mentem illuſtranti & veritatem proponenti oculos cordis claudit, renuens veritatem ſibi clarè etiam propoſitam acceptare.

Obduratio autem eſt pravus motus voluntatis; quo

quo pias voluntatis affectiones, & externas admonitiones contemnunt, & ſeſe iis neglectis magis obdurant in malo. Cùm ergò utraque ſit motus animi inhærentis malo, ſequitur Deum non eſſe ejuſmodi motuum cauſam, cùm talis obduratio & excæcatio ſint motus planè Diabolici, magis quam humani; nec tantùm peccata ſunt obduratio & excæcatio, ſed & pœna peccati, ſicut ſapientiæ 2. dicitur, *Excæcavit illos malitia eorum.*

Dicendum 9. dicitur tamen impropriè Deus cauſa obdurationis & excæcationis: Cùm enim obduratio & excæcatio, ultra motus animi prædictos, importent ſubſtractionem gratiæ ob culpam præteritam, rectè dicitur cum Aug. in Epiſt. ad Rom. num. 62. *Sic excæcat, ſic obdurat Deus, deſerendo & non adjuvando, quod occulto judicio facere poteſt, iniquo non poteſt.* Indurat ergo Deus & excæcat, non dando gratiam, quâ poſſit à malo reſipiſcere, lumen veritatis intueri, pios motus ſequi, &c. Vide quæ loco concl. 7. citato, de hac re annotavimus. 513. *Quomodo Deus obduret & excæcet.*

Dicendum ultimò, ut quis ſit excæcatus & obduratus, non ſufficit, quòd Deus hominem permittat cadere ob præteritam culpam in aliquod peccatum, ſed inſuper requiritur, ut ita in peccatum ruat, ut nec intellectûs illuſtrationes, nec voluntatis pias affectiones curet, imò eadem abjiciat & contemnat, de quibus ait S. Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum.*

---

## SECTIO IV.

### *De Peccato Originali.*

Dicendum primò, cum D. Aug. l. 1. de pecc. merit. c. 22. hoc peccato, etſi nihil ſit ad prædicandum notius, nihil tamen eſſe ad intelligendum ſecre- 514. *Notitia originalis eſt difficillima.*

ſecretius; certum tamen eſt, quòd peccatum illud ſit unum ex primis Fidei Chriſtianæ fundamentis. Nam ut idem S. Doctor ait l. 2. de pec. orig. c. 24. *In cauſa duorum hominum, quorum per unum venumdati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Chriſtiana conſiſtit.* Unde mirum aliquos illud acriùs oppugnaſſe, ut Pelagianos, Lutheranos, Swinglianos, uti etiam vehementer ſuſpicantur aliqui de Eraſmo Rotterd. docebant autem Pelagiani hoc peccatum intraſſe in mundum imitatione tantùm, quatenus homines exemplo Adami ad peccatum provocantur, cui Eccleſia ſeſe opponens, dicit non imitatione tantùm ſed verè transfuſum, ſic ut in Adamo omnes verè peccaverint, quod ex Baptiſmo patet, quod neceſſarium eſt, ut à peccato poſſint parvuli liberari.

Objiciunt alii, quòd Filius non portet iniquitatem Patris: & ut Julianus l. 2. de nupt. & concupiſc. c. 28. ab Auguſtino ſciſcitatur: *Non peccat ille qui naſcitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iſte qui condidit, per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fingis ingreſſum?* Reſp. Ad prius, hoc intelligendum eſſe de peccatis perſonalibus Patris, non item originali. Ratio illius eſt, quòd voluntates omnium poſterorum, in voluntate Adæ poſitæ eſſent, quâ peccante, peccato ſuo omnes aliorum voluntates infecit, & ut ait S. Aug. l. 6. cont. Jul. c. 12. *Quamvis poſteri nondum agerent vitas proprias, tamen quidquid erat in futura propagine vita unius hominis continebat.* Ad aliud quoque cum eodem S. Doctore Reſp. *Quid quæris latentem rimam, ubi habes apertiſſimam januam? Per unum hominem ait Apoſt. per unius debitum, ait Apoſtolus.*

Dices quando Adam genuit Seth & Caïn, erat à peccato mundatus. Reſp. Remiſſum erat tunc Adæ peccatum, ut Adæ erat proprium & particulare, non item ut toti naturæ in eo radicatæ & ut erat generale.

515. *Chryſoſtomus hic cautè legendus.* Notandum in hac materia parum cautè ſcripſiſſe Chryſoſtomum, cujus cauſam dat S. Aug. l. 1. c. 6. contra Jul. quòd in Eccleſia diſſerens, crederet ſe ab

ab illâ intelligi, ut erat communis ſenſus, nec ulla de re hac erat diſputatio aut contentio, quare liberiùs in hac re eloquebatur: deinde loquebatur modo concionatorio, quæ verba non ita rigoroſè ſunt accipienda.

Dicendum 2. Etſi ad Rom. 6. dicatur peccatum originale eſſe *corpus peccati*, non ideo tamen dici poteſt, illud eſſe ſubſtantiam diabolicam, ut deliravit Illyricus, ſed juxta genuinam S. Auguſtini ſententiam, nihil eſt aliud, *quam concupiſcentia cum ſuo reatu*, adeo ut reatus ſit quaſi formale, concupiſcentia verò materiale. Clarè illud docet l. 1. de nupt. & concupiſ. c. 25. ubi ait: *Reſpondemus dimitti concupiſcentiam carnis in Baptiſmo, non ut non ſit, ſed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu ſuo jam ſoluta, manet tamen, donec, &c.* Hinc aliquando vocat S. Aug. peccatum illud *libidinem & concupiſcentiam*, ſub quibus comprehendit omnes prorſus motus, quibus homo propellitur in peccatum, quo ſenſu dicuntur ab eodem *deſiderium peccati.* 516. *Non eſt ſubſtantia.* 517. *Quid ſit peccatum originale.*

Dicendum 3. Ne umbra eſt apparentiæ, ſententiam hanc favere & coincidere cum ſententia Pelagii. Hic enim veram rationem peccati pernegabat in parvulis, ſed ſolummodo reatum pœnæ, obſervans eoſdem plurimis miſeriis eſſe obnoxios. Hæc verò ſententia, agnoſcit veram in iis peccati rationem, etiam agnoſcens reatum culpæ, quo homo natus manet reus coram Deo, reatu culpæ, ideſt peccati. Quòd autem S. Auguſt. hoc manifeſtè doceat, audi eundem l. 1. retract. c. 15. ubi ait: *Quaſi verò peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, ideſt, reatu ejus implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios.* Ecce manifeſtè diſtinguit S. Præſul in hoc peccato reatum culpæ, cui ſunt implicati parvuli, & reatum pœnæ, cui ob culpam ſunt obnoxii. Verum quidem eſt, quòd S. Doctor alibi ſolius reatus pœnæ meminit, ſed eâ ratione, quòd reatus ille ſit notior, & per reatum ſoleat communiter intelligi reatus pœnæ. Probatur 518. *Pelagii ſententia.*

519. verò data S. Auguſtini ſententia, primò quidem, quòd *In poſitivo ſitum eſt.* Sacra Scriptura agens de peccato originali, illud explicet per modum poſitivi, dicendo *Carnem concupiſcere adverſus ſpiritum, &c. Regnare peccatum in corpore noſtro, cui non obediamus; peccatum operari in nobis omnem concupiſcentiam, &c.* Ex quibus omnibus clarè ſequitur, rationem talis peccati magis ſitam eſſe in aliquo poſitivo, quam in alicujus rei negatione vel privatione.

520. *Conc. Trid.* Deinde, Concilium Trid. agens de hoc peccato, etſi nihil omnino definire voluerit an ratio ejus ſita eſſet in privatione juſtitiæ originalis v. g. an in ipſa concupiſcentia cum ſuo reatu: tamen ſententiam datam ſatis innuit, dum dicit, Deum in renatis nihil odiſſe; ex quo ſubſumitur & conſequitur, Deum in non renatis aliquid odiſſe, adeoque concupiſcentiam quæ in non renatis cum ſuo reatu eſt peccatum, in renatis non eſſe peccatum. Ex quo itidem patet,

521. *Lutheri ſententia.* quomodò hæc noſtra ſententia diſcrepet à ſententia Lutheri, qui docet concupiſcentiam in renatis etiam eſſe Peccatum propriè dictum.

522. *Quomodò ſit nobis voluntarium.* Dicendum 3. Peccatum originale eo ſenſu intellectum, nobis quoque eſt voluntarium: etſi enim in parvulis non ſit rationis uſus, quâ ratione prætendebant Pelagiani peccatum originale parvulis non eſſe voluntarium, & conſequenter nec peccatum; fuit tamen ut docet S. Aug. l. 1. retract. c. 13. illis voluntarium voluntate Adæ, etſi non voluntate propriâ, & peccato Adæ ideo tenentur, quia ex ejus origine tenentur, qui non fecit, quod facere potuit, ſcilicèt ſervare legem ſibi à Deo datam. Addit dici quoque voluntarium, quia ex mala protoparentis voluntate contractum, factum eſt omnibus poſteris hæreditarium.

523. *Quomodò traducatur in poſteros.* Dicendum 4. Juxta D. Auguſtinum traducitur hoc peccatum in poſteros, quod eo ipſo, quo anima à Deo creata, infunditur corpori, à quo deinceps vitiatur, ut liquor purus infuſus vaſi vitiato. Semen enim

enim, quod à parentibus effunditur, morbidum eſt ac vitioſum, cui anima unita malè afficitur; anima enim afficitur à malis corporis paſſionibus & complexionibus uti conſtat. Hinc S. Aug. l. 6. cont. Jul. c. 4. docet, vitium originale ineſſe carnali parentum ſemini, quod ſemen ut eſt privatum juſtitiâ originali, dicitur eſſe concupiſcentia habitualis, cui proinde anima unita & infuſa, *Contagio ejus obruitur, cùm membris corporis inſeritur* ait S. Doctor l. 10. in Geneſ. c. 16. Docet inſuper hac de cauſa l. 6. cont. Jul. cap. 7. peccatum originale propagari in poſteros *Quodam operantè contagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus ſolet evenire naſcentibus.* Hoc enim fit, quod Deus animam à ſe creatam morbido ſemini infundit, à quo vitiatur.

Dicendum 5. Alio modo peccatum illud infecit primos parentos, alio modo inficit poſteros. In hos enim redundat à corpore in animam, juxta jam dicta: in illos redundavit ab anima in corpus. De primo id apertè docet S. Aug. de ſpiritu & litt. c. 51. ubi ait: *Habent parvuli originale, non per animam, ſed per carnem utique contractum, animæque refuſum* hinc ait Job. c. 14. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, nonne tu qui ſolus es?* Quod fecit in ſua matre, de qua alibi. Hinc S. Aug. l. 2. de pecc. merit. c. 25. docet Chriſtum ideo non habuiſſe carnem peccati, quia quod de matre accepit, *aut ſuſcipiendum mundavit, aut ſuſcipiendo mundavit.* Quibus conſentiunt SS. Patres, dum docent ideo Chriſtum ſine originali eſſe conceptum, quia ſine concupiſcentia carnem aſſumpſit. De qua re audi Leonem ſerm. 3. de nativ. *Solus*, ait, *inter filios hominum Dominus Jeſus innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnalis concupiſcentiæ pollutione conceptus.* 524. *Alio modo Adamum, alio poſteros inficit.*

Idem planè docet S. Bonav. breviloquii c. 6. ubi ita ſcribit. *Modus autem traductionis culpæ originalis videtur eſſe talis: quia licet anima non ſit ex traduce, originalis tamen culpa ab anima Adæ tranſit ad animas poſterorum mediante carne per concupiſcentiam generata: ita quod*

 *ſicut*

*ſicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ & prona effecta ad libidinem, ſic caro per libidinem ſeminata, & ſecum trahens affectionem vitioſam inficit & vitiat animam: quæ quidem infectio vitioſa, in anima non tantùm eſt pœna, ſed etiam culpa. Et ſic perſona corrumpit naturam & natura corrupta corrumpit perſonam, ſalvâ in omnibus divinâ juſtitiâ, cui nullo modo poteſt imputari infectio animæ, licet eam creando infundat, & infundendò uniat cum carne infectâ.* Et idem caput his verbis concludit: *Sic verum eſt quod dicit Auguſtinus, quòd peccatum originale non tranſmittit ad poſteros propagatio ſed libido.* Eandem doctrinam repetit idem S. Doctor. Centiloquii ſect. 4. de peccato originali.

525. *Philip. Bonæſpei.* Conſonat & noſter Philippus Bonæſpei: Epiſt. 2. ubi ait. *Poſt peccatum meritò pudenda nominantur, quoniam adeo ſpiritui reluctantur, ut ad generandum, non niſi libidine moveantur. Hoc eſt, unde Adam filios ſuos ſic infecit, ut quoniam in generando non ſola caro, ſed & concupiſcentia carnalis operatur, quicumque gignitur eo modo, ejuſdem reatu concupiſcentiæ teneatur.,.. juſti parentes juſtum filium non poſſunt generare, quia ſine concupiſcentia non poſſunt generare.*

526. *Ex quo proveniat Patrem ſequi prolem.* Ex quibus quoque patet quomodo varii variis paſſionibus ſint obſtricti, prout ſcilicèt varia prædominantur in ſemine temperamenta, ut cholerica, melancholica, &c. ex quibus variæ paſſiones erumpunt & conſequuntur: patet quoque, quomodo patrem ſequitur ſua proles, cujus ſemem tali temperamento vitiatum, producit prolem ex eodem, ſimilis temperamenti & earumdem paſſionum.

527. *Miraculosè natus peccato originali obnoxius eſt.* Dicendum ultimò, excepto Chriſto & Sanctiſſimâ ejus matre omnes omninò naſcuntur huic peccato obnoxii, etiam ille, qui miraculosè ex femore viri, nomine Ludovici Roceet propè Dixmudam natus dicitur. Talis enim hominis voluntas fuit quoque in voluntate Adami, & erat indubiè concupiſcentiæ ſubjectus, per quam transfundi peccatum illùd docet S. Aug. Deinde aliàs ob peccatum originale non debuiſſet

buiſſet Baptiſari, omnes ejus poſteri fuiſſent liberi à noxa originali, quod non videtur veroſimile. Adde, quòd etſi communi generationis viâ non deſcendat ab Adam, per transfuſionem uſitatam ſeminis, tamen veroſimile eſt vel ſemen in illam corporis partem tranſlatum eſſe, cui anima infuſa eſt, aut ſaltem aliam corporis partem vitiatam, loco ſeminis eſſe aſſumptam, & eidem animam talis pueri inditam eſſe, & à vitio corporis aut ſeminis obrutam & contaminatam.

---

## SECTIO V.

### *De Pœnis peccati Originalis.*

Dicendum primò, Deus non tantùm poteſt, ſed etiam debet punire peccatum. Probatur ex S. Aug. in Pſalm. 80. ubi ait: *Et erunt impunita peccata? abſit. Non ſibi tantùm de Dei miſericordia blandiantur, ut ſibi etiam injuſtitiam ejus polliceantur.* Ratio hujus eſt, quòd Deus aliàs ageret contra legem æternam, adeoque contra ſeipſum; Lex autem illa, juxta eumdem Doctorem l. 1. de lib. arb. c. 6. *Eſt, per quam mali miſeriam, boni beatam vitam merentur:* & ut alibi, *perquam juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima*: Ordinatum autem eſt præmiari bonos, puniri malos. Quamvis autem aliquando peccata videantur hîc impunita, tamen reſervantur punienda in altera vita, vel etiam numquam conſcientia non cruciat, & ut ait ſapiens c. 19. *Timida nequitia, ſemper dat teſtimonium condemnationis*: Qui conſcientiæ timor tantus eſt juxta S. Aug. in Pſ. 45. ut omnes miſerias hujus vitæ longè tranſcendat, cui etiam ſibi pœna eſt omnis inordinatus animus. 528. *Pœna debetur peccato.*

Dicendum 2. Totus homo, tam quoad animam, quam quoad corpus in pejus eſt mutatus, & in ſe toto pœnas luit. Quod enim ad voluntatem attinet, fa- 529. *Pœna voluntatu, intellectus, &c.*

cta eſt *Hæc vaga, incerta, inſtabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus timida, curis avara, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ, quam virtutum avidior, famæ quam conſcientiæ diligentior, & per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his, quæ concupiverit, quam carendo: nihil in ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem, quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citiùs propinquat iniquitati, quanto acriùs intenditur actioni.* De quo vide S. Proſperum l. 1. c. 6. & 7. de vocat. gentium. Quòd autem ad intellectum ſpectat in multis errat & cœcutit, eligens pro bono malum & aliæ inſuper potentiæ ſuperiori potentiæ obedire renuunt, dum ſuperior ſeſe ſubſtraxit per peccatum Deo. Denique tantæ ſunt miſeriæ homini propter peccatum inflictæ, ut eapropter gentiles Philoſophi naturam noſtram *novercam* nuncupent: alii animam corpori eſſe unitam, ut vivi cadaveribus, & ut ait S. Auguſt. l. 2. c. 8. de nupt. & concupiſc. *Divina gratia non ſubveniente, quid ſunt homines, niſi quod ait Apoſtolus Petrus, velut muta animantia, procreata naturaliter* (ex corruptione, non inſtitutione naturæ) *In captivitatem & interitum?*

530. *Mors à Deo eſſe & non eſſe dicitur.* Dicendum 3. Aliæ ſunt pœnæ peccati originalis in hac vita, aliæ poſt hanc vitam. Pœnæ hujus vitæ ſunt innumeræ uti patet ex innumeris morbis, quorum numerum ex minima parte omnium medicorum libri complectuntur. Hujuſmodi quoque pœna eſt mors, quæ aliquando à Deo eſſe aliquando non eſſe à Deo dicitur, quatenus vel à Deo juſtè ob peccatum homini eſt inflicta, vel quatenus homo in ſui inſtitutione immortalis erat beneficio ſui Creatoris.

Dicendum 4. Pœna poſt hanc vitam huic peccato poſita, eſt condemnatio æterna, adeo ut parvuli, ſi ſine Baptiſmo ex hac vita diſcedant, mox in infernum deſcendant, ut docet Conc. Flor. in litt. uni.

SECTIO

## SECTIO VI.

### *An Parvuli ſine Baptiſmo morientes, plectendi ſint etiam pœna ſenſus, ſive ignis.*

Dicendum primò, Etſi S. Auguſt. Epiſt. 28. ita dicat: *Cum ad pœnas ventum eſt parvulorum, magnis, crede mihi, coarctor anguſtiis, nec quid reſpondeam prorſus invenio, non ſolum eas pœnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio. ... ſed eas ipſas, quæ in hac vita dolentibus nobis verſantur ante oculos*, &c. Ex aliis tamen locis ſatis ſuperque patet, quid hac in parte ſentiat S. Doctor. Dum enim contra Pelagium ſtatuentem parvulis illis locum medium inter ignem & cœlum, ſcribens ſerm. 14. de verb. Apoſt. c. 3. expreſsè dicit talem locum non eſſe admittendum, ſed parvulos illos à Chriſto judicandos, & à ſiniſtris ituros in combuſtionem æternam; juvat audire S. Præſulem. *Nullus*, ait, *relictus eſt locus medius, ubi ponere* 531. *queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur, alii* S. Auguſt. *erunt ad dexteram, alii ad ſiniſtram, non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio. Non te offendat, qui dexteram quærit, & te ipſum admonet: recede de medio, ſed noli in ſiniſtram. Si ergo dextera erit, & ſiniſtra, & nullum alium locum in Evangelio novimus: ecce in dextra regnum cœlorum eſt, percipite inquit, regnum. Qui ibi non eſt, in ſiniſtra eſt. Quid erit in ſiniſtra?* Ite in ignem æternum. *In dextra ad regnum, utique æternum; in ſiniſtra* In ignem æternum. *Qui non in dextra procul dubio in ſiniſtra: ergo qui non in regno, procul dubio in* Ignem æternum. Quo teſtimonio, quid expectatur clarius?

Idem docet fidelis ejuſdem Patris Diſcipulus S. Fulgentius l. de Fide ad Pet. c. 27. ubi ait. *Firmiſſimè tene,* 532. *& nullatenus dubites, etiam parvulos qui ſine Sacramento* S. Fulgen- *Baptiſmi, de hoc ſæculo tranſeunt,* Ignis æterni tius.

*ſem-*

*ſempiterno ſupplicio puniendos.* Et S. Greg. l. 9. mor. c. 12. de iis ait: *Quod ſint ad tormenta perventuri.* Ubi nota S. Fulgentium ſententiam illam ibidem inter varia Fidei dogmata referre ab Eccleſiâ Africanâ recepta & approbata.

Dicendum 2. Sententia, quæ iis parvulis, quietis vel felicitatis cujuſlibet locum medium inter damnationem & cœlorum regnum ſtatuit, apertè Pelagio favet. Probatur hoc ex S. Aug. l. 1. de origine animæ

533. *Sententia Pelagii.* c. 9. ubi ait: *Non Baptiſatis parvulis nemo promittat, inter damnationem regnumque cœlorum; quietis vel felicitatis cujuſlibet atque ubi libet quaſi medium locum, hoc enim eis Hæreſis Pelagiana promiſit.*

Idem ſentiunt S. Proſp. Greg. Anſelm. Iſidorus, Gregor. Ariminenſis & alii innumeri, quos refert & citat. Exim. Pater Henricus Noris in ſuis Vind. Aug. quas Conſule.

Objicies ad prædicta teſtimonia D. Thomam ita docentem in 2. diſtinct. 33. q. 2. art. 1. & 5. de malo

534. *D. Thomas.* art. 2. ad 1. ubi ait. *Quod nomen tormenti ignis, ſupplicii, gehennæ, cruciatus, vel ſi quid ſimile in dictis Auguſtini, vel in aliorum ſanctorum inveniatur, eſt largè accipiendum pro pœna, ita ut ponatur ſpecies pro genere: ideo autem ſancti tali modo loquendi uſi ſunt, ut deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum, qui aſſerebant in parvulis nullum peccatum eſſe, nec iis pœnam aliquam deberi.* Idem docet S. Bonav. in 2. diſt. 33. a. 1. ad hoc reſp. cum Eximio D. Sylvio in 1. 2. q. 85. a. 6. *B. Thomam variis quidem in locis loqui juxta ſententiam eo tempore communiorem. Si tamen ſuam ſummam Theologicam abſolviſſet, non deeſt ratio exiſtimandi, eum in partem alteram fuiſſe declinaturum: quia l. 3. cont. gent. c. 156. habet pro abſurdo, quòd ſint aliqui homines, qui nec beatitudinem conſequantur, nec pœnam à Deo patiantur, eo quòd juxta ſcripturam Mathæi 25. omnibus in divino iudicio exiſtentibus dicetur, venite poſſidete paratum vobis regnum, vel diſcedite in ignem æternum.* Quod autem etiam pueros in iſto judicio futuros eſſe intellexerit, ex ejus commen-

mentariis in c. 5. poſterioris ad Corinth. liquet ubi univerſalitatem in his Apoſtoli verbis comprehenſam, omnes nos manifeſtari oportet, ante tribunal Chriſti, ſic interpretatur, *Omnes nos, ideſt, omnes homines, bonos & malos, magnos & parvos, ac deinde expreſsè docet pueros illic futuros.* Deinde SS. Patres generaliter, uti Sacra Scriptura in proprio ſenſu intelligendi ſunt, niſi ex eo ſequantur aliqua abſurda, quæ hîc non ſunt timenda, cùm habituri ſint pueri corpus in quod agat ignis, quamvis agat ignis & in ſpiritus: Deinde eâ penâ digni ſunt propter peccatum originale cui correſpondet æterna damnatio, quæ & pœnam ſensûs comprehendit. 535. *Quomodo SS. PP. ſint intelligendi.*

Dicendum ultimò, quòd etſi ratione authorum præſtantium in contrarium, contraria ſententia ſua probabilitate gaudeat, in praxi tamen tenenda ſit & deprædicanda jam à nobis data & confirmata, ne aliam prædicando, deſidiæ occaſio detur parentibus, & dum miſericordiæ innituntur, reperiant judicium Neque hîc ullatenus proderit probabilitas, ſi non adſit & veritas.

---

## SECTIO VII.

### *De aliis pœnis & effectibus peccatorum.*

Dicendum primò, effectum peccati eſſe, quòd deformet in homine imaginem Dei, ad quam à Deo eſt conditus. Hæc enim in eo ſita eſt, quòd intellectu & voluntate in Deum tendat, legi ejus concordet, &c. quod per peccatum negligitur: porrò etſi imago illa deformari poſſit, deleri non poteſt, cùm naturæ humanæ ut tali ſit propria. 536. *Effectus peccati imaginis deformatio.*

Dicendum 2. Effectum quoque peccati eſſe maculam & pœnam. Maculam quidem, quæ ſit deformitas quædam, quâ anima per peccatum cenſetur eſſe coinquinata; Unde dum homini peccatum remittitur, 537. *Macula, quid ſit.*

titur, cenſetur anima ejus ablui & mundari, juxta illud Pſalm. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Hæc macula veroſimiliùs nihil aliud eſt, quam peccatum præteritum moraliter perſeverans, & aliquando dicitur peccatum habituale: etſi differat ab habitu malo per repetitos actus malos acquiſito & in anima remanente. De pœna conſtat ex ante dictis ſect. 5. concl. 1. quòd pœna peccato correſpondeat, imò peccatum ſine pœna eſſe non poſſit. Etſi autem aliquando aliqui pœnas ſuſtineant ſine ſua culpa, fit aliquando alio fine, quam ut puniantur, puta ut exerceantur & probentur, ut viri ſancti, aut ut major eorum fiat gloria tum hìc, tum in futuro.

538. *Peccatum quomodo ſit pœna peccati.* Dicendum 3. Peccatum non poteſt propriè eſſe pœna peccati. Ratio eſt quia peccatum cùm ſit injuria Dei, non poteſt aſſumi ut reparetur injuria Deo illata. Dixi *propriè*, quia impropriè dicitur aliquando unum peccatum eſſe pœna alterius, eo quòd Deus propter peccata præterita divinæ ſuæ gratiæ auxilia ſubſtrahat, quibus ſubſtractis homo rurſum peccat, atque ita unum peccatum, eſt occaſionalis cauſa alterius, ejuſque pœna.

539. *Pœna æterna juſtè infligitur peccato momentaneo.* Dicendum 4. Deum juſtiſſimè etiam pœnâ æternâ punire peccatum mortale, quod momento abſolvitur, quia ut ait S. Aug. l. 21. de civit. Dei c. 12. *Ille dignus eſt æterno malo, qui hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternum.* Tum etiam quòd per peccatum illud contemnatur perſona infinitæ dignitatis, ex perſonæ autem offenſæ dignitate, taxatur & pœna.

540. *Peccatum veniale puniri poteſt pœnâ æternâ.* Dicendum 5. Peccatum veniale, etſi de ſe non mereatur pœnam æternam, tamen ut conjungitur mortalibus in damnato, punitur pœnâ æternâ, non tam ratione gravitatis, quam irremiſſibilitatis, cùm in inferno nulla ſit redemptio.

CA-

# CAPUT QUINTUM.

## De Regulis actûs moralis.

## SECTIO PRIMA.

### *De Legibus.*

AGENDO de legibus, non eſt formidandum nos mittere falcem noſtram in alienam meſſem, puta juriſperitorum, quibus cognitio legum principaliter competit, cùm idem objectum, legem ſcilicèt, conſideremus ſub diverſo fine. Illi, ut bono communi reipublicæ inſervit & illud procurat; nos vero, ut hominem ad rectam vitæ formam & tandem ad ſalutem conducit.

541. Dicendum ergo legem ſic dictam vel à *legendo* quod legi ſoleret, vel *ligando*, eo quòd hominem liget & conſtringat ad aliquid agendum aut omittendum, unde & vocatur *vinculum*, *nexus*, &c. nihil aliud eſſe, niſi regulam & menſuram actuum, ſecundùm quam aliquis inducitur ad agendum, vel ab agendo retrahitur. *Quid ſit Lex.*

542. Hinc notandum duplex officium legis; unum eſt, dirigere agentem, aliud eſt eumdem obligare. Prout dirigit, dicitur eſſe aliquid ad intellectum pertinens, cujus eſt dirigere: prout autem obligat, volunt alii eſſe quidpiam ad voluntatem ſpectans, cujus eſt movere & obligare: *Officium legis.*

543. veriùs tamen cenſent, ſufficere hic actum intellectus ſe ſolo judicantem aliquid eſſe per ſe & ex natura ſua inhoneſtum, ex quo per ſe ſequitur obligatio ſine ulteriori actu voluntatis illud vitandi. Hoc ipſo enim, quo aliquid per ſe & intrinſecè malum eſt, & ut tale judicatur, per ſe tamquam dedecens naturam rationalem, eſt omittendum: nec alio motu voluntatis opus eſt. *Ad intellectum præcipuè ſpectat.*

Dicen-

543. *Homo non potuit creari exlex.* Dicendum 2. Sine tali regula non potuit à Deo homo creari. Probat illud S. Aug. in Pſalm. 118. conc. 25. ubi ait: *Numquid lex iſta naturalis non erat in Populo Iſraël? Erat planè, quoniam & ipſi homines erant, ſine lege autem naturali eſſent, ſi præter naturam generis humani eſſe potuiſſent.* Talis enim eſt natura hominis, ut conformiter ad rectam rationis regulam poſſit & debeat agere: Cùm ergo non ſit ſibi ipſi lex, requiritur ut alteri legi reguletur, quæ eumdem ſemper dirigat ad ſequendum dictamen rectæ rationis, quæ eſt lex naturalis inſculpta cordibus noſtris. Potuit ergo Deus condere hominem exlegem; quatenus ei liberum erat, condere hominem & non condere. Poſito tamen decreto hominem condendi, debebat eum condere rationis compotem, ut conformiter ad rectam regulam operari poſſet, adeoque cui præfixa eſſet actionum regula, ideſt Lex.

544 *Ad legem requiſita.* Dicendum 3. Varia ad Legem requiruntur: 1. quidem ut materia Legis, ſive quod lex præſcribit ſit homini poſſibilis: De quo ſtatim. 2. Ut ſit juſta & honeſta, *Væ enim qui condunt leges iniquas* Iſaiæ 10. 3. Debet ſpectare bonum commune, de quo etiam particulariter agendum eſt: ſi enim privatum ſpectet bonum, tyrannis potius erit, quam Lex.

545. *Differt lex a Conſilio.* Dicendum ultimò, ex dictis colligi poſſe diſcrimen inter legem & conſilium. Conſilium enim tametſi hominem dirigat uti Lex, non tamen obligat. Hinc ait D. Hier. l. 1. contra Jovini: *Ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt, ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis.* Lex enim non tantùm dirigit, ſed & obligat.

SECTIO

## SECTIO II.

### *Quomodo materia Legis debeat eſſe poſſibilis, & ob bonum commune.*

Dicendum primò: ſi ſit omnimoda impoſſi- 546.
bilitas ad opus vel omiſſionem operis quod Lex *Qua poſſibilitas ad legis materiã ſufficit.*
dictat, tollitur prorſus ejuſdem legis obligatio, quia ad impoſſibile nemo tenetur. Debet enim lex eſſe proportionata viribus illorum, quibus datur, in tantum, ut opus legis exequi poſſint, etſi aliquando cum difficultate ſatis magnâ.

Dicendum 2. Si ſit ſolummodò impoſſibilitas moralis, adeò ut cenſeatur lex alicui moraliter impoſſibilis obſervatu, ſic tamen ut impoſſibilitas illa tracta ſit ex priori culpa, ab obligatione tamen legis non excuſabit. Sic v. g. conſuetudinarius, qui de conſuetudine jam fecit neceſſitatem, ut de ſe factum confitetur S. Aug. non excuſabitur ab obligatione Legis, quæ opus tali conſuetudini contrarium dictat & præſcribit, etſi vi conſuetudinis ſit illi moraliter impoſſibile ab opere quod lex vetat, abſtinere, &c. Ratio hujus concluſionis eſt, quòd ſicut ait Hugo Victorinus l. 1. de SS. p. 7. c. 23. *In voluntariis non poteſt excuſare illa neceſſitas, quam operata eſt prior voluntas.* Et Anſelmus l. de conc. c. 17. *Impotentia quæ deſcendit ex culpa, non excuſat à culpa impotentem, culpâ manente.*

Dicendum 3. ut opus legis poſſibile cenſeatur, ſufficit quòd adhibendo ea quæ adhibere poteſt debet, opus illud poſſit adimplere. Hoc enim alicui poſſibile cenſetur, quod mediis ſatis opportunis exequi in illius eſt poteſtate. Quomodo tamen plurimi, etſi non ſemper habeant gratiam proximè ſufficientem, poſſint adimplere legem, dicam agendo de gratia ſufficienti.

Dicendum 4. quandoquidem Lex ſit commune præ-

547. præceptum, dicitur ff. de legibus l. 1. hoc eſt pro-
*Quid bonum commune quod ſpectare debet.* priè communitati datum, ſequitur quòd debeat ſpectare commune bonum, & ad tale procurandum eſſe, datam. Debet enim lex commenſurari ſuo fini, qui eſt bonum reipublicæ, ideſt commune. Quamvis autem variæ ſint leges, quæ proximè ſpectent bonum privatum, v. g. lex quæ concedit aliqua pupillis, perſonis de republica bene meritis, &c. Tamen remotè & ultimatè in bonum commune redundant; bono enim reipublicæ ſpectat & ſervit, quod pupillis bene fiat & ab aliis defendantur, quod bene meriti præmientur; ut alii exemplo & præmio illecti ad rempublicam defendendam & promovendam excitentur. Idem eſt de aliis legibus proximè bonum privatum concernentibus, quòd ultimatè in bonum commune tendant & redundent.

Dicendum 5. ſufficit hîc quòd bonum commune ſit finis operis, ſive ad quem obtinendum lex ipſa & opus legis ex natura ſua ſerviant. Probatur quia poſito, quod opus legis ſit honeſtum & juſtum & de ſe bono communi ſubſerviat, non ceſſat eſſe materia legis, eo quòd legiſlator tali opere bonum commune non intendat, ſed ſolum privatum, imò etſi bonum commune poſitivè excludat.

Dicendum 6. bonum illud commune, in quod lex cedere debet, rectè intelligi poteſt, incommutabilis Dei veritas, quæ omnibus communis eſt & ſingulis caſta; ut ait alibi S. Auguſt. Deinde cùm omnes actus noſtri in Deum ut ultimum finem ſint referendi, uti in anterioribus comprobatum eſt, conſequens fit, etiam legem in illum finem eſſe referendam, adeò ut etiamſi lex aliud bonum ſpectet ab eo bono planè diſtinctum, ſi in Deum tamen ultimatè non tendat, lex plenâ rectitudine careat.

SECTIO

## SECTIO III.

*Diviſiones variæ Legis, ac primò de Lege æterna.*

DICENDUM primò, Lex dividitur in legem poſitivam, naturalem & æternam. Poſitiva eſt, quæ à libera voluntate legiſlatoris pendet. Naturalis autem, eſt lumen intellectûs noſtri, quod à Deo ſignatum eſt ſuper nos tamquam Lumen vultûs ſui, quo cognoſcimus ea facienda eſſe, quæ naturæ rationali ut tali conveniunt; & quæ diſconveniunt, eſſe omittenda. Lex æterna, eſt lex qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima ut ait S. Aug. ſive eſt dictamen mentis divinæ, quo Deus omnia dirigit & ordinat convenientiſſimè in ſuum finem, cuilibet juxta exigentiam naturæ ſuæ media convenientia diſtribuendo. Lex hæc minutiſſima quæque reſpicit & dirigit, & quidquid ullibi ordinatum eſt, ab hac lege regulatur & ordinatur. 548. *Lex poſitiva, naturalis, æterna.*

Dicendum 2. Ubi non eſt lex æterna, non eſt prævaricatio. Ratio eſt quia omnis prævaricatio formalis, ſive peccatum, eſt contra legem æternam; quæcumque enim prævaricatio, eo ipſo quo eſt à lege quacumque, etiam eſt à lege æterna, cùm omnis lex à lege æterna dependeat & derivetur, uti mox oſtendam. Hinc S. Aug. l. 2. de pec. merit. c. 16. *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitus jubeatur, ut non ſit.* 549. *Ubi non eſt lex, nõ eſt peccatum.*

Dices odium Dei etiam præveniendo legem æternam, eſt peccatum, cùm ſit malum morale, eo ipſo quo eſt contrarium naturæ rationali. Reſp. odium Dei antecedenter ad illam legem non eſſe formaliter malum, ſed radicaliter ſeu fundamentaliter tantùm: quatenus in odio Dei eſt radix ſeu fundamentum, & ex ſe determinatum eſt, ut à recta regula deflectat, & æterna lege prohibeatur, quâ aç-

cedente, ſit formaliter mala. Unde ſublatâ omni lege, auferetur omne malum morale formaliter, ſicut ablatâ omni artis regula, tollitur omne vitium artis, etſi multa ſint de ſe determinata ut à lege æternâ & lege artis prohibeantur & ſint formaliter mala; non tamen niſi ea lege accedente.

550. *Omnis lex ab æterna lege derivatur.* Dicendum 3. Omnes alias leges à lege æterna derivari. Probatur, quia lex naturalis eſt lumen vultûs Dei ſuper nos ſignatum, quod dictat, quid rectæ rationi conveniat, & ut tale agendum ſit, unde & à lege æterna derivatur, ut radius à ſole. Lex divina autem poſitiva ut in nobis eſt, à lege hac derivatur, cùm nihil ſit aliud, quam dictamen aliquod quo judicamus aliquid à Deo præſcriptum, eſſe ſervandum. Ut autem lex illa in Deo eſt, eſt eadem cum lege æterna. Denique lex poſitiva humana ab eadem derivatur & dependet, tum quòd omnis poteſtas legiſlativa à poteſtate divina dependeat, juxta illud ad Rom. 13. *Omnis poteſtas à Deo eſt*: Tum etiam quòd lex omnis poſitiva humana, ut ſit bona, conformis debeat eſſe legi æternæ. Ex dictis patet

551. *Omnis menſura actus ex ordine ad legem æternam.* præcipuam rationem conformitatis vel difformitatis actuum moralium petendam eſſe ex ordine ad legem æternam, potius quam ad aliam quamlibet legem: Si enim quidpiam ſit conforme aut difforme imagini, puta legi omni à lege æterna diſtinctæ, multò magis difforme erit aut conforme prototypo ſive exemplari, ideſt legi æternæ. Hinc etiam in ordine ad hanc legem definiri peccatum anteà notavimus, agendo de peccatis.

---

## SECTIO IV.

### *De Lege Naturali.*

552. *Lex naturalis.* Quid ſit Lex naturalis, jam inde diximus ſect. præced. ſcilicèt, quòd ſit radius ab æterna lege menti noſtræ à Deo impreſſus, quo videmus quid naturæ

turæ noſtræ agere conveniat aut diſconveniat. Notandus autem eſt uſus loquendi in hac materia diverſus Juriſperitis. Illi enim *jus naturale* diſtinguunt contra *jus gentium:* jus autem naturale dicunt, quod eſt hominibus commune cum brutis, v. g. conjunctio maris & feminæ, procreatio prolium, &c. jus *gentium* vocant, quod ſolis hominibus inter ſe commune eſt, ut religio erga Deum, &c. Nobis autem naturale jus, eſt Lex naturalis modò deſcripta. Jus autem gentium eſt illud, quod conſenſu populorum omnibus aut ferè omnibus commune eſt. Sic jure gentium introducta dicitur bonorum diviſio, &c. Hiſce poſitis. 553. *Quid jus gentium.*

Dicendum 1. Author legis Naturalis, ſive legiſlator eſt ipſe Deus, dum ſuper nos lumen vultûs ſui obſignat, quo quiſque capax fiat, ut videat, quid juxta dictamen rectæ rationis agendum ſit aut omittendum. Etſi autem eo ipſo quo Deus hominem condit ſive creat, in ipſum lumen illud infundat, non tamen obligat, niſi ſit ſuo modo promulgatum, ideſt, quando homo ad rationis uſum perductus, judicare capax eſt, quid ſibi ut homini conveniat aut diſconveniat. Etſi enim ante rationis uſum lex illa in homine ſita ſit, 554.
impeditur tamen ne poſſit exire in actum, adeoque *Promulgatio legis naturalis.* nec cenſetur ſuo modo promulgata, niſi ad rationis uſum homo ſit perductus. Idem dic de amentibus & ebriis, quòd etſi in iis habitualiter lex illa ſita ſit, non tamen actualiter, neque obliget, eo quòd impedita ſit, & penitus ſopita.

Dicendum 2. Lex hæc eadem eſt omnibus omninò 555.
hominibus, etſi aliqui eamdem pleniùs obſervent, quam alii. Probatur, quia eo ipſo quo homines ſunt, ideſt rationis compotes, habent ſibi impreſſum lumen vultûs divini. Quòd autem aliqui lumine illo clariùs videant nec ne, per accidens eſt, & ex propria culpa, vel quòd nimium concupiſcentiis ſuis indulgeant, media ad lumen illud uſurpandum neceſſaria non adhibeant, imò lumini illi quandoque oculos cordis oc- *Lex natura in omnibus eſt eadem.*

 cludant.

cludant. Vide quæ dixi de ignorantia juris naturæ. Deinde hîc notandum eſt legem illam, uti eſt una & eadem omnibus hominibus, ita unicum in ſe continere præceptum, ex quo tamen reliqua omnia deduci poſſint, hoc ſcilicèt, *Declina à malo & fac bonum*, quod omnibus omnino ſatis innoteſcit.

556. *Objectum legis naturæ.* Dicendum 3. Objectum legis naturalis, eſt illud, quod per ſe convenit naturæ rationali, aut eidem diſconvenit, ſive quod eſt intrinſecè bonum aut intrinſecè malum. Hinc edere piſces die veneris non eſt propria hujus legis materia, cùm de ſe ſit naturæ rationali indifferens, unde obligatio illius, pendet à lege humana poſitiva. Hoc tamen notandum omnem omninò cujuſvis legis actum præcipi aut prohiberi quoque lege naturali, imò quoque omnem actum conſilii ſive ſupererogationis, quatenus ſcilicèt lex naturalis jubet legi cuilibet eſſe obtemperandum; Deinde quatenus lex naturalis dictat, actûs omnes, etiam conſilii, eſſe faciendos debito modo, de bito fine, &c.

Dicendum 4. Actus ſupernaturales non propriè cadere ſub legem naturalem, eo quòd lex naturalis ſolùm ſe extendat ad illa, quæ naturali lumine cognoſci poſſunt. Quatenus tamen lex divina vel humana actus ſupernaturales præſcribit, dictat naturalis lex eos eſſe faciendos aut omittendos, conformiter ad legem divinam vel humanam: Deinde quatenus ſuppoſito præcepto, dictat illos eſſe ſervandos debito ordine, debitâ reverentiâ, fine debito.

## SECTIO V.

### *An Lex naturalis admittat mutationem, Epykiam aut diſpenſationem.*

557. *Modi mutationis.* PRÆNOTANDUM eſt, poſſe legem naturalem multipliciter dici mutari. Primò per additionem alicujus, quo ſenſu mutari poſſe clarum eſt; cùm multa

multa illi. Legi ſint addicta & addantur quotidie. Secundò mutari poteſt, imò & deleri per immutationem aut ſubſtractionem materiæ: v. g. ſi tollatur circumſtantia, ob quam aliquid eſt juris naturalis. Tertiò in illa diſpenſando. Quartò eamdem de cordibus hominum vel pro toto vel pro parte abolendo. Hiſce poſitis.

Dicendum 1. Poteſt lex naturæ mutari mutatione impropriè dicta, puta per immutationem vel ſubſtractionem materiæ, quâ ſublatâ aufertur lex de tali materia. v.g. Lex naturæ de non occidendo aliquem privata authoritate, mutatur, imò penitus extinguitur, ſi auferatur materia talis legis, quæ eſt occidere privatâ authoritate, ſi accedat ſuperior authoritas hoc imperans, ut in judice. 558.

*Propriè mutari nō poteſt.* Dicendum 2. Non poteſt lex naturæ mutari propriè, ita ut ſtante ejus materiâ, poſſit tolli aut minui ejuſdem obligatio, neque per aliquod extrinſecum quod in lege illa diſpenſet aut eam abroget, neque ab intrinſeco, quod lex illa poſſet fieri injuſta, contra bonum commune. Ratio hujus eſt hæc quòd nemo poſſit eximi ab obligatione ſequendi dictamen rectæ rationis. Rurſum jus naturale eſt dictamen rectæ rationis, quod ubique idem eſt, & immutabile, quia fundatur in ipſa natura rationali, quæ ſemper eſt eadem.

Dicendum 3. Eodem planè fundamento lex naturalis non admittit diſpenſationem aliquam. Ratio eſt, quòd diſpenſatio ſit inchoata legis abrogatio, imò totalis, reſpectu illius quocum diſpenſatur; lex autem naturæ nec pro parte, nec pro toto poteſt abrogari quoad obligationem. Deinde cùm verſetur circa illa, quæ ſunt per ſe convenientia vel diſconvenientia naturæ rationali quâ tali, non poteſt ullus eximi ab obligatione ſequendi eadem, quæ lex illa præſcribit. Si enim in opere aliquo cum quopiam diſpenſaretur in hac lege, opus legis non eſſet per ſe bonum aut per ſe malum, ſed indifferens. 559. *Nec in ea diſpenſari.*

560. *Nec Epykiam.* Dicendum 4. Lex illa non admittit ullam Epykiam, ſive interpretationem, quâ interpretamur legem aliquam in aliquo caſu particulari non obligare manente generali legis obligatione. Poteſt autem lex inter-

561. *Legis interpretatio.* pretari vel eam explicando, uti faciunt ſubinde ſuperiores, vel colligendo quòd lex in aliquo caſu ſpeciali non obliget, ad quem caſum tamen ſpectatâ legis generalitate ſeſe videbatur extendere, quæ collectio vel correctio legis propriè dicitur *Epykia*. Talis autem interpretatio in lege naturæ dari nequit, cùm lex naturæ conſideret omnes planè circumſtantias, adeò ut ratione nullius occurentis, poſſit dari exceptio. Deinde cùm lex illa ſit omninò invariabilis, non poteſt unquam vel reſpectu particularis ulla dari exceptio. Rurſum Epykia ſupplet defectum & abſentiam legiſlatoris, quia interpretamur in caſu Epykiæ legiſlatorem non velle legem ſuam obligare, adeo ut ſi adiri poſſet, omninò foret deſuper conſulendus: ſed lex naturæ à legiſlatore eſt independens & nobis intimè præſens. Deinde rigor legis hujus temperari non poteſt, quaſi obligatio ejus de ſe generalis, ad caſum aliquem particularem ſe non extendat, quia nullâ interpretatione, nullâ benignitate fieri poteſt, ut quis non debeat ſequi dictamen rectæ rationis.

562. *Non poteſt lex naturæ deleri, ſed ſopiri.* Dicendum ultimò, legem hanc de cordibus hominum nulla delet iniquitas. Clarum illud eſt de primis legis illius principiis, *bonum eſt faciendum, malum omittendum*. Hæc enim velint nolint, omnes impreſſa menti ſuæ coguntur recognoſcere. Idem dicunt plerique de aliis, quæ immediatè ex illis deducuntur, ut non eſſe furandum, occidendum, &c. quæ immediatè ſatis deducuntur ex hoc, *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* Quoad alia autem quæ ex illis primis legis naturæ principiis mediatè deducuntur docent aliqui, poſſe legem illam quoad talia deleri de corde humano. Verùm conformiter ad dicta principia, dicimus nec quoad illa poſſe deleri de corde hominis, ut caſu quo adhibere velit, quæ adhibere

bere poteſt & debet, legem illam quoad illa etiam ſemper poſſit recognoſcere. Vide dicta de ignorantia legis naturæ. Etſi enim aliquando quoad illa, deleta videatur ejuſmodi lex, ſolummodò tamen propriâ culpâ aut negligentiâ, ſopita eſt & abſcondita quoad illa particularia mediatè ex primis principiis deducta, non itidem deleta aut extincta.

## SECTIO VI.

*Refutantur Argumenta in contrarium.*

OBjicitur primò, mutata fuit lex naturæ non occidendi, aut ſaltem in ea diſpenſatum, quando Deus juſſit Abrahamo immolare & occidere Iſaac. Item lex non furandi, dum mandavit Populo Iſraëlitico furari vaſa ab Egyptiis mutuata. Iterum Lex non fornicandi, dum præcepit Oſeæ ſumere uxorem fornicariam. Reſp. ad hæc omnia, legem naturæ non fuiſſe propriè mutatam aut in eadem diſpenſatum, ſed ſolummodo impropriè, per mutationem materiæ ejuſdem legis. In primo enim tantùm vetatur occiſio privatâ authoritate facta; accedebat hic authoritas Dei, qui eſt Dominus vitæ & necis, adeoque non ampliùs erat materia legis naturalis, ideſt Occiſio privatâ authoritate. In ſecundo autem idem evenit, cum jure naturæ tantum vetita ſit ablatio rei invito Domino, ablatio autem illa fiebat volente Domino univerſorum, puta Deo mandante. Idem denique fit in ultimo: non enim Jubet Deus Oſeam fornicari, ſed ſumere uxorem fornicariam in Maritam & Conjugem, hoc autem licitum eſt & quandoque laudabile.

Objicies 2. Matrimonium Clandeſtinum jure naturæ fuit validum ante Conc. Trid. Quod tamen hoc concilio invalidatur: Item jure naturæ ſufficiunt 2. teſtes, ubi aliquando de jure requiruntur 3. aut 4.

denique jure naturæ omnes ſunt liberi, ubi tamen jure gentium introducta eſt ſervitus; jure naturæ omnia ſunt communia, ubi jure gentium diviſio bonorum eſt introducta. Reſp. Diſtinguendum eſt jus

563. *Jus naturæ permiſſivum.* naturæ permiſſivum à jure naturæ præceptivo. Jus naturæ permiſſivum eſt, quod aliquid permittit fieri vel non fieri, non item præcipiens vel prohibens fieri vel non fieri. Tali jure licita fuerunt, ideſt permiſſa à lege naturæ Matrimonia clandeſtina, libertas, communitas bonorum, ſufficientia 2. teſtium, & alia his ſimilia: quando autem lex naturæ permittit illa, non obſtat, quin pro circumſtantiarum occurrentium varietate, aliter poſſit diſponi, imò aliquando juri naturæ magis conforme eſt illa invariare, uti fecit Eccleſia & jura Civilia in dictis caſibus, propter rationes urgentiſſimas, de quibus ſuo loco agendum erit.

564. *Voti diſpenſatio.* Objicies 3. Pontifex diſpenſat in votis, juramentis, & matrimonio rato non conſummato, quæ tamen omnia de jure naturæ obligant. Reſp. quidquid ſit de duobus primis, de matrimonio enim in ſpeciali deſuper agendum eſt, dico generaliter, non propriè diſpenſari in illis, ſed ſolùm impropriè permutationem aut potius ſubſtractionem materiæ: vota enim & juramenta tamdiu tantùm obligant, quamdiu non ſunt diſſoluta, diſſolutione enim perit eorumdem obligatio. Quando ergo Pontifex in iiſdem diſpenſat, non eximit aliquem ab obligatione talis legis, voti, aut juramenti, ſed eâdem ſuâ authoritate, quâ gaudet ut Vicarius Chriſti, diſſolvit, & relaxat vinculum ex iis ortum, non autem facit, ut licitè id quod voviſti, juraſti, &c. non exequaris, manente voto, & juramento.

Objicies 4. Eodem modo dicam in lege poſitiva dari non poſſe diſpenſationem propriè dictam, ſed ſemper fieri mutationem aut ſubſtractionem materiæ: v. g. quando Epiſcopus diſpenſat in lege jejunii, dicam non propriè diſpenſari, ſed mutari materiam

dum-

dumtaxat, quæ eſt veſci carnibus ſine legitima authoritate. Idem dicendum foret de aliis poſitivâ lege interdictis. Reſp. mutationem materiæ in lege poſitiva eſſe alterius rationis, quam in lege naturali, cùm illa proveniat ex poteſtate legiſlativa diſpenſandi, ideò enim ejus materia mutatur, quia legiſlator tollit obligationem legis poſitivæ: in lege autem naturæ non mutatur materia, quia deſinit præceptum, ſed è contra deſinit præceptum, quia mutatur materia. 565. *Diſpenſatio legis poſitivæ.*

Objicies ultimò, cum S. Bernardo l. de diſp & præc. c. 3. ubi ait: *Quod inviolabile nominavi illud intelligo, quod non ab homine traditum; ſed divinitus promulgatum, niſi à Deo qui tradidit, mutari omninò non patitur: ut exempli cauſa non occides, non Mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legiſcita: quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo ſolvere aut licuit aut licebit: Dominus tamen horum, quod voluit & quando voluit, ſolvit.* Ubi expreſsè docet S. Pater in præceptis 2. Tabulæ, dari poſſe à Deo diſpenſationem. Ad hoc reſpondent aliqui intelligendum eſſe S. Patrem de diſpenſatione impropria per mutationem materiæ: hoc verò dici non poſſe patet ex eo, quod diſpenſationem Dei in his præceptis opponat, diſpenſationi humanæ; jam autem certum eſt, quod etiam homo impropriè diſpenſare poſſit in præceptis illius tabulæ, v. g. ſi ſit judex, alium occidendo, ſi ſit Rex, de rebus temporalibus ſubditorum diſponendo, ad bonum commune, &c. Quod tamen S. Doctor negat competere poſſe poteſtati humanæ. Deinde dicit ibidem ablationem vaſorum aliàs futuram fuiſſe furtum, niſi adfuiſſet Dei mandantis authoritas, quod non ſubſiſteret, ſi Deus tranſtuliſſet Dominium illorum, cùm tunc licita fuiſſet ablatio, non autem furtum. 566. *S. Bern.*

Hinc propter authoritatem hujus S. Patris, Thomiſtæ paſſim & alii pauci docent, quòd Deus diſpenſare poſſit in jure naturali, quoad præcepta 2. Tabulæ, etſi rationem hujus aſſignare non adeo illis ſit in promptu.

Unde

Unde reſpondeo ad datam objectionem, datâ authoritate & probabilitate alteri ſententiæ, propter idem S. Patris teſtimonium, quòd nec in illis dari poſſit diſpenſatio. Ratio hujus eſt, quòd aliàs ſequeretur quod vel fornicatio per præceptum ſecundæ tabulæ vetita non ſit intrinſecè mala (cujus tamen contrarium docent S. Auguſtinus & alii SS. Patres) vel Deum dare poſſe poteſtatem fornicandi, quod divinæ bonitati ac juſtitiæ repugnat. Si verò non foret res intrinſecè mala, potuiſſent gentiles ejus malitiam ignoraſſe invincibiliter, & conſequenter à peccato excuſari, quod tamen pauci admittent: idem dic de adulterio, quod eodem præcepto prohibetur.

---

## SECTIO VII.

### *De Lege humanâ Eccleſiaſticâ.*

567. *Quid lex Eccleſia.* LEx humana, ſic dicta quòd ab homine feratur, alia eſt Eccleſiaſtica, alia civilis. Eccleſiaſtica eſt, quæ datur à legiſlatore Eccleſiaſtico ut tali. Quod addo, quia aliquando Eccleſiaſtici legiſlatores condunt leges Civiles, ſi una ſint Superiores ſæculares. Lex civilis eſt, quæ datur à legiſlatore civili qua tali, ideſt à Regibus, Imperatoribus, &c.

Dicendum 1. Prælatos Eccleſiaſticos habere poteſtatem condendi leges, quæ obligent in conſcientia. Eſt contra Hæreticos varios & potiſſimùm neotericos, qui prætextu libertatis conſcientiæ à Chriſto datæ, negant lege humanâ conſcientiam poſſe conſtringi. Hinc anno M D. XX. juſſit Lutherus publicè comburi Corpus Canonicum, dicens veſanum eſſe conſtitutionibus Pontificiis indagandis operam dare, cùm Pontificis ſit ſolùm docere, arguere, increpare, non item judicare.

Aliud ergò dicit Scriptura Lucæ 10. ubi dicitur Apoſtolis, *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.*

ſpernit. Et act. 20. *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quòd autem legibus ſuis obligent ſubditos in conſcientia, patet ex eo, quòd latis legibus Eccleſiaſticis teneantur ſubditi obedire aut vana aliàs eſſet illorum poteſtas. Quin imò ſi non obediant, poteſt eoſdem pœnâ plectere & punire. Hinc Apoſtolus 1. cor. 4. rogat. *Quid vultis, in Virgâ veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* Quod & oſtendit dum excommunicavit Corinthium inceſtuoſum, Alexandrum & Hymenæum tradidit Satanæ, &c. 568. *Lex Eccleſia eſt neceſſaria.*

Objiciunt 1. Ad rectam Eccleſiæ Gubernationem ſufficere leges divinas, juxta quas Superiores regere poſſint Eccleſiam, adeoque aliæ non ſunt admittendæ: Hinc vetuit olim Deus Deut. 4. dicens. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor.* Reſp. Leges divinas non ſufficere tali fini, nec poteſtatem Eccleſiaſticæ Superioritatis eſſe reſtrictam ad illas leges, uti patet ex eo, quod Apoſtoli multa præceperint, quæ non erant juris divini, ut abſtinere a ſuffocato & ſanguine act. 15. Bigamos ad Epiſcopatum non eſſe promovendos 1. Thimoth. 3. & alibi. Denique idem patet ex Canonibus Apoſtolorum, eorumdem Conſiliis, & aliis. Ad confirmationem dico, ſolùm vetitum fuiſſe Iſraëlitis ritui Moſaïco addere ritum gentilium, quem in Ægypto viderant & didicerant, & viſuri erant in Palæſtina, uti patet ex c. 12. Deut. ſub finem, ubi admonentur, ne gentiles imitentur offerendo Filios & Filias Dæmoniis per ignem: ſed ſolùm lege præſcripta offerrent de animalibus, fructibus & aliis offerri ſolitis. Unde mox additur: *Hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam nec minuas.*

Objicies 2. Chriſtus expreſsè Apoſtolos jubet docere nos ſervare, ea omnia, quæcumque Chriſtus Mandavit illis, Math. 28. hoc eſt, ſua præcepta deinde hac de cauſa reprehendit Phariſæos & alios Marci 7. docentes ſervare præcepta hominum, quos dicit in vanum illum colere. Denique hac de cauſa abrogavit legem Moſaïcam, quod tot humana præ-

cepta

cepta contineret. Reſp. Ad primum, verum hoc eſſe quod opponitur, ſed unum quoque ex Chriſti præceptis eſſe, *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Ad aliud Reſp. Chriſtum meritò redarguere Phariſæos, non quòd docerent nobiſcum, ſervare juſtas leges Eccleſiæ, ſed quia multa tradebant & præſcribebant contraria legi divinæ, quòd ſua futilia, pluris facerent quam divina jura graviora; uti quod alligarent hominibus onera gravia, quæ digito nolebant movere. Eo tamen loco expreſsè Chriſtus docet leges humanas ſimul & divinas eſſe ſervandas, dum dicit: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Ad ultimum reſp. abrogatam eſſe legem Moyſaïcam propter inutilitatem & difficultatem, & quod advenienti lumini cedere deberent umbræ & figuræ, qualis erat Lex V. reſpectu L. N. Denique recolendum eſt tantummodo in L. N. 5. eſſe Leges Eccleſiæ, reliquas in jure contentas eſſe pias conſtitutiones, quæ nos dirigunt, vel leges quæ paucos concernunt: ubi in L. V. innumeræ erant leges de oblationibus, Sacrificiis, delectu ciborum & aliis multis.

569. *Rom. Pontifex.* Dicendum 2. Legis Eccleſiaſticæ poteſtas primariò in Pontifice reſidet, cui tamquam Vicario Chriſti in Terris, oves ſuas ideſt fideles commiſit Salvator gubernandas. Hîc in materia Fidei, & morum ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectantium ſummus eſt legiſlator & judex. Non enim minor poteſtas Summo Pontifici L. N. à Deo conceſſa eſt, quam in L. V. cui præcipienti tam ſtrictè obedire mandavit Deus, *Ut qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio .... morietur.* Plura de Pontifice in materia de fide videri poſſunt. Concilia quoque tam œcumenica ſive Generalia, quam Provincialia poteſtatem habent condendi leges Eccleſiaſticas, Epiſcopi quoque in ſuis Diœceſibus, Legati Sedis Apoſt. in locis, ad quæ mittuntur, Superiores in ſua Communitate.

SECTIO

## SECTIO VIII.

### *De Lege humana Civili.*

Dicendum primò, Principes Chriſtianos habere legiſlativam poteſtatem in ſuos reſpectivè ſubditos, adeo ut eoſdem non obſequentes punire poſſint, & ſi non obſequantur in conſcientia delinquant. Etſi enim teſte Plinio per 3. annos ſolo arbitrio reſpublica Romana gubernata ſit, tamen propter viciſſitudinem variorum capitum ſine lege commodè id fieri non poteſt: cùm neceſſariæ ſint ſubditis regulæ, quibus ſe conforment in commerciis, contractibus, &c. Probatur concluſio, quia illorum, uti omnium, poteſtas à Deo eſt, adeo ut Apoſt. ad Rom. 13. de illis diſſerens dicat: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et ibidem v. 5. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Hinc delinquentes contra ſuas leges puniri quoque poſſunt, *non enim ſine cauſa gladium portant.* 570. *Lex civilis.*

Dicendum 2. Poteſtas hæc legiſlativa non tantùm eſt à Deo uti probat Apoſtolus, ſed etiam ex natura rei reſultat. Probatur breviter: quia eo ipſo quo alius eſt ſuperior, tenetur inferior illi obedire: hoc enim inferiori eſt proprium: quòd ſi non obediat, peccat peccato inobedientiæ, quod de ſe rectæ rationi repugnat. Hinc deduco, quòd quandocumque fertur vera lex, ſemper concomitetur obligatio conſcientiæ, adeoque quoad culpam.

Objicies, legiſlator civilis non judicat de internis; deinde finis legis civilis eſt merè temporalis, nihil ſpectans ad conſcientiam. Reſp. hoc quoque multi docent de Eccleſiæ poteſtate, quòd non judicet de internis, ſed malè, ut mox oſtendam: & interim docent

571. docent eam in conſcientia obligare. Unde hoc neceſſe non eſt, ut in conſcientia obliget, ſed ſatis eſt, quòd condat legem externam, quâ poſitâ Deus vult ut illi obediatur, ſi ſecùs fiat, in conſcientia peccatur. Deinde etſi finis legis civilis ſit merè politicus & temporalis, ratione objecti, eſt tamen ſpiritualis quoad obligationem.

*Poſita lege oritur obligatio in cōſcientia.*

572. Dicendum 3. Legem civilem aliquando obligare ſub peccato mortali, aliquando ſub veniali, pro qualitate materiæ quæ præcipitur, & occurrentium circumſtantiarum, quæ in hac materia objectum legis ſive materiam legis conſtituunt juxta moralem æſtimationem. Gravitas autem materiæ deſumi poteſt ex communi ſenſu fidelium, & communi æſtimatione attentis attendendis.

*Obligatio legis civilis.*

573. Quòd autem legiſlator ſub mortali obliget, colligi quandoque poteſt, ex gravi pœna appoſita v. g. mortis, confiſcationis omnium bonorum, excommunicationis, ſub interminatione divini judicii, ſub indignatione SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Pœna enim gravis, gravem culpam ſubindicat. Item hoc clarè colligi poteſt, ſi expreſsè dicat ſe obligare ſub mortali, ſi præcipiatur materia quæ communi ſenſu ſit gravis, &c.

*Regula ad cognoſcendum obligationem.*

Poteſt tamen contra legem ſub veniali obligantem agens peccare mortaliter, & è contra venialiter contra legem ſub mortali obligantem. Prius quidem, ſi contemnat formaliter legiſlatorem ratione ſcandali, &c. Poſterius, propter imperfectionem actûs,

574. Ratione hujùs quæri poteſt, quandonam adeſſe cenſeatur formalis contemptus legis ſive legiſlatoris. Reſp. Etſi in omni legis, prævaricatione ſit materialis contemptus legis, dum proprio beneplacito obſervantia legis poſtponitur; aliquando tamen adeſt contemptus, qui dicitur formalis, quando quis expreſsè vult agere contra legem, ex deſpectu legiſlatoris, ut probet, ſe nihil illùm curare. Hic autem con-

*Quandonam adſit formalis contemptus legis.*

contemptus formalis diſtinctum eſt ſpecie peccatum à violatione legis, & ut tale Confeſſario eſt aperiendum. Diſtinguitur verò contemptus formalis ab inobedientia formali in eo, quòd inobedientia formalis oritur ex contemptu legis vel ejus deſpectu: Deinde inobedientia formalis eſt tantùm circa præcepta, contemptus verò formalis eſt etiam circa conſilia: Denique contemptus ille formalis ſpectat ad illam ſpeciem peccati, cui opponitur virtus, quâ debeat proſequi eum, quem contemnit, v. g. contra Religonem, ſi ſit contra Deum; pietatem, ſi contra Patrem aut Matrem; obſervantiam, ſi contra ſuperiores. Ratio horum omnium eſt, quòd qui formaliter illos contemnit, cenſeatur poteſtatem à Deo collatam contemnere, adeoque Deum ipſum; dicente eodem Lucæ 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*

## SECTIO IX.

*An Legiſlator poſſit obligare graviter in materia Levi, vel leviter in materia gravi.*

Dictum eſt, gravitatem obligandi legis humanæ deſumi poſſe ex gravitate materiæ, videndum jam eſt, an neceſſariò gravitas præcepti, ſequatur gravitatem materiæ.

Dicendum ergo 1. non poteſt legiſlator obligare graviter in materia levi. Probatur 1. quia ubi materia eſt levis, prævaricatio etiam de ſe eſt levis, nec poteſt legiſlator pro ſuo arbitrio velle, ut culpa ſit gravis. Vel enim id vellet rationabiliter, & tunc materia prout ſubſtat intentioni legiſlatoris, erit gravis. Vel vellet irrationabiliter; & eo ipſo eſſet lex in,uſta, adeoque ceſſaret legis obligatio, cùm voluntas legiſlatoris debeat eſſe rationabilis & juſta. Deinde lex humana debet eſſe conformis legi naturæ & divinæ, talem autem legem illæ leges reprobant, & ſtatuunt 575.

*Obligatio nis gravitas ſequitur gravitatem materiæ.*

ſtatuunt obligationem conformem materiæ. Denique obligatio legis oritur ex natura rei, cum oritur ex præcepto obedientiæ, & conſequenter non pendet gravitas obligationis ab arbitrio legiſlatoris, ſed ex natura rei.

Dicitur quidem l. 1. ff. de conſtitut. princ. *Quod principi placuit, legis habeat vigorem*, ſed ſubintellige, *rationabiliter placuit*, & conformiter ad legem æternam.

Dicendum 2. neque poteſt legiſlator obligare leviter in materia gravi. Ratio eſt, quòd uti jam dictum eſt obligatio legis pendeat ex natura rei, adeoque ejus gravitas non pendeat ab arbitrio legiſlatoris. Deinde aliàs etiam jurans & vovens materiam gravem, pro voluntate ſua poſſet ſe graviter vel leviter obligare.

574. *Quatenus obligatio pendeat à nutu legiſlatoris.* Objicies 1. quòd lex obliget, imò quòd lex ſit, habet ex voluntate legiſlatoris, ergò obligatio ejus ſe non extendit, ultra quam vult legiſlator. Reſp. obligatio legis pendet quidem à voluntate legiſlatoris, quatenus poteſt velle condere legem & non condere: Poſitâ tamen voluntate condendi legem in materia gravi vel levi, ſequitur ex natura rei obligationis gravitas. Nec dici poteſt, eſſe duas voluntates condendi legem in materia gravi, & condendi illam ſub levi, quia vel ultima voluntas erit planè inefficax, vel prima non erit efficaciter poſita: Idem enim eſſet ac ſi quiſpiam vellet vovere, & non obligari.

Objicies 2. poteſt legiſlator auferre legem, ejuſque obligationem, ergò & illam minuere. Deinde poteſt in materia gravi obligare merè ad pœnam, ergò multò magis ad levem culpam. Reſp. ad prius, non mirum, cùm ſublatâ lege & ejus obligatione, non ampliùs ſubſit obligationis materia, ex qua petatur gravitas vel levitas inobedientiæ, pro gravitate vel levitate materiæ, quæ remanet, quamdiu lex perſeverat. Ad aliud Reſp. non obligare eo

caſu

caſu determinatè ad pœnam, ſed vel ad ſubeundam 575.
pœnam, vel ſervandam legem, adeoque non eſt *Obligatio legis pœnalis.*
quid determinatum ex quo deſumatur inobedientiæ ratio. Dum autem ſub culpa præcipit, determinatè præcipit, unde etiam eſt ratio, ex qua deſumitur inobedientiæ ratio.

Objicies 3. Variæ ſunt in variis ordinibus conſtitutiones in materia gravi, quæ tamen tantùm obligant ſub veniali. Reſp. Conſtitutiones illas, vel ſolummodo eſſe Conſilia, aut merè pœnales, aut certè graviter obligare. Quòd ſi ſint pœnales, poterunt obligare ſub veniali, non ideo præcisè, quia determinatè præcipiuntur; ſed ideo, quòd vi voti tendere teneantur ad perfectionem, quem modum ordinum ſtatuta comprehendunt. Denique fortè illi, qui conſtituerunt ejuſmodi ſtatuta fuerunt alterius ſententiæ ſatis probabilis, uti & Pontifices qui eadem approbarunt, aut certè dicendum eſt, approbaſſe illa in totum & generali, non quoad illa particularia & minutiſſima.

Dicendum 3. Leges humanas ſub mortali obligan- 576.
tes, aliquando obligare cum periculo vitæ. Aliquando enim obſervatio legis humanæ neceſſaria eſt bono communi conſervando, quo caſu vita privati, illius boni conſervationi eſt poſtponenda. *Lex humana obligat cum periculo vitæ.* Hinc alii hanc regulam aſſignant, quâ poſſint colligere quandonam lex humana cum tali periculo obliget: tunc ſcilicèt, quando violatio legis humanæ, plus nocet communi bono, quam amiſſio vitæ. Sub communi bono, non ſolùm comprehenditur bonum Reipublicæ, ſed bonum etiam Fidei & Religionis, imò eo magis, quo bonum illud ſpirituale præponderat alteri corporali. Hinc deduces, militem non poſſe cum vitæ periculo deſerere ſtationem, Paſtorem ad mandatum Epiſcopi non poſſe deſerere ſubditos peſte infectos, &c. An autem metu mortis poſſit Carthuſianus veſci carnibus, non ita conveniunt Authores. Veroſimiliùs eſt non poſſe, cùm promiſcuè aliis cibis poſſit, quod

577. *Carthuſianus an poſſit edere carnes in periculo, n&c.* poſſet carnibus ad conſervandam vitam. Deindè cùm longâ conſuetudine introductum ſit, ut abſtineant, videtur ea conſuetudo inter illos habere vim legis. Denique obſervantia ejus legis cum tali periculo, videtur in tali ordine & regula præponderare vitæ unius privati.

## SECTIO X.

*An Lex humana poſſit præcipere actus merè internos.*

DICENDUM primò: Poteſt lex humana præcipere actum internum, ſi actus externus quem præcipit, ſervari non poſſit, niſi cum tali actu interno. Sic v. g. lex recitandi horas Canonicas, ſimul obligat ad internam attentionem, ſine qua horæ non poſſunt debitè recitari.

578. *Poteſt lex humana præcipere actus merè internos etiam directè.* Dicendum 2. Etiam poteſt lex humana præcipere actus internos ſecundùm ſe & ſeorſim conſideratos. Probatur hoc de lege Eccleſiaſtica 1. quòd Math. 16. Chriſtus generaliter Eccleſiæ concedat poteſtatem ſubditos per omnia rectè gubernandi: Ad hoc autem vel maximè conducunt actus interni, per quos homo ad finem ſupernaturalem imprimis ordinatur. 2. Quòd cùm Chriſtus poteſtatem ad ſolos actus externos non reſtrinxerit, nec nos reſtringere ad eoſdem debemus. 3. Eccleſia præcepit aliquando tales actus, Hæreticos merè internos puniendo, vota relaxando; Item dum in Conc. Trid. procemii ſeſ. 6. diſtrictè prohibet, ne quis deinceps audeat, *Aliter credere, prædicare, vel docere*, quam ibidem ſtatuit: ubi expreſsè actum externum ab interno, qui eſt *credere*, diſtinguit, & etiam prohibet: à facto autem ad potentiam valet affirmativa illatio. Ita quoque fecit conc. Tolet. Anathematizans eum, qui aliter credat aut doceat, quam credendum & docendum proponit.

Objicies primò, ſolùm illa intelligenda eſſe de Hæreſi

Hæreſi externa, ſive ſigno exteriori patefactâ, non item internâ, cùm Eccleſia non judicet de occultis, uti dicitur cap. *Sicut tuis*, de Simonia. Reſp. aliud ex Conc. Trid. Colligitur, dum actum externum ab interno ſejungit, & inhibet. Deinde in Conc. Conſtant. ſeſ. 45. Martinus 5. infamatos aut ſuſpectos de Hæreſi jubet rogari ab inquiſitoribus, an pro defunctis Hæreſiarchis oraverint, ideſt Joanne Hus & Joanne Wiclef, & Hieronymo à Praga: an eos reputaverint Sanctos, an credant quod ab Eccleſia ſint legitimè condemnati, &c. atqui credere, reputare eos Sanctos, pro iiſdem orare, maximè ſpectant ad actus internos, adeoque qui ob illa puniuntur, puniuntur ob actus internos: non enim dici poteſt, eos puniri propter confeſſionem illorum, cùm confeſſio illa ſit actus obedientiæ & veracitatis.

Objicies 2. Actus merè internos Eccleſiam non cognoſcere, ergo nec de iiſdem judicare, eoſdem punire, &c. Reſp. poteſt eoſdem cognoſcere, propriâ eos operantium confeſſione, aut aliâ viâ v. g. revelationis. Unde quòd communiter dicatur, quòd non poſſit Eccleſia judicare de occultis: intelligendum eſt, quòd non poſſit de iis judicare, quamdiu occulti manent, ſicuti nec poteſt tali caſu de externis judicare Eccleſia. Adeo ut quando dicitur quòd non poſſit de internis judicare, verum ſit intelligendo defectu notitiæ, non defectu poteſtatis quam habet, ut de internis judicare poſſit. 579. *Eccleſia judicat de internis.*

Dicendum 3. Lex Eccleſiaſtica non præcipit niſi actus veræ virtutis, unde non poteſt illi ſatisfieri per actum malum. Probatur prius, quia cùm Eccleſia in condendis ſuis legibus, reſpiciat finem ſupernaturalem, non eſt verosimile aliud præcipere niſi actus, quibus finis ille poſſit obtineri: Illi autem ſunt ſolummodo actus veræ virtutis, qui ſoli ad ſalutem æternam conducunt. Ex quo colligi liceat, legem Eccleſiaſticam ferè ſemper præcipere actum internum, cùm ille neceſſarius ſit ad actum veræ virtutis. 580. *Non præcipit lex Eccleſiæ, niſi actus veræ virtutis.*

Probatur poſterius ex eodem fonte : cùm enim actus malus non poſſit eſſe actus veræ virtutis, non poteſt ab Eccleſia præcipi , neque illo actu legi illi ſatisfieri. Ex quo jam inde habes, quòd finis legis cadat ſub legem, quòd modus legis ſit in præcepto, &c.

Objicies Lex Jejunii impletur, etſi jejunet aliquis ex vana gloria, quâ etſi peccet, non tamen peccat contra legem Eccleſiæ ſed ſolùm contra legem divinam. Reſp. peccat ille contra legem divinam & humanam. Vult enim Eccleſia illum obligare ad actum bonum , non verò ad actum malum , nec cenſetur Eccleſia contenta eſſe actu peccaminoſo, ut legi ſuæ ſatisfiat, quæ ſubditorum ſalutem unicè promovere ſatagit. Plura de hac re vide in ſequentibus, de modo ſervandi leges.

Objicies 2. Ergo talis debet confiteri ſe non ſervaſſe jejunium. Reſp. N. C. talis enim ſatisfecit intentioni Eccleſiæ ſpeciali, quâ præcipit abſtinentiam à cibis vetitis, etſi non ſatisfecit intentioni Eccleſiæ generali, omni legi connexæ, quâ velit Eccleſia aliquid fieri per actum conducentem ad ſalutem.

---

## SECTIO XI.

### *Quinam Obligentur lege Civili.*

581. *Clerici obligantur lege civili.* Dicendum primò, etiam Clerici obligantur hac lege, dummodò talis lex non repugnet libertati Eccleſiaſticæ. Clerici enim etiam ſunt partes communitatis & Reipublicæ, unde ut tales legibus Reipublicæ ſubjici debent: Hinc rogantes orant & dicunt: *Pro Rege noſtro N.*

582. *Non tamen juriſdictioni ſæculari ſub ſunt.* Notandum tamen, quòd etſi Clerici tali lege teneantur , non tamen incurrere pœnas tali lege ſtatutas, nec à Magiſtratu civili poſſe puniri, ſi legem prævaricentur : ratio eſt, quòd Clerici exempti ſint à lege civili quoad juriſdictionem ſæcularem , etſi non

non quoad obligationem. Unde puniri debent à Superiori Eccleſiaſtico, idque juxta arbitrium illius, qui nec ſe tenere debet pœnæ tranſgreſſoribus legis illius impoſitæ, aut conformare. Ex Privilegio tamen aliquando licitum eſt ſæculari Poteſtati punire Clericum, quale in Gallia dicitur in Clericos deferentes arma prohibita, cui an ſit derogatum per Bullam cœnæ, dubitant alii.

Dicendum 2. Legiſlator ſubjicitur legibus propriis, quoad vim directivam, cùm naturalis æquitas exigat, ut caput ſe membris conformet, quantùm fieri poteſt; aliàs redditur lex odioſa, quâ ratione Chriſtus Phariſæos reprehendit, imponentes onera importabilia, quæ nec digito ipſi attingebant; unde rectè Cato: *Patere legem, quam ipſe tuleris.* Hoc tamen ſolùm verum eſt, ſi materia legis æquè Superiorem concernat, ac inferiorem, nec aliquid ſuperioritatem dedecens ſecum ferat. 583. *Legiſlator quomodò teneatur propriis legibus.*

Objicies, voluntas Superioris eſt ſolùm obligare ſubditos, non autem ſeipſum. Deinde poteſt alios à ſua lege eximere, ergo & ſeipſum. Reſp. Poſito quòd velit legiſlator legem condere, quæ æquè ipſum legiſlatorem ac ſubditos concernit, æquitas & ratio naturalis dictat, etiam ſe illi debere obedientiam. Deinde poteſt quidem ſe à lege eximere, ſed ſimul legem auferendo: Si verò lex maneat in ſuo vigore, non poteſt ſe eximere ſine cauſa, cùm contrarium dictet naturalis ratio, ſicuti etiam non poteſt alium quemlibet pro ſuo libitu. Denique quilibet ſubditus, tenetur lege, ſolummodo ratione ſui, & non propter alios: Princeps autem, etiam propter alios ſua lege ligatur, ut caput membris concordet: Turpis eſt enim omnis pars ſuo univerſo non congruens. Et hinc quamdiu lex durat reſpectu aliorum, etiam durat reſpectu ſui.

Dicendum 3. Peregrini tenentur legibus locorum per quæ tranſeunt: Ratio eſt, quòd hoc ſpectet ad majorem Reipublicæ pacem & quietem, item ad fæ- 584. *Obligatio Peregrinorum.*

nandam nimiam libertatem tranſeuntium, quâ fieret, ut aliàs in alieno Territorio degentes eſſent quaſi exleges. Probari hoc poteſt ex S. Aug. Epiſt. 118. c. 2. ad Januarium, ubi dicit Chriſtianum rectè procedere, conformando ſe legibus locorum, ubi ſe repererit. Et hæc S. Ambr. regula: *Ad quamcumque fortè Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva:* Et hæc communiter trita: *Dum fueris Romæ Romano vivito more*, &c.

585. *Tenentur legibus locorū quà tranſeunt.*

586. *Peregrini ſunt tranſeunter ſubditi loci quò tranſeunt.* Objicies: Nemo poteſt obligare alium, qui non ſit ejus ſubditus; at Peregrini non ſunt ſubditi ſuperioris loci, quò tranſeunt, ergo. Reſp. Etſi Peregrini non ſint permanenter illius loci ſubditi, ſunt tamen tranſeunter, & ſuperior illius loci, tranſeuntem in eos habet juriſdictionem pro tempore, quo ibidem morantur. Deinde dici poſſet, quòd ſint eo caſu ſubditi legis naturalis, quæ propter communem pacem dictat, ut ſe legibus loci, per quem tranſeunt, conforment.

587. *Exempti ſunt à patriis.* Dicendum 4. Peregrini exiſtentes in alio territorio eximuntur à legibus ſuæ Patriæ. Ratio eſt, quòd jus dicendi extra ſuum reſpectivè territorium ſe non extendat. Deinde cùm legibus locorum, per quæ tranſeunt obligentur, iniquum eſſet eoſdem etiam ligari Patriis. Hæc tamen intellige de legibus à loco pendentibus, non quæ conditionem perſonæ magis concernunt, quam locum. Hoc enim notandum, aliquos per particularia indulta, dum itinerantur eſſe exemptos à legibus locorum per quæ tranſeunt; uti etiam ſpeciali onere ligatos eſſe legibus locorum, à quibus abſunt.

Dicendum 5. Omnes omninò rationis compotes, ſive juſti ſive injuſti, ſubduntur legibus latis à ſuperioritate cui ſubſunt, ſi lex ad eoſdem dirigatur. Dico, *Rationis compotes*, quia lex eſt præceptum rationale, cujus proinde incapaces ſunt, qui ratione carent, puta pueri, amentes, bruta, &c. Quòd autem etiam juſti ſubdantur legibus, definitum eſt in Conc. Vien. ut refert Clementina *ad noſtrum* de

hæret:

hæret: & in Conc. Trid. ſeſ. 6. c. 20. Licet enim ſcriptura dicat, 1. Tim. 1. *Lex juſto non eſt poſita*, 588. nihil planè obſtat, cùm ſenſus Apoſtoli ſolùm ſit, quòd juſti non obligentur lege quoad vim coactivam, hoc eſt quod ad obſervantiam legis non debeant cogi, cùm ſponte eam obſervent, etſi quoad vim directivam illi ſubſint: non enim per juſtitiam acquirunt tantam libertatem, ut ſeſe ab omni humana ſuperioritate eximant, cùm veri maneant ſubditi. Si verò lex aliqua ſubditum aliquem non concernat, certum eſt illâ non obligari, non enim omnes omninò leges dantur pro omnibus omninò ſubditis in particulari.

*Quomodò juſto non ſit lex poſita.*

---

## SECTIO XII.

### *An ad hoc ut lex obliget, requiratur promulgatio.*

Dicendum 1. Ut lex actu obliget, requiritur 589. legis debita applicatio in ordine ad illum, quem obligat: applicatio autem illa fit, quando promulgatur. Dico ut actu obliget, quia certum eſt, legem, quam citò eſt inſtituta & condita, obligare, etſi nondum ſit promulgata, quia in ſe habet vim obligandi, eo ipſo quo conditur. Unde patet reſponſio ad quæſtionem, quâ quæritur, an promulgatio ſit de eſſentia legis.

*Promulgatio quomodò ad legem ſit requiſita.*

Dicendum 2. Ut lex obliget, non requiritur ut ſingulis legis obligatio innoteſcat per applicationem, ſed 590. ſatis eſt quòd lex ſit ita intimata, ut juxta moralem æſtimationem ad omnium notitiam pervenire potuerit. Hinc qui vincibiliter legem latam ignorat, non ideo ab obligatione legis abſolvitur, cùm potuerit & debuerit legem illam ſcire, ſi feciſſet, quæ facere debuiſſet. Aliud eſt, ſi invincibiliter legem latam eſſe ignoret, quo caſu ab obligatione legis eximitur, cùm legi obedire moraliter nequeat quam ignorat, & ex ſua parte non ſtet, quo minùs eamdem latam eſſe cognoſcat.

*Quænam promulgatio ſit requiſita.*

591. *Lex Imperatoria.* Dicendum 3. Lex Imperatoria non obligat per totum Imperium, niſi in ſingulis Provinciis ſit promulgata, neque ſatis eſt eam eſſe promulgatam in aula Imperatoris: quamvis hoc ultimum ex natura rei ſufficiens poſſet judicari, cùm tunc cenſeretur ſolemniter lex publicata; quo facto habet lex per voluntatem legiſlatoris vim ſuam obligandi. Prius tamen ſtatuitur in authentica *ut novæ conſtitutiones* conſtit. 66. inter novellas Juſtiniani, quâ ſtatuitur, quòd lex nova non obliget Provinciales, niſi poſt 2. Menſes à promulgatione facta in eorum Provinciis.

592. *Leges Regales.* Dicendum 4. Leges Regum ac Principum ſupremorum, non debent promulgari in omnibus Provinciis ſibi ſubjectis, ſed ſatis eſt, ut promulgentur in aula Regis vel Principis, niſi aliud particulari ſtatuto aut uſu contrario ſit introductum. Si tamen Reges illi ſub ſe habeant curias diverſas in diverſis Regnis, ut Rex Hiſpaniæ curiam Brabantiæ, Flandriæ, Caſtellæ, &c. Debet quoque promulgatio fieri in eiſdem curiis. Ratio hujus eſt, quòd Regna illa diverſis legibus gubernentur, adeoque quælibet habere debent leges ſibi proprias, & conſequenter quæ cuique propriæ ſunt, debent ibidem promulgari.

593. *Lex Pontificia.* Dicendum 5. Lex Pontificia probabiliter promulgari debet in ſingulis Diœceſibus aut Provinciis, nec ſatis eſt promulgatam eam eſſe Romæ, ut Belgas v. g. obliget. Ratio hujus eſt, quòd jure civili in novella antedicta ſit ita conſtitutum, nec jus Canonicum in eo obſtet: ubi autem Canones deſunt, leges citari poſſunt. Patet hoc ex eo, quòd Conc. Trid. Romæ ſit ſatis promulgatum, tamen non obligat illa Regna, quibus non eſt promulgatum, ut Angliam, Germaniam ſuperiorem, &c. Hinc idem Conc. ſeſſ. 24. c. 1. expreſsè vult legem de Matrimonio clandeſtino omnibus omninò, ideſt in ſingulis Provinciis promulgari. Denique aliàs videtur nimis durum, ſtatim lege aliquâ Romæ latâ, obligari Belgas & alios longè Româ diſtantes: Ratione cujus inconvenientis, præſumi

ſumi poteſt de voluntate Pontificis, quòd non velit legem ſuam obligare, antequam in qualibet reſpectivè Provincia ſit promulgata, cùm illud ſpectet ad ſuave Eccleſiæ regimem.

Aliud tamen cenſent varii authores, tum quòd Pontifex velit ſuam legem obligare, quando Romæ eſt publicata; tum etiam, quòd aliàs multæ decretales non obligarent, eo quòd numquam, niſi Romæ ſint publicatæ, cujus tamen contrarium experientia conſtat. Notant quoque hanc poſteriorem ſententiam in praxi, & Eccleſiæ & Romanæ curiæ conſuetudine obſervari, & in praxi ſequendam, niſi alibi contrariâ conſuetudine eſſet introductum contrarium, quod Pontificem non latet, adeò ut in illud conſentire cenſeatur.

Dicendum 6. Lex Epiſcopalis obligat eo ipſo quó promulgata eſt in Cathedrali Civitate, cùm nihil aliud de jure hîc requiratur, tum etiam, quòd eo ipſo ſufficienter cenſeatur poſſe devenire in aliorum ſubditorum notitiam. 594. *Lex Epiſcopalis.*

Dicendum 7. Lex revocatoria tam conſuetudinis vim legis habentis, quam Privilegii, debet quoque promulgari, cùm ſit vera lex: Deinde aliàs ſequerentur nimia incommoda ex contrario, puta actus multos fuiſſe invalidos & illicitos, factos ante notitiam talis legis, & poſt datam legem revocatoriam. Quin imò, quòd ita conſuetudo obtinuit, & talis videatur eſſe legiſlatoris intentio, quòd lex revocatoria non obliget, niſi ſit promulgata. Hinc deducunt, illum qui habet facultatem abſolvendi â reſervatis, hâc uti poſſe, donec revocatio illius, ſibi ſit legitimè intimata, imò etſi hoc alia via cognoſcat, ſi non ſit legitima. Idem dic de revocatione aliorum privilegiorum. Quoad revocationem indulgentiarum, dicam de indulgentiis agendo. 595. *Lex revocatoria.*

Dicendum 8. Etſi, ut antedictum eſt, de ſe lex obliget, eo ipſo quo ſit promulgata, imò condita: tamen aliquando illi apponitur temporis terminus, in- 596. *Quandonam lex obliget.*

tra

tra quem obligatio inchoat, v. g. aliquot dierum, menſium, &c. Si verò talis terminus non addatur, neque ullus alius, v. g. quòd ſtatim ac erit promulgata, cenſetur lex obligare intra 2. Menſes conformiter ad prædictam novellam. Meliùs tamen docent alii, intentionem legiſlatoris eſſe, obligare ſubditos, ubi ſufficienter de lege per promulgationem ſunt inſtructi, quòd prudenti judicio potiùs & morali quam Mathematico eſt disjudicandum. Porrò, etſi puniantur, qui intra bimeſtre legem transgrediuntur, nihil communi ſatis datæ ſententiæ derogatur: quia aliud eſt de foro interno, aliud de externo: Denique judices illi, conformare ſe poſſunt alteri ſententiæ, quòd bimeſtre non requiratur, ut lex obliget.

## SECTIO XIII.

*An ut lex obliget, requiratur acceptatio ſubditorum.*

Dicendum primò tres hîc eſſe ſententias. Una tenet, omnes leges tam Pontificias, quam civiles dependêre ab acceptatione populi. Fundamentum ejus eſt, quòd legiſlator non cenſeatur velle obligare ſuos ſubditos invitos, ne poteſtas legiſlativa data ad ædificationem vergeret in deſtructionem. Deinde reſiſtente populo fieret lex inutilis, & conſequenter nulla. Denique, quòd leges cenſeantur ferri ſub hac tacitâ conditione, *Si à Populo acceptentur*.

Secunda ſententia eſt huic ex diametro contraria, ſcilicèt, quòd neque lex civilis, neque Pontificia dependeat ab acceptatione populi, ad hoc ut obliget. Quæ ſententia nobis apparet verior ob rationes mox dicendas.

Tertia ſententia eſt inter utramque media, ſcilicet quòd lex civilis quidem pendeat ab acceptatione populi, ſed non lex Pontificia. Ratio hujus diverſitatis

tatis eſt, quòd Princeps ſæcularis accipiat ſuam poteſtatem à populo, ideoque dependenter à conſenſu populi condat leges. Papa verò accipiat ſuam poteſtatem immediatè à Deo & non ab Eccleſia, adeoque independenter ab acceptatione populi poteſt ferre leges.

Probatur tamen ſententia ſecunda: quod enim attinet ad legem Pontificiam, illud probat mox data ratio, quòd Papa immediatè à Chriſto accipiat ſuam poteſtatem, idque abſolutè, ideſt nullâ appoſitâ conditione, ergo etiam abſolutè independenter à conſenſu populi, poteſt Pontifex ſubditos obligare: certè aliàs valdè inefficax eſſet poteſtas Papæ à Chriſto data, ſi non poſſet, niſi cum conſenſu populi, populum obligare, neque poteſtas ejus foret abſoluta. Neque poteſt dici, ut aliqui obtendunt, quòd Pontifex ipſe ſub tali conditione cenſeatur ferre legem, ſi fideles conſentiant, cùm nullibi de tali Pontificis intentione conſtet: imò ècontra conſtat de abſoluta ejus intentione, ſuâ lege fideles obligandi.

Dicendum 2. Leges civiles etiam probabiliùs non dependent ab acceptatione populi. Ratio ejus eſt, quòd poteſtas Principis, etſi proveniat à populo, tamen in illo eſt abſoluta, uti & uſus illius, adeoque poteſt eâ poteſtate in ferendâ lege uti, independenter à conſenſu populi. Aliud eſſet, ſi poteſtas illa à populo data eſſet principi, cum eâ limitatione, ut non poſſet legem ferre, niſi de conſenſu Senatûs, uti fit alibi in Germania & Italia, quòd tamen regulariter non ſolet fieri, ſed ſolet dari poteſtas illa abſolutè.

Ratio ulterior prædictorum eſt hæc, quòd aliàs populus non verè ſubjiceretur legiſlatori, cùm liberum ei eſſet voluntati ejus reluctari, adeoque non obedire, quod tamen veræ ſuperioritati repugnat, quæ ſubjectionem exigit & obedientiam.

Hoc tamen circa dictas concluſiones notandum eſt,

eſt, hæc dicta locum non habere in legibus difficilioribus, & quæ ſunt contrariæ receptæ conſuetudini, in quo caſu cenſetur ſubditus ex benigna interpretatione legiſlatoris, ab obſervantia legis excuſari, quoad uſque legiſlator de difficultate & recepto uſu informetur: cùm meritò præſumi poſſit, ex ignorantia difficultatis & conſuetudinis legitimæ, legem eſſe latam.

Dicendum 3. Quamvis à lege lata à legiſlatore inferiori appellari poſſit ad ſuperiorem, ut ob rationabilem cauſam legem tollat: à lege tamen Pontificis non poteſt appellari, eo quòd hîc non habeatur ſuperior, ad quem appellatio debet fieri. Poteſt tamen Pontifex ſupplicari, ut legem tollat, cùm hoc aliquando expediat & conſentaneum ſit rationi, cùm aliquando leges Pontificiæ Generales, non conveniant moribus omnium gentium: quo caſu licebit debitâ ſervatâ reverentiâ, Pontifex ſupplicari, ut legem tollat, uti habet praxis in Belgio noſtro & aliis locis magis Româ diſtantibus, quorum conſuetudines ſæpe ignorantur. Intereà, tamen, quo ſupplicatur, cenſent plurimi, poſſe ſubditos agere, ac ſi lex lata non fuiſſet; tum quòd ita praxis habeat: tum, quòd hoc conveniat ſuavi Eccleſiæ regimini: alii tamen probabiliùs cenſent, intereà nihil contra legem eſſe agendum, eo quòd non ſit ratio præſumendi nolle legiſlatorem eximere à ſua lege ſubditos, dum habent juſtam cauſam ſupplicandi: poteſt enim ſimul ſtare, quod & ſubditi habeant cauſam juſtam ſupplicandi, & tamen Papa habeat juſtiorem non revocandi legem: unde certa legis obligatio non videtur ceſſare ex dubia cauſa.

Si verò Papa auditâ ſupplicatione taceat, non ideo ſemper cenſetur legem revocare, niſi ex conjecturis pateat, eò dirigi ejus taciturnitatem: Si enim eò dirigatur ejus ſilentium, ut opportuno tempore cum minori offendiculo legem firmet, certè contrarium erit judicandum.

Dicen-

Dicendum 3. Cenſetur lex acceptari à populo, quando potior communitatis pars eam acceptat, quod aliquando fit tacitè conſentiendo, aliquando expreſſis ſignis, ut voce vel ſcripto, vel ipſo facto, ideſt in praxim legem reducendo, & obſervando. 597. *Quando cenſeatur eſſe acceptatio populi.*

Dicendum 4. Declarationes Cardinalium ex Pontificis facultate deciſivæ & interpretativæ Conciliorum, & quas rota Romana in decidendis litibus imitari ſolet, non obligant communiter in Belgio. Ut enim obligent ejuſmodi declarationes, ſtatuit Urbanus VIII. 1631. 2. Aug. ne illis ulla fides adhiberetur, niſi exhibeantur in forma authentica: ideſt ſolito ſigillo & ſubſcriptione Card. præfecti & Secretarii S. Congregationis pro tempore exiſtentis. Deinde ut obligent, requiritur ut conſtet ea fuiſſe denuntiata Pontifice conſulto, ut requirit Sixtus V. & ſint promulgata, adeo ut de eiſdem notitiâ publicâ conſtet, v. g. ſi poſſit declarare Epiſcopus eam eſſe talem. In Belgio autem declarationes illæ non ſunt promulgatæ nec de eis authenticè conſtat, an ſint editæ conſulto Pontifice, &c. Quin imò cùm aliquando à diverſis authoribus pro eadem materia diverſæ, imò & contrariæ allegarentur declarationes, mandavit S. Congregatio habita 1621. 29. April. & 6. Junii, ut omnes deciſiones, collectiones, interpretationes ad declarationes Cardinalium ſuper Tridentinum, infererentur indici librorum prohibitorum, eaſque tam impreſſas, quam imprimendas prohibuiſſe, prout refert Sylv. 2. 2. q. 100. a. 2. 598. *Declarationes Cardinalium.*

AP-

# ASPENDIX.

*An lex Pontificia obliget in Belgio ante Placitum Regis.*

Item

*An Tridentinum per omnia ſit receptum in Belgio.*

Ad primum notanda eſt hæc conſtitutio Philippi Archi-Ducis Auſtriæ, *Ne quis cujuſcumque ille ſtatus aut conditionis foret, exequeretur, vel executioni mandari pateretur aliquas litteras exſpectativas, reſervationes, proceſſus, ſententias executoriales, nec alias Bullas aut proviſiones Apoſtolicas ſuper beneficiis in ſuis ditionibus conſtitutis ſub pœnâ amiſſionis utilitatis & effectûs earumdem ...... idque donec dictæ proviſiones & Bullæ eſſent in ſuo magno conſilio viſæ & pro facienda illarum executione conceſſæ litteræ patentes conſensûs in debita forma.* Ex hac conſtitutione volunt, omnes conſtitutiones Pontificias priùs eſſe placetandas in magno Conſilio Belgico, antequam mandentur executioni. Wameſius tamen tom. 1. Conſil. Conſilio. 1. docet hac conſtitutione ſolùm comprehendi Bullas & proviſiones Apoſtolicas ſuper beneficiis, uti verba ſonant, neque extendendam eſſe conſtitutionem dictam ad alias Bullas, cùm conſtitutio illa ſit odioſa & derogans libertati Eccleſiaſticæ, adeoque reſtringenda potiùs, quam extendenda.

Zypæus vero l. 1. juris pont. novi, tit. de conſtit. id in univerſum negat de conſtitutionibus Pontificiis, cùm nulla edicta id mandent quoad leges Pontificias, quæ ſunt generales: ſed ſolùm quoad reſcripta particularium, eaque ſolùm, quæ concernunt beneficia.

Alii tamen contrarium docent, quòd pro omnibus omnino conſtitutionibus Pontificiis debeat peti pla-

cetum

cetum aulæ. Fatentur quidem, quòd ex vi dictæ conſtitutionis, ſolùm rogandum ſit placetum quoad Bullas & proviſiones Apoſtolicas ſuper Beneficiis: tamen etiam quoad alias Bullas idem eſſe rogandum, non ex vi dictæ conſtitutionis, ſed ex Privilegio per legitimam conſuetudinem introducto: cùm uſus ille in Belgio fuerit continuus, ſcientibus ſemper, nec contradicentibus Nuntiis Apoſtolicis, ex quo prudenter judicari poteſt conſenſus tacitus Pontificis, quòd in hac re dederit Privilegium uſu continuo procuratum, aut in illud conſentiat. Neque dictum Privilegium ullo modo vergit ad abrogandam legem Pontificiam, nec illius poteſtati ullatenus derogat: ſed ſolùm convenit ſuavi regimini hujus patriæ: imò tale Privilegium Pontifices ſæpè conceſſerunt aliis Regnis.

Obſtat tamen dictæ conſuetudini Zypæus dicens dictum uſum procedere ex præjudicato errore vel opinione, neque ullum extare Edictum, quod dictam conſuetudinem corfirmet: Imò quòd ii, qui Româ aliquid accipiunt, Placitum petant, id ſolùm agant, ad redimendam vexam, ne aliàs ingentem mulctam incurrant. Utut ſit, veroſimile eſt Pontificem in dictum Privilegium uſu illo inductum conſenſiſſe, ſcientem uſum illum in Belgio nec contradicentem.

Ad ſecundum Reſpondeo, certum eſſe Concilium Tridentinum juſſu Philippi II. etiam in Belgio eſſe publicatum, idque per Margaretam Parmenſem, receptum tamen fuiſſe cum hac clauſula, *Salvis juribus & Privilegiis Regis Catholici*, ut notat Zypæus novi juris pont. l. 1. tit. de conſtit. num. 6. Hinc dicta Margareta, ſcripſit Concilio Provinciali Artheſiæ, ut examinaret, quouſque dictum Concilium cum juribus & Privilegiis Regis Catholici conveniret: quâ conſultatione factâ, varia Collegerunt ex dicto Concilio, quæ Privilegiis illis derogarent; primò quidem, quòd Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 15. refor. ſtatuat, ut Hoſpitalibus ab ordinario de adminiſtratoribus

toribus deberet provideri : ubi tamen Regis eſt in Belgio providere iis locis de adminiſtratoribus, maximè ab ipſorum majoribus vel conſanguineis fundatis. Cætera puncta ejuſdem Concilii, qui videre velit, reperiet eadem omnia in Bertrando Loth S. T. D. Dominicano tract. 2. art. 9. ad longum. Hinc patet, quòd in primis certum ſit, Concilium Tridentinum publicatum fuiſſe in toto Belgio, etiam Hollandia & Zelandia 1565. cùm illæ Provinciæ necdum à fide defeciſſent, uti & idem ex variis relationibus & inſtrumentis clarè conſtat : Secundò in aliis & aliis Belgii Provinciis receptum eſſe exceptis quibuſdam punctis, generaliter tamen ubique ſalvis juribus & Privilegiis Regis Catholici.

## SECTIO XIV.

### *An modus Legis cadat ſub Legem.*

599. *Modus legis quando cadit ſub legē.* Dicendum primò, modus legis, quo lex fieri debet, cadit ſub legem dum ſimul expreſsè vel implicitè præſcribitur ille modus cum lege. Hinc modus temporis cadit ſub lege, quando lex præſcribitur adimplenda pro aliquo tempore. Deinde cùm lex Eccleſiæ intendat generali intentione obligare ſubditos ad actus veræ virtutis, ſequitur etiam modos illos cadere ſub legem, qui neceſſarii ſunt, ad actum veræ virtutis exercendum. Hinc

600. *Lex non ſervatur ſi ſolo metu ſervetur.* Dicendum 2. Lex non plenè ſervatur, ſi ſolo metu pœnæ ſervetur. Ratio illius eſt, quòd omni prorſus legi conjuncta ſit lex Charitatis, quæ mandat, ut quandocumque deliberatè agimus, ſicuti fit in executione debita legis, opus illud in Deum per Charitatem ordinemus. Vide hoc probatum fusè ſatis, in materia de Charitate & ſignanter de ejus neceſſitate. Hinc ſollicitè Apoſtolus ad Eph. 6. monet ſervos, ut obediant Dominis *Ex animo & bona voluntate,*

*luntate, in ſimplicitate, &c.* Quod ſi ſervis hoc mandet Apoſtolus, quam majori jure idem nobis mandatum eſt, qui ſumus Filii N. T. nec Spiritu ſervitutis agimur in timore, ſed amore? Deus enim ſibi liberaliter obediri vult; non ſerviliter. Unde S. Auguſtinus in Pſalm. 118. conc. 27. *quis*, rogat, *facit mandata tua ſicut facienda ſunt; ideſt ex fide quæ per dilectionem operatur, niſi ejus in corde per Spiritum Sanctum ipſa dilectio diffundatur?* Et rurſum l. de Spir. & lit. c. 14. *Mandatum, ſi fiat timore pœnæ; non amore juſtitiæ, ſerviliter fit; non liberaliter, & ideo non fit: non enim fructus eſt boni operis, qui de radice Charitatis non ſurgit.*

Dices, ergo non implet legem de honorandis parentibus, qui illos honorat ex ſolo metu. Reſp. Implet legem illam, prout illa lex nudè reſpicit honorem parentibus exhibitum ex quocumque motivo; non tamen eam implet ſicut oportet, ideſt ex motivo Charitatis; qualiter vi præcepti Charitatis illi præcepto conjuncti, & quaſi illi, & omnibus inbibiti, illum honorem exhibere conſtringitur, quando parentes honorat.

Dicendum tertiò. Opus præceptum, voluntariè debet fieri & liberè. Sicut enim tranſgreſſio ejus non eſt moraliter mala, nec dicitur formalis tranſgreſſio, niſi liberè fiat & voluntariè: Ita obſervatio quoque legis non erit moraliter bona nec formalis, niſi liberè & voluntariè fiat. Unde reſolvi poteſt, eum non ſatisfacere legi dandi Eleëmoſynam, qui coactè illam elargitur, in ebrietate, ſomno, &c. 601. *Lex debet liberè & voluntariè fieri.*

Oppones 1. Ergo ille qui debet 10. florenos alteri, & coactè aut vi ab illo illi 10. extorquentur, non ſatisfacit. Reſp. Ille non ſatisfacit legi juſtitiæ coram Deo, cùm non velit ſatisfacere. Non ideo tamen alteri non eſt ſatisfactum, cùm factâ æqualitate quocumque modo, ceſſet jam obligatio debiti in foro exteriori.

Oppones 2. Ergo totâ die jejunii obdormiens, non

ſatisfaciet legi jejunii. Uti etiam invitè jejunans, eò quòd denegentur cibi. Reſp. Prior ſeſe haberet reſpectu legis de jejunio ut amens aut ebrius, qui neque violarent neque ſervarent illam legem. Poſterior verò, non obſervaret in conſcientia legem jejunii, cùm in animo non vellet jejunare.

Dicendum 4. Qui habet generalem intentionem ſatisfaciendi legi latæ, ſatisfacit præcepto. Item ille qui neſcit legem obligare, & tamen liberè ponit actum præcepti, etiam ſatisfacit præcepto. v. g. aliquis audit Sacrum die Feſto, quem diem putat eſſe ferialem, ille revera ſatisfacit præcepto de audiendo Sacro. Ratio hujus eſt, quòd legiſlator nihil aliud requiſiviſſe cenſeatur, quam quod actus præcepti bonâ fide fiat.

Dicendum 5. Qui hoc caſu haberet expreſſam voluntatem, non ſatisfaciendi præcepto audiendi Sacrum, veroſimiliùs non ſatisfaceret illi præcepto. Etſi enim legiſlator cenſeatur juxta aliquos nihil aliud velle, quam humano modo opus legis adimpleri: tamen meritò cenſeri poteſt, ſaltem voluiſſe, ne quid contrarium fini quem intendit, fiat. Hinc dicitur de reg. juris in 6. *Cenſetur agere contra legem, qui verba legis complexus, contra voluntatem legis nititur.* Alii tamen cenſent eum omninò præcepto illi ſatisfacere, etſi peccet ob affectum ad tranſgreſſionem præcepti, & quòd legiſlator nil ampliùs intendat, quam opus legis humano modo exhibitum; quod ſi verum eſt, ille etiam vult ſatisfacere, etſi non velit, uti etiam ſupponitur, adeoque ex hac ſententia ſequerentur contradictoria.

602. *Poteſt unico actu ſatisfieri duobus præceptis.*

Dicendum ultimò poſſe ſatisfieri duobus præceptis unico actu. v. g. ſimul poteſt unâ auditione miſſæ ſatisfacere obligationi contractæ, ex eo quòd dies ille ſit Dominicus & Feſtus ſimul.

Dices nemo poteſt unica ſolutione ſatisfacere duobus debitis, ergo. Reſp. N. C. quia in debitis juſtitiæ commutativæ ſpectatur æqualitas rei ad rem,

quæ

quæ æqualitas haberi non poteſt ex una re ad diverſa debita. In præceptis verò tantùm ſpectatur voluntas legiſlatoris, cui per unum & eumdem actum ſatisfieri ſubinde poteſt. Quomodò tamen ille non audit miſſam, qui ſimul diſtinctas miſſæ partes audit; ſuo loco erit demonſtrandum.

---

## SECTIO XV.

### *De Lege Pœnali.*

Dicendum primò, poſſe dari legem pœnalem tantùm. Pro cujus intelligentia notandum eſt, aliam eſſe pœnalem mixtam, aliam purè pœnalem. Purè pœnalis eſt, quæ nihil præcipit aut prohibet, ſed ſolùm hoc agenti aut omittenti pœnam imponit. v. g. dum dicit, *Qui hoc fecerit, plectatur hac vel illa pœnâ.* Mixta eſt, quæ aliquid præcipit aut prohibet, apponendo ſimul pœnam prævaricatoribus. Unde notandum, quòd pœna non ſemper tollat obligationem, ſed eam potiùs ſupponat (ut mox dicam) & tantùm apponatur, ut homines qui amore honeſtatis ad bonum dirigi non poſſunt, ad illud timore pœnæ dirigantur. 603. *Lex purè & mixtè pœnalis.*

Dicendum 2. Omnis prorſus lex, etiam purè pœnalis obligat in conſcientia, adeoque niſi obſervetur, culpam inducit. Probat hoc S. Aug. l. 1. retract. c. 9. ubi ait. *Omnis pœna ſi juſta eſt, peccati pœna eſt.* Pœna enim & culpa ſunt correlativa. Notandum tamen talium legum obligationes non eſſe determinatas, ſed indeterminatas, quatenus obligant, vel ad ſervandam illam legem, vel pœnam ſubeundam, quamvis ſi legem violet, culpam incurrat, ratione cujus pœna indicitur. 604. *Omnis lex etiam pœnalis in conſcientia obligat.*

Unde colligi liceat, ſtatuta variorum Ordinum, quæ ſub pœna ſubditos ſolùm obligare volunt, non verò ſub culpa, niſi aliunde culpa incurratur, puta

ex prævaricatione voti, legis naturæ, divinæ, &c. Non eſſe veras leges, ſed ſolùm ordinationes convenientes eorum ſtatui ſi de mente legiſlatoris conſtet, quòd ſub culpa obligari nolit.

Dices, dictum eſt in concluſione omnem pœnam præſupponere culpam. Reſp. Per culpam non intelleximus culpam conſcientiæ, ſive peccatum veniale aut mortale, qualem culpam ſemper ſupponit pœna propriè dicta: ſed intelleximus culpam juridicam ideſt negligentiam, quomodo pœna ſumitur in ſenſu latiori. v. g. ſolutio alicujus ſummulæ v. g. 10. aſſium impoſita per legem pœnalem tranſgreſſoribus alicujus mandati, præſupponit culpam juridicam, non tamen ſemper Theologicam, ideſt culpam propriè dictam, ſive peccatum. Unde notandum eſt, quòd lex purè pœnalis quoque non ſit propriè dicta lex, ad quam requiritur vera obligatio in conſcientia: vel etiam intelligi poſſet culpa conſcientiæ, cùm ſit talis obligatio indeterminata juxta concluſ. 2.

605. *Modus noſcendi legem purè pœnalem.* Dicendum 3. Ad dignoſcendum an aliqua lex ſit purè pœnalis nec ne, reſpiciendum eſt ad mentem legiſlatoris, quæ ex forma legis percipi poteſt, an feratur per modum præcepti, an ſit pœna gravior quæ adjungitur, v. g. mortis vel etiam expreſſa additione, quando addit legiſlator, ſe non velle obligare in conſcientia.

606. *Lex pœnalis latæ & ferendæ ſententiæ.* Dicendum 4. Lex pœnalis aliquando obligat ad ſubeundam pœnam ante ſententiam judicis, v. g. ſi ſit latæ ſententiæ, ideſt, quæ ipſo facto incurritur abſque ulteriori declaratione, v. g. quando tranſgreſſoribus leges dicunt: *Ipſo facto excommunicentur, ſuſpendantur, &c.* Si verò ſit ſententiæ ferendæ, ordinariè requiritur declaratio ſuperioris, quia obligatio legis non ſe extendit ultra intentionem legiſlatoris, qui ipſo facto ſine ulteriori declaratione vult pœnam incurri, vel tantùm poſt factum inferendam & declarandam à judice. Hóc tamen notant pleri-

que,

que, ſi ſit privatio beneficii vel bonorum in pœnam poſita, non teneri ſtatim prævaricatorem illud exequi, eo quòd hoc humanæ naturæ videatur eſſe improportionatum, quòd aliquis ante declaratoriam ſententiam, ſeſe bonis ſuis debeat exuere, etſi in lege additum ſit, *ipſo facto bonis privetur*; quod addi poteſt hoc caſu, ut ſciat delinquens ſe infallibiliter pœnam ſubiturum, ac ſi pœnam illam ipſo facto incurriſſet. Aliud tamen eſſet, quando executio pœnæ talis ſit, ut ſibi ipſi poſſit prævaricator exhibere, qualis eſt lex pœnalis ſtatuens beneficiatis non legentibus horas, ut fructus perceptos etiam ante ſententiam judicis reſtituant.

Dicendum 5. Quando ignorantia legis excuſat à culpa, etiam excuſat à pœna, quia omnis pœna, peccati pœna eſt: Si verò aliquando pœna infligatur peccatis materialibus ex invincibili ignorantia commiſſis, non infligitur ut pœna in vindictam, ſed ſolùm ad cautelam. Si verò ſit vincibilis ignorantia culpæ, non excuſatur à pœna legem tranſgrediens, ſicuti nec à culpa. Si verò ſit ignorantia craſſa & affectata, quæ in jure etiam ſcientiæ æquivalet, non incurritur pœna ex ea legem tranſgrediens, ſi lex exegerit perfectam in agendo ſcientiam, v. g. dum ita lex habet: *Qui ſcienter, doloſè, fecerit hoc vel hoc, hoc vel illud luet.* 607. *Ignorantia à pœna excuſans.*

Dicendum 6. Qui ſciens actum aliquem eſſe prohibitum aliquâ lege, neſciens tamen pœnam appoſitam, pœnam tamen illam incurrit: ſic gentilis prætergrediens legem naturalem, etſi neſciat gehennam peccatis debitam, illam tamen ſubire cogetur, quæ lege divinâ peccatis eſt indicta: excipitur tamen caſus, quo pœna indicitur merè propter contumaciam vel contemptum; hinc excuſatur communiter plebeius ab excommunicatione, ſi legem violet, cui ab Eccleſia excommunicatio annexa eſt, eo quòd illam pœnam ob contumaciam impoſitam neſciat. Denique ignorantia facti excuſat aliquando à

pœna: v. g. percutiens Clericum habitu Laïcali indutum, quem neſcit quis eſſe Clericum, abſolvitur ab excommunicatione, uti patet ex cap. *Si vero.*

## SECTIO XVI.

### *An Conſuetudo habeat vim introducendi & abrogandi legem.*

608. *An & à quo habeat conſuetudo vim legis.* Dicendum primò, Conſuetudo habet vim legem introducendi; nam ut ait S. Aug. Epiſt. 86. *Mos populi Dei, & inſtituta majorum pro lege ſunt tenenda: & ſicut prævaricatores legum divinarum, ita & contemptores conſuetudinum Eccleſiaſticarum coërcendi ſunt.* Hanc vero vim habet conſuetudo partim à populo, partim à conſenſu ſuperioris: ut enim conſuetudo habeat vim legis, debet à populo introduci animo obligandi, item cum interpretativo ſaltem conſenſu ſuperioris, ut mox dicam. Non tamen requiritur ad hoc notitia conſuetudinis, quia ſi v. g. ante generaliter legiſlator ſuum conſenſum in conſuetudines futuras legitimas expreſſiſſet, & poſteà aliqua legitimè introducta eſſet, quam ignoraret, cenſeretur ſufficiens conſenſus legiſlatoris, ad conſuetudinem vim legis habentem neceſſarius.

609. *Requiſita ad conſuetudinem vim legis habentem.* Dicendum 2. Ut conſuetudo habeat vim legis, primò requiritur, ut ſit rationabilis & juſta. Cenſetur autem rationabilis, quando ex una parte non repugnat legi naturali aut divinæ, & ex alia parte cenſetur utilis bono communi. Hinc ſi pariat ſcandala, ſi repugnet Eccleſiaſticæ libertati, &c. non erit rationabilis. Neque refert, quòd conſuetudo, quæ habet vim legis, adverſetur legi humanæ, quam poteſt abrogare, ut mox dicam; quaſi ex eo capite foret irrationabilis, quòd fieri poſſit, quòd lex humana conſiderata juxta has circumſtantias ſit rationabilis & juſta; conſuedo autem juxta alias conſiderata, ſit quoque talis: poſſunt

poſſunt enim duo repugnantia, diverſo reſpectu conſiderata, eſſe juſta & recta.

Ulteriùs poteſt conſuetudo quoque eſſe juſta & rationabilis, etſi cum peccato inceperit, uti ſæpè fit, modò à peccato excuſet quando debitè præſcripta eſt. Quando enim legitimè præſcripta eſt, nulli legi adverſatur, ne quidem humanæ, cùm illa per legitimam præſcriptionem jam ſublata ſit.

Dicendum 3. Quanto tempore opus ſit ad legitimam præſcriptionem contra legem, non eſt ita certum, ſed judicio prudenti hîc opus eſt, quo judicetur an conſuetudo aliqua ſat longo tempore duraverit, ut obligatio cenſeatur inducta; an conſenſus legiſlatoris ſufficienter adſit, &c. Communiter tamen docent alii requiri ad hoc tempus longum, quod quoad leges civiles, tempus decennii reputatur, ut patet ex L. *Super longi*. C. de præſcriptione longi temp. quoad leges autem Eccleſiaſticas requirunt tempus 40. Annorum, quale ordinarium jura Eccleſiaſtica ſtatuunt in præſcriptionibus, ut patet *Ex cap. de quarto, & cap. ad aures de præſcript.* 610. *Præſcriptio legu.*

Dicendum 4. Ut conſuetudo habeat vim legis, requiritur inſuper conſenſus aliquis ſaltem interpretativus legiſlatoris: Deinde, ut à populo vel ſaltem à majore populi parte introducta ſit animo obligandi. Probatur priùs, quia cùm conſuetudo illa legi æquivaleat, certum eſt, quòd ab eadem poteſtate naſci debeat, à qua naſcitur lex, ideſt à voluntate legiſlatoris. Probatur poſterius, quia ſunt multæ conſuetudines, quæ promiſcuè ab omnibus obſervantur, non tamen habent vim legis, eo quòd non ſint introductæ animo obligandi, v.g. recitare tertiò *ave*, ad pulſum campanæ, aſpergere ſe aqua luſtrali in ingreſſu Eccleſiæ, &c. 611. *Conſenſus populi.*

Si verò dubium ſit, an conſuetudo aliqua ſit inducta animo obligandi nec ne, præſumendum eſt, pro negativâ parte, eo quòd in dubio, nemo cenſeatur velle obligari, nec ſine neceſſitate multiplicanda ſint præcepta. 612. *In dubio de obligatione.*

613. Dicendum 5. Ut conſuetudo habeat vim legis, debet introduci per externum uſum, ita de ſe manifeſtum, ut legiſlatori innoteſcere ſaltem poſſit. Ratio ſequitur ex dictis, quia ut conſuetudo habeat vim legis, requiritur conſenſus legiſlatoris; non poteſt autem nequidem tacitè dici conſentire, niſi eam advertat, aut advertere poſſit. Hinc deduci poteſt, non poſſe introduci conſuetudinem per ſolum non uſum, cùm per illum non poſſit manifeſtè modo jam dicto introduci, niſi non uſus ille annexos haberet actus aliquos, qui contrariarentur juris diſpoſitioni, quos ſciens legiſlator exerceri, & non contradicens, cenſetur in non uſum, cui actûs illi conjuncti ſunt, conſentire, & conſequenter conſuetudini per non uſum introductæ.

*Vſus externus, & non uſus.*

614. Dicendum 6. Conſuetudo habet etiam vim abrogandi legem, ſicut introducendi, ſi dictæ conditiones adſint. Hinc dicit Greg. 9. cap. ultimo de conſuetud. *Quòd poſſit juri poſitivo præjudicium generare, ſi rationabilis fuerit & legitimè præſcripta.* Dicta intellige de lege poſitiva humana, quia Lex naturalis aut divina nullâ conſuetudine abrogari poteſt, nec ita conſuetudo dicenda eſt, quam corruptela. Idem eſt de ipſa lege veritatis, *cui* ut ſcribit Tertull. de velandis Virg. *Nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinium perſonarum, non privilegia regionum.*

*Conſuetudo legem abrogat.*

615. Dicendum 7. Lex quoque vim habet conſuetudinem abrogandi: poteſt enim conſuetudo, quæ fuit rationabilis & utilis, propter advenientes circumſtantias fieri irrationabilis & bono communi prejudicans, adeoque non tantùm poſſet, ſed etiam deberet lege aliquâ abrogari. Notandum tamen conſuetudinem, quamdiu rationabilis manet, nec bono communi repugnat, non eſſe facilè obrogandam, nam ut experientiâ conſtat, odioſa eſt conſuetudinis abrogatio, & ut ait S. Aug. Epiſt. 118. *Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

*Lex abrogat conſuetudinem.*

Dicen-

Dicendum ultimò, conſuetudinem eſſe optimam interpretem legum, ut de ea dicitur, de conſuet. l. 36. ff. de leg. quando enim in caſu legis difficultas oritur, quomodo ſervanda ſit aut non ſervanda, ad conſuetudinem rectè ſolet appellari, maximè cùm aliquando habeat vim legis. 616. *Conſuetudo legum interpres.*

## SECTIO XVII.

### *De interpretatione & diſpenſatione Legis.*

Dicendum 1. Poteſt fieri interpretatio in lege humana poſitiva, interpretando legem in aliquo caſu particulari non obligare. Cùm enim legiſlator non poſſit omnes omninò caſus occurrentes prævidere, cenſetur obligationem ſuæ legis velle ſuſpendi, maximè in caſu aliquo, quo juſtum eſt eam ſuſpendi. Hanc interpretationem quilibet poteſt adhibere in caſu, quo opus legis manifeſtè eſſet illicitum, aut bono communi manifeſtè damnoſum. Si verò hoc non ſit manifeſtum, vel recurri debet ad legiſlatorem, ſi adiri poſſit, vel prudenti judicio erit procedendum, ideſt parti tutiori ſeſe conformando, puta tenorem legis obſervando, vel alteri principio moraliter ſe certificanti de honeſtate actûs, ſeſe conformando v. g. judicando practicè quòd legiſlator non velit in caſu tam anxio, ſtante ſuo dubio, obligare. 617. *Interpretatio legis.*

Dicendum 2. Diſpenſatio cadit in legem humanam; poteſt enim legiſlator eximere aliquem ab obligatione ſuæ legis, manente lege in ſuo vigore reſpectu aliorum, in quo diſpenſatio propriè conſiſtit. Poteſt autem hoc legiſlator tam ſecum, quam cum aliis, eo quòd non ſit pejoris conditionis quàm alii; ſic poteſt dare alteri poteſtatem abſolvendi ſe à caſu reſervato, poteſt Papa ſecum diſpenſare in jejunio, voto, &c. 618. *Diſpenſatio.*

Dicendum 3. Diſpenſatio dividitur primò in ordinariam

619. nariam & delegatam, quæ ſubdividitur in eam quæ

*Delegata & ordinaria.* eſt à jure & quæ eſt ab homine; *ordinaria* eſt, quæ alicui competit, ratione officii aut dignitatis, quam habet. *Delegata* eſt, quæ alicui competit, non ratio-

620. ne officii, ſed ſolius commiſſionis. *Delegata à jure* eſt,

*A jure & ab homine data.* quæ datur à tota Eccleſia: *ab homine*, quæ datur ab aliquo particulari ſuperiore. Dantur aliquando illæ diſpenſationes non ipſi perſonæ, ſed officio, item dantur aliquando in favorem tertii, &c.

621. Dicendum 3. Diſpenſatio ſine cauſa conceſſa in

*Diſpenſatio ſine cauſa data: eſt invalida, in jure divino.* voto, juramento & ſimilibus, quorum obligatio oritur ex jure divino, non eſt valida. Ratio eſt, quòd diſpenſans in iis, vel eſſet Pontifex, vel eo in ſpiritualibus inferior; ſed inferior non poteſt diſpenſare in lege ſuperioris ſine juſtâ causâ, ergo. Ratio ulterior eſt deſumenda ex eo, quòd mandatarius non poſſit excedere limites poteſtatis ſibi à mandante conceſſæ, mandans autem hic eſt Deus, qui voluit, ut omnis jurans, aut vovens aliquid, contraheret obligationem, neque poſſet ab illa abſolvi, niſi juſtâ de causâ: aliam enim poteſtatem, Deum Eccleſiæ ſuæ dediſſe, non eſt veroſimile, cùm aliàs magis in deſtructionem cederet illa poteſtas, quam in ædificationem. Hinc peccant graviter ita diſpenſantes, ſi materia quoque ſit gravis.

622. Dicendum 4. Diſpenſatio data in lege poſitiva hu-

*In jure humano eſt valida ſed illicita.* mana ab ipſo legiſlatore, vel alio paris cum illo authoritatis, abſque causa data, etſi ſit valida, eſt tamen illicita. Quòd ſit valida, patet ex eo, quòd tota vis legis pendeat à voluntate legiſlatoris, quando ergo vult, poteſt legis vinculum reſpectu particularis relaxare, cùm nihil penitus obeſſe videatur. Quòd verò ſit illicita, probatur etiam ex eo, quòd peccet infidelitate & abuſu dominii, perſonas accipiens, aliis præbens occaſionem ſcandali, murmurationis, &c.

623. Dicendum 5. Petens ſine cauſa diſpenſationem,

*Sine cauſa petens* peccat quidem petendo & alium ad peccatum inducendo,

cendo, licitè tamen & validè ſine cauſa eâ obtentâ utitur. Probatur prius, quia talis eſt moralis cauſa coöperans peccati legiſlatoris, dum eumdem ad illud inducit. Poſterius autem ex eo patet, quia lex per diſpenſationem illam eſt penitus ablata, etſi peccando ablata ſit. Unde ſicuti licitè uteris pecuniâ à prodigo acceptâ etſi peccârit prodigus, & alius ſi prodigum induxerit: Ita etiam etſi peccet legiſlator ſine cauſa diſpenſando, & alius alterum ad id inducendo, licitè tamen eâ diſpenſatione utitur, & etiam validè, cùm de cætero nihil obſtet, quod actûs validitati officiat. *peccat petendo, validè tamen ea utitur.*

624. *Diſpenſatio, ſubreptitia.*

Dicendum 6. Diſpenſatio ſubreptitia, quando tacetur aliquid de jure requiſitum, vel per ſe ſpectans ad rem poſtulatam, nacta per reſcriptum gratiæ, id eſt, quod in favorem datur, eſt invalida. Ratio eſt quòd diſpenſatio tota pendeat à voluntate diſpenſantis, qui non intendit diſpenſare, quando tacetur aliquid, quo cognito non diſpenſaſſet. Unde ſemper in his addi debet qualitas de jure requiſita, vel per ſe ad rem poſtulatam ſpectans. Hinc in diſpenſatione affinitatis exprimendus eſt non tantùm gradus, ſed etiam aliquando qualitas primi gradus, v. g. an ſit amita, an matertera, &c. Item etiam linea, cùm affinitas inter inæqualiter diſtantes in linea recta abſurdior ſit, quam in tranſverſa, & quandocumque diſpenſationem cum cognitione illius non fuiſſet daturus, qui diſpenſat.

Hoc tamen notandum eſt, rem illam quæ tacetur, debere per ſe ſpectare ad rem poſtulatam; hinc etiamſi quis ſubticeat ſuum nomen, quod ſi cognoviſſet diſpenſans aliquando ex odio, vel inimicitia, non dediſſet diſpenſationem; uti etiam ſi taceatur qualitas extrinſecè ad rem poſtulatam pertinens, v. g. qualis ſit diœceſis, diſpenſatio erit valida, cùm equidem diſpenſatio data eſſet, etſi rem illam cognoviſſet, aut ſaltem juſtè & rationabiliter dari debuiſſet, niſi quid aliud obſtaret.

Dicen-

625. *Obreptitia.* Dicendum 7. Diſpenſatio obreptitia, quæ eſt quando per narrationem falſi, aliquid obtinetur, eſt invalida, ſi ſit cauſa finalis diſpenſandi; non item ſi ſit cauſa ſolummodo movens aut impellens ad diſpenſandum. Tunc autem cenſetur eſſe cauſa finalis, quando ob illud quod narratur, datur diſpenſatio, quod ſi non ſubeſſet, non fuiſſet data; & hanc ſubindicat, communis clauſula: *Si preces veritate nitantur.* Cauſa verò impulſiva eſt illa, quando propter illam abſolutè non diſpenſatur, aliàs non diſpenſandum; ſed tantùm, ut faciliùs diſpenſet, nec talis clauſula hanc comprehendit, ſed tantùm veritatem principalis objecti, ob quod diſpenſat.

Dicendum 8. Quando obtinetur diſpenſatio exprimendo falſum, aut ſubticendo verum, & gratia conceditur à Pontifice etiam cum hac clauſula *motu proprio*, ſi concedatur in gratiam petentis, diſpenſatio eſt nulla, ſi cognitâ veritate diſpenſatio non fuiſſet data, cùm tunc deſit intentio diſpenſandi. Si verò ex merâ liberalitate diſpenſetur abſque petitione prævia, valida erit conceſſa diſpenſatio, cùm ſolummodo detur ex liberalitate, non autem propter hoc, quod falsò allegatur, aut ſubticetur. Nec priori quidquam accedit validitatis, additâ clauſulâ *Motu proprio*: Quia illa defectum intentionis diſpenſandi eſſentialiter requiſitæ non ſupplet.

626. *Ceſſante cauſa diſpenſationis an duret diſpenſatio.* Dicendum 9. Cauſa diſpenſationis ceſſante, non ceſſat diſpenſatio, idque ſive diſpenſatio obtenta executioni mandata ſit, ſive non. Si mandata ſit executioni, omnibus id clarum eſt; cùm effectus non ceſſet, ceſſante cauſa à quâ non ampliùs dependet in fieri aut conſervari. Si verò executioni mandata ſit diſpenſatio, & intereà cauſa ceſſet, nec ideo ceſſat obligatio, quia aliàs nimis magna conſequerentur abſurda: v. g. quòd ſi cum aliquo ex cauſa ordinis diſpenſatum ſit in irregularitate, is denuò fiat irregularis, ſi nolit ordines ſuſcipere; quòd aliàs ille quocum diſpenſatum eſt in voto caſtitatis causâ Matrimonii

monii contrahendi, iterum caſtitatis voto teneatur, ſi Matrimonium inire nolit; quòd quando cum neophyto diſpenſatum eſt in ordine ad dignitatem Eccleſiaſticam, propter probos mores, dignitate privetur, ſi mutet mores. Ratio autem hujus eſt, quòd per diſpenſationem vinculum legis revera ſit abſolutum, quæ abſolutio ut periret, deberet à ſuperiori retractari & reimponi obligatio. Hinc dicitur in reg. jur. in 6. *Factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſteà eveniat, à quo non potuit inchoari.*

Objicies 1. ceſſante causâ ceſſat effectus, ſic ceſſante cauſa Privilegii ceſſat Privilegium, ergo ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſat diſpenſatio. Reſp. Falſum eſt illud principium, quando effectus poſitus, non ampliùs ab illa cauſa dependet in fieri aut conſervari. Sic ceſſante Patre, non ceſſat Filius, qui eſt effectus reſpectu Patris. Deinde ceſſante merè negativè Privilegii causâ, non ceſſat itidem Privilegium; ſed bene ſi ceſſet contrariè. De quo poſtea, de Privilegiis. Vide etiam de lege retractoria ſuperiùs, de promulgatione. 627. *Quando ceſſante cauſa ceſſet effectus.*

Objicies 2. Continuatio diſpenſationis hoc caſu eſt illicita, cùm datio diſpenſationis ſine cauſa ſit illicita: atqui non præſumitur diſpenſantem peccare velle, ergo nec eam velle continuare. Reſp. Multa licitè conſervari, quæ illicitè tamen conceduntur. Deinde continuatio illa non eſt novus aliquis actus, ſed prima diſpenſationis conceſſio non revocata; hinc ſi valeat prima conceſſio, valebit ejuſdem continuatio.

Objicies 3. Si quando diſpenſetur cum aliquo ob ægritudinem in quadrageſima in abſtinentia à carnibus, ſecundùm omnes illa diſpenſatio ceſſat ceſſante cauſa diſpenſationis, ſcilicèt ægritudine. Reſp. Non mirum hoc eſſe, cùm intentio diſpenſatoris cenſeatur illud intendere, quæ intentio nobis ſufficienter conſtat ex praxi Eccleſiæ. Deinde illa diſpenſatio eſt virtute multiplex: cùm enim quilibet dies quadrageſimæ onus habeat jejunandi, tot diſpenſationibus

opus

opus eſt, quot ſunt dies quadrageſimæ: unde ceſſante causâ, ceſſat diſpenſatio ſubſequens.

Hoc tamen notandum eſt: aliquando jura ſtatuere generaliter, quòd ceſſet diſpenſatio ceſſantè causâ, tunc nimirum quando ceſſante causâ, fieret diſpenſatio odioſa, bonis moribus contraria, tertio præjudicans: unde eo caſu de mente legiſlatoris, diſpenſationem retractantis ſufficienter conſtat. Item etiam, etſi aliquando de tali intentione non conſtet expreſsè; conſtat tamen aliquando de illa implicitè, ex praxi & conſuetudine, aut ex rationabili fundamento. Quibus caſibus certum eſt ceſſare diſpenſationem, ceſſante ejus causâ.

628. *Ceſſante fine legis quando ceſſet lex.* Quæres an ceſſante fine legis ſemper ceſſet ipſa lex. Reſp. Si ceſſet finis legis in communi; id eſt reſpectu omnium ſubditorum, tunc ceſſat lex; quia eo ipſo fit lex inutilis. Ceſſante autem in particulari, id eſt reſpectu alicujus particularis, non ideo ceſſat: Ratio eſt, quia ad commune bonum ſpectat, ut omnes, quantum poteſt, ſibi invicem conformentur in agendo, & aliàs quilibet fingere poſſet reſpectu ſui in particulari legis finem ceſſare, cùm natura noſtra ſatis prona ſit ad ſeſe ab obligatione eximendum. Denique ſatiùs eſt, aliquem in particulari ſentire aliquod gravamen quam bonum commune privari ſuâ utilitate.

---

## SECTIO XVIII.

### *De Privilegiis.*

629. *Quid privilegium reale, quid perſonale.* Dicendum primò, Privilegium eſt facultas aliquid faciendi aut omittendi contra communem legem. Dividitur in reale & perſonale. *Reale* eſt, quod conceditur immediatè alicui rei, loco, officio, &c. *Perſonale* eſt, quod immediatè datur perſonæ. Dixi utrobique *immediatè*, quia omne Privilegium datur

datur ſaltem mediatè ipſi perſonæ, cùm utilitatem & commodum perſonæ ſpectet omne Privilegium. Differunt autem hæc Privilegia in eo, quòd reale ſequatur rem, cui immediatè conceditur, ad quemcumque deveniat, niſi aliud jura præſcribant: perſonale autem ſequitur perſonam adeoque per mortem perſonæ extinguitur.

Porrò, in dubio an aliquod Privilegium ſit reale an perſonale, videndum eſt an ſit oneroſum & odioſum communitati, an verò ſit ſimpliciter favorabile: ſi ſit odioſum, præſumendum eſt eſſe perſonale, aliàs reale; quia odia convenit reſtringi, favores ampliari. Si tamen alicui officiato v. g. Epiſcopo Antverpienſi, Abbati S. Michaëlis, &c. Non expreſſo nomine ejus proprio, daretur aliquod Privilegium, cenſeretur eſſe reale, datum officio non perſonæ, adeoque derivare ad poſteros ſucceſſores.

Dicendum 2. aliud eſſe privilegium perpetuum, aliud temporale: reale de ſe eſt perpetuum, niſi aliquando terminus temporis apponatur. Temporale eſt, quod ſolùm durat ad certum tempus, quale eſt perſonale, quod ſolùm durat ad mortem privilegiati, quod datur ad beneplacitum revocandi, aut etiam ſub conditione, cujus eventu ceſſat. Et hæc privilegia extinguuntur morte concedentis, cùm ab ejus voluntate dependeant, quæ ultra vitam ejus non durat. Aliud eſt de privilegio, quod abſolutè datur; illud enim morte concedentis non extinguitur, & in hoc differt à mandato. V. g. qui habet privilegium diſpenſationis in affinitate à Papa, poteſt illo uti, etſi ante executionem illius Pontifex moriatur. Si verò Pontifex Epiſcopo mandet alicui dare beneficium v. g. & ante mortem Papæ non ſit in executione illud mandatum, ceſſat mandatum. 630. *Privilegium perpetuum & temporale.*

Dicendum 3. cùm privilegia ſint leges privatæ, poteſt illa concedere, qui poteſt legem ferre, unde idem poteſt & conſuetudo, quæ habet vim leges 631. *Quinam poſſint concedere privilegia.*

ges introducendi. Hinc ulteriùs ſicut lex aliqua non poteſt eſſe contra commune bonum, ita nec privilegium, etſi poſſit eſſe contra privatum legiſlatoris bonum. Quare non poteſt Papa dare privilegium Laïco, quod cederet in damnum aut diminutionem Eccleſiaſticæ libertatis, & immunitatis.

632. *Poteſt privilegium interpretari.* Dicendum 4. uti lex, ſic etiam interpretationi ſubjacet privilegium. Si ſit odioſum juri communi derogans, ſtrictè erit interpretandum, ad rigoroſam verborum ſignificationem. Si verò ſit favorabile: erit extendendum etiam uſque ad Civilem verborum ſignificationem, quæ latiùs patet, quam pateat naturalis. Sic non tantùm Filii cenſentur juxta civilem ſignificationem legitimi; ſed & legitimati. Ubi verò verba ſunt ambigua, vel ex circumſtantiis de mente concedentis judicandum eſt, vel concedens eſt conſulendus, ſi poſſit conſuli.

633. *Ubi poſſit quis uti ſuo privilegio.* Dicendum 5. poteſt per ſe privilegiatus uti ſuo privilegio, etiam extra proprium territorium: Probatur, quia privilegium ſequitur perſonam, nec locus illud extinguit aut adimit. Dixi *per ſe*, quia per accidens aliquando illo uti non poteſt in alio loco, ratione ſcandali v. g. injuriæ tertio irrogandæ.

634. *Notitia privilegii* Dicendum 6. privilegium quod conceditur alicui particulari; aut communitati exiguæ v. g. Capitulo aut Collegio, non requirit ſolemnem promulgationem, ſed ſatis eſt, quòd de eo authenticè conſtet. Si verò ſit commune privilegium conceſſum v. g. per publicas leges, requirit promulgationem, uti eamdem requirunt leges: Sic lex quâ Eccleſiaſticus eximitur à judice ſæculari, requirit promulgationem etſi ſit clericorum privilegium.

635. *Privilegiatus poteſt agere contra privilegiatum, & quando.* Dicendum 7. poteſt quandoque unus privilegiatus agere contra alium privilegiatum. V. g. aliquis habet privilegium exigendi decimas, alius habet non reddendi; poteſt eo caſu privilegiatus exigere decimas. Ut autem ſciatur quandonam unus privilegiatus agere poſſit contra alium, videndum eſt, cujuſ-

cujuſnam Privilegium oriatur ex ſuperiori poteſtate, quodnam ſit generale & quodnam particulare, ſuperiori enim poteſtate datum derogat dato inferiori, ſpeciale derogat generali. Deinde cæteris paribus videndum eſt, quodnam ſit antiquius inter ea, quæ non ſunt de communi jure, quo caſu prævalet antiquius, ob præſumptam ignorantiam concedentis ſubſiſtendi antiquius, cui ſcienter non voluiſſet derogare. Inter ea tamen, quæ habentur in jure communi, recentius prævalet, quia non habet hic locum prædicta præſumptio, ſed quòd voluerit prævio derogare præſumitur.

Dicendum 8. Non tantùm privilegiatus poteſt, ſed & debet aliquando uti ſuo Privilegio, ſi ſcilicèt non tantùm concernit privilegiatum, ſed ratione alicujus ſtatûs aut ordinis ſit conceſſum. Tunc enim commune bonum obligat ipſum, ad illo Privilegio utendum. Sic v. g. Clericus percuſſus tenetur uti jure & Privilegio Canonibus conceſſo ſtatui Clericali, item ad judicem ſæcularem deductus. 636. *Aliquando eſt obligatio utendi privilegio.*

Dicendum 9. Extingui poſſunt Privilegia per voluntatem concedentis, niſi promiſſio adſit aut juramentum non revocandi: item niſi tale Privilegium conceſſerit translationem Dominii, niſi rurſum communis utilitas Eccleſiæ aut temporalis, revocationem Privilegii neceſſariò exigat. Si tamen dum Privilegium revocatur haberi poſſit occaſio compenſationis in alio, rectè procedet legiſlator revocationem compenſando. Nec refert, quòd antea promiſerit aut etiam juraverit non revocare, quia ejuſmodi promiſſioni & juramento, quod naturam promiſſionis ſequitur, cenſetur adeſſe hæc conditio, *niſi id exigat honor Dei, communis utilitas* aut quid aliud. 637. *Extinctio privilegii.*

Dicendum 10. Priivlegia alicui conceſſa, non ſtatim exſtinguuntur per abuſum, etſi mereantur extingui. Quando enim Privilegii uſurpatio abusûs cauſa eſt, cedit Privilegium aliquando in præjudicium boni communis, quo caſu meritò revocantur 638. *Abuſus privilegii.*

Privilegia. Hincin jure dicitur cap. *Privilegia* de privil. *Privilegium meretur amittere, qui permiſsâ ſibi abutitur poteſtate.* Quòd autem Privilegium non ſtatim ſemper amittitur per abuſum, probatur ex eo, quòd Privilegii privatio ſit pœna, quæ non ſemper ipſo facto incurritur. Aliud eſt, ſi Privilegium datum foret cum eâ conditione, ſi abuſus eſſet cauſa, ipſo facto extingueretur, quòd non ſemper fit. Deinde etiam temperari poſſent Privilegia contrariis legibus, obviando hâc ratione abuſibus, qui irrepunt. Uti fecit in variis Conc. Trid. quoad Privilegia exemptionis regularium ab Epiſcopo, quòd ab Epiſcopo ordinario corrigi, & puniri poſſint, in defectu ſuperiorum, & aliis multis per Concilium Trid. reformatis.

---

## SECTIO XIX.

### *De Lege novâ & Lege veteri.*

DICENDUM primò, ultra legem naturalem ac poſitivam humanam, neceſſaria fuit lex poſitiva divina, eo quòd lex naturalis de ſe non ſit ſatis determinata ad caſus particulares. Hoc perfecit lex divina, quæ dividitur in legem veterem & novam.

639. *Lex vetus eſt bona.* Lex vetus juxta manichæos non eſt à Deo, ſed à Diabolo, eo quòd uſuras permitteret, tyrannica mandaret, ut puta oculum pro oculo, dentem pro dente; quod eſſet jugum intolerabile, &c. Verùm ſecundùm fidem Catholicam Lex hæc à Deo eſt data & profecta, uti apertè definit Conc. Trid. ſeſ. 4. & de lege veteri loquentes Prophetæ Chriſtus & Apoſtoli illam vocent, *Mandatum Dei*, uti ex Scriptura Sacra paſſim conſtat. Etſi autem à Deo ſit exorta, non tamen per ipſum promulgata eſt, uti nec lex nova: nam lex vetus promulgata eſt per Angelos, lex nova per Apoſtolos. Quòd autem permiſerit uſuras,

uſuras, quòd ſtatuerit libellum repudii, & oculum pro oculo, vel eadem permiſit cauſa vitandi majoris mali, vel quia ſtatui legis veteris congruebat, ideſt, timore gubernari.

Denique dicitur *jugum intolerabile*, non abſolutè, ſed reſpectu legis novæ, quod eſt jugum ſuave & onus leve. 640. *Quomodò ſit jugum intolerabile.*

Dicendum 2. Lex vetus fuit ſancta, juſta & bona, juxta hoc ad Rom. 7. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum.* Fuit etiam utilis, cùm *Lex fuerit Pædagogus noſter in Chriſto.* Pædagogus autem vitia oſtendit, virgis regit, & rudimenta docet, ita & L. V. *Per legem enim cognitio peccati*, ad Rom. 3. item oculum jubet reddi pro oculo; denique in figuris docebat rudimenta fidei noſtræ.

Dicendum 3. Non tamen fuit L. V. ſufficiens ad ſalutem, *cùm nihil ad perfectum adduxerit Lex.* Ad Hæb. 7. Gratiam enim non conferebat, ſed promittebat dandam in L. N. unde & Sacramenta L. V. Gal. 4. vocantur, *Vana & egena Elementa*, quia gratiam quam ſignificabant, non cauſabant. *Lex ergo per Moyſen data eſt: gratia verò per Jeſum-Chriſtum facta eſt*, Joan. 1. 641. *L. V non fuit ad ſalutem ſufficiens.*

Dicendum 4. Lex vetus data eſt in Monte Sinaï, die quinquageſimo ab egreſſu ex Ægypto, ideſt in Pentecoſte, prævià per 3. dies Iſraëlitarum purificatione, cum tonitru & fulgure, clangore tubæ, &c. Data verò obligabat lex illa ſolos Judæos quoad præcepta cæremonialia & judicialia, quoad moralia omnes omninò: Si verò quiſpiam vellet tranſire ad illius legis ſocietatem, ad cætera quoque obligabatur. Denique tota lex vetus, etſi non pertinuerit ad Chriſtianos quoad obligationem, pertinet tamen ad illos quoad ſignificationem, quatenus erat figura legis novæ. 642. *Vbinam data & quomodò.*

Dicendum 5. Lex vetus, eo quòd figura erat novæ legis, etſi eſſet imperfecta & jugum intolerabile, 643. *Quomodò abrogata,*

rabile, abrogata eſt quoad Cæremonialia & judicialia, non autem quoad moralia, quæ quia ſunt juris naturæ, non poſſunt non obligare. Huic ſucceſſit Lex nova per Chriſtum data, cui ut umbra veritati, ut flos fructui ceſſit lex vetus. Continet autem hæc lex potiſſimùm triplices leges, morales, in decalogo contentas, Sacramentales contentas in obligatione ſuſcipiendi Sacramenta, & fidei, quibus omnes omninò fideles conſtringuntur.

644. *Quando abrogata.* Dicendum 6. Lex vetus abrogata eſt in morte Chriſti, dum dixit, *conſummatum eſt.* An autem non ſolùm abrogata fuerit & mortua, verùm etiam mortifera, ideſt utrum non ſolùm fuerit obſervantibus inutilis, ſed etiam noxia, acris fuit inter S. Hieronymum & Auguſtinum diſceptatio. Hieronymus volebat non tantùm mortuam, ſed & mortiferam: Hinc, ut Paulum circumcidendo Timotheum, Petrum probando ritus Judæorum excuſet à peccato, docet eos hoc ſimulaſſe, omnibus omnia factos, ut omnes lucrifacerent. Veriùs tamen S. Aug. docet legem veterem quidem fuiſſe mortuam, ſed pro illo tempore non fuiſſe mortiferam, adeoque Paulum & Petrum non ſimulaſſe eadem agendo Judaiſmum, ſed ſolùm oſtendiſſe legem illam non fuiſſe malam. Hinc conſequenter docet Petrum communicando Judæis verè peccaſſe, & ſeriò à Paulo deſuper eſſe reprehenſum. Ratio hujus eſt, quòd omnis omninò ſimulatio ſit mendacium, ſive fiat facto, ſive verbo, prout videri poteſt de mendacio. Poterant tamen juxta S. Aug. illam legem Apoſtoli obſervare, non ex animo Judaiſmum ſimulandi, ſed oſtendendi eam fuiſſe bonam, non ſuperſtitioſam, prout calumniabantur aliqui gentiles.

645. *Differentia legis V. & legis N.* Dicendum 7. Multifariè differt lex vetus à lege nova. 1. Quòd foret figura legis novæ: quòd ſolùm promittebat temporalia, lex nova, æterna: quòd regebat minis & timore, unde & Judæi forſan pallidi & luridi coloris, quem timoris paſſio cauſat: lex

nova

nova verò regat amore; in illa dicebat Deus, *Ego Dominus veſter*, in hac *Ego Pater veſter*: Illa jugum intolerabile, hæc onus leve & jugum ſuave. Onus interim eſt premens humeros, cujus gravamen amor, legis novæ proprium pignus alleviat & ſuave facit. Lex vetus gratiam promittebat, hæc gratiam confert. In illa omnes ſervi in timore, in hac liberi ſub gratia conſtituti, & erepti de duriſſimo Pharaönis Imperio, ideſt Diaboli. Famoſum illud timoris & amoris diſcrimen fuit in hac materia S. Auguſtino familiare, adeò ut dicat. lib. cont. adimant. c. 17. *Breviſſima & apertiſſima differentia duorum teſtamentorum, hæc eſt: timor & amor. Illud ad veterem, hoc ad novum hominem pertinet*. Hinc etiam alibi docet, quòd multi pertineant ex Chriſtianis ad legem veterem, *Quos*, ait, *facit carnalis timor & cupiditas ſervos, non Evangelica Fides, Spes & Charitas liberos*. L. 3. ad Bonif. c. 4.

# CAPUT SEXTUM.

## De Conſcientiâ.

## SECTIO PRIMA.

### *Quid ſit Conſcientia & quotuplex.*

Dicendum I. *Conſcientia* dicta à cordis ſcientia, eſt dictamen intellectûs practici, quo aliquid judicatur ut bonum aut malum ſequendum vel fugiendum. Differt à ſynderesi, quòd ea ſit habitus intellectûs nobis naturaliter inditus, qui verſatur circa prima principia *practica* ſivè agibilia, v.g. *bonum eſt faciendum, malum omittendum*. Qui habitus nequit eſſe falſus, non magis quam prima principia, quæ per ſe vera ſunt & certa. Huic 646.

*Quid conſcientia, quid ſynderesis.*

cognitioni ſupervenit conſcientia, & ex illis principiis deducit aliquid agendum aut omittendum, eo quòd ſit malum vel bonum. Unde ſicut ſyndereſis verſatur circa actiones in univerſali, dictans omne malum eſſe fugiendum, omne bonum eſſe amplectendum; ita Conſcientia verſatur circa actiones in particulari, dictans hanc vel illam actionem eſſe bonam & amplectendam, vel eſſe malam & fugiendam.

647. *Judicium conſcientiæ.* Dicendum 2. Judicium Conſcientiæ propriè eſt concluſio ſyllogiſmi practici, cujus majorem ſtatuit ſynderesis, minorem verò ſtatuit Lex naturalis, divina vel humana; v. g. ſynderesis dictat malum eſt omittendum, lex naturalis ſubſumit, atqui furtum eſt malum, ex quibus conſcientia concludit, ergo hoc furtum eſt omittendum, eò quòd ſit malum. Ex quo patet, quomodo conſcientia ſit proxima actuum humanorum regula, quia per illam omnis alia lex & regula applicatur ad actum.

648. *Objectum conſcientiæ eſt verum.* Dicendum 3. Objectum conſcientiæ, cùm illa ſit actus intellectûs, eſt verum. Quòd ſit actus intellectûs, ſatis patet ex eo, quòd proprium conſcientiæ officium ſit dirigere & illuminare voluntatem, quod

649. *Quomodò conſcientia dicatur bona.* ad intellectum pertinet. Etſi enim conſcientia aliquando dicatur bona aut mala, bonum verò & malum ad voluntatem propriè ſpectant, nihil planè obſtat, cùm non ſit formaliter bona vel mala, ſed ſolùm radicaliter & directivè, quatenus benè vel malè voluntatem dirigit: ſic etiam intellectus aliquando dicitur malus & bonus, ut Pſ. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.*

Dicendum 4. Objectum conſcientiæ, ſi recta ſit, coincidit cum objecto prudentiæ, ideſt, quod ita eſt practicè verum, ut non poſſit ei moraliter loquendo

650. *Judicium prudentiæ.* ſubeſſe falſum. Prudentia enim antequam aliquid dictat, debitam diligentiam præviè adhibet in indagandâ veritate alicujus, omnes circumſtantias conſiderando, & ſincerè ſine animi præoccupatione de rei veritate cogitando, ac demum reſolvit & dictat aliquid

aliquid eſſe bonum & ſequendum aut malum & fugiendum. Hinc, etſi judicium ſpeculativum, quod prudentia ſupponit, aliquando ſit falſum, judicium tamen prudentiæ abſolutè eſt verum. De quo vide quæ dicam de virtutibus cardinalibus.

Ex quo ſequitur quòd objectum conſcientiæ rectæ debeat eſſe moraliter certum, ideſt, quando conſiderandis conſideratis aliquid ita judicamus ſe habere, ut moraliter loquendo illud aliter habere ſe nequeat: Huic autem certitudini morali, non officit omnis dubitatio ſeu trepidatio in contrarium, ſi ſcilicèt non ſit fundata, nec ſuſpenſum meritò teneat operantem: non enim ſemper in agendo tantam certitudinem obtinere poſſumus, ut nullus ſit amplius generali dubitationi locus. 651. *Objectum conſcientia recta debet eſſe moraliter certum.*

Dicendum 5. Aliud judicium in dictamine conſcientiæ vocatur ſpeculativum, aliud practicum. Speculativum eſt, quod verſatur circa actionem aliquam in generali, v. g. omne furtum eſſe illicitum, omne homicidium, &c. Practicum verò eſt, quod verſatur circa aliquam actionem in particulari, v. g. hanc actionem furti eſſe illicitam, hoc homicidium eſſe malum. Verùm etiamſi accidere ſoleat, ut quandocumque ſpeculativum judicium verum eſt, verum ſit & practicum; non tamen ita neceſſariò & ſemper fit, ſed practicum quandoque ſpeculativo repugnat; quod tunc fieri poteſt, ſi ſit aliqua ratio in contrarium, practicum judicium mutandi. V. g. ſpeculativè quis judicat omne homicidium eſſe malum & fugiendum, poſſet quis practicè judicare, hoc homicidium eſſe licitum, ſi adſit ratio aliqua hoc judicandi, puta ſi neceſſarium ſit ad juſtam vitæ defenſionem, aut ſi fiat authoritate publicâ. Ex eodem capite provenire poteſt, quod judicium ſpeculativum ſit dubium, & judicium practicum ſit certum: v. g. ſi quis attentis omnibus de aliqua ſpecifica actione ejuſque bonitate attendendis, dubius hæreat de ejuſdem bonitate, & ad opus ſe accingens judicet ob aliud mo- 652. *Iudicium ſpeculativum & practicum.*

 tivum

tivum ſuperveniens de honeſtate hujus actus in particulari, ratione alicujus circumſtantiæ accedentis, practicè judicet eſſe eam hîc & nunc licitam, poteſt inquam hoc judicium practicum eſſe certum moraliter, etſi ſpeculativum ſit dubium.

653. *Judicium conſcientia eſt practicum.* Ad quæ notandum eſt, conſcientiam ejuſque dictamen propriè ſitum eſſe in judicio practico, cùm ſit regula proxima noſtrorum actuum, quod propriè convenit judicio practico, non ſpeculativo.

Dicendum 6. Prout judicium illud practicum eſt certum, & rectum, aut dubium, aut erroneum, dicitur conſcientia certa, dubia, erronea aut recta. Hinc conſcientia primò dividitur in conſcientiam rectam ſeu veram & conſcientiam erroneam. Secundò alia eſt conſcientia dubia, alia probabilis, alia ſcrupuloſa. De quibus ſingillatim agemus.

## SECTIO II.

### *De Conſcientia recta & obligatione hanc ſequendi.*

654. *Conſcientia recta.* Dicendum primò, conſcientia recta eſt judicium rectum, de re aliqua, rectè judicans eam eſſe licitam aut illicitam. Aliquando judicium illud eſt ſpeculativè verùm ſeu rectum, aliquando practicè.

655. *Speculativè & practicè verum.* Speculativè verum eſt, quando judicat de re aliqua prout in ſe eſt. Practicè autem verum dicitur, quando de objecto judicamus, non quidem prout in ſe eſt, ſed in ordine ad operationem, adeo ut juxta illud conſcientiam formare poſſimus in operando. Contingit autem, unum eſſe verum & aliud falſum correſpondens. v. g. in communi exemplo Jacob accedentis ad Liam: judicabat Jacob Liam eſſe ſuam, prout illud judicium erat ſpeculativum, erat omninò falſum, cùm non eſſet ſua, & ſpeculativum judicium tendit in objectum ſecundùm ſe conſideratum, & ut eſt à parte rei: ut autem erat practi-

practicum, erat omninò verum, quia in ordine ad operandum rectè judicabat, hanc quæ in talibus circumſtantiis ſibi objiciebatur, eſſe ſuam.

Dicendum 2. Ut conſcientia rectè formetur, attendenda ſunt omnia quæ pro qualitate perſonæ, & dignitate materiæ attendi debent & poſſunt. Ut enim rectè de aliquo opere in particulari judicemus, neceſſe eſt adhibere illam diligentiam, quam rei qualitas & quantitas negotii poſtulat & requirit. Quâ adhibitâ, ſi adhuc erret intellectus in judicando, rectè tamen voluntas procedet illum ſequendo in praxi, & diciturintellectus practicè verus, & prudens; cùm ille prudenter illud agat, aut omittat quod poſt debitam diſcuſſionem judicatur bonum aut malum, fugiendum aut amplectendum. 656. *Modus formandi conſcientiam.*

Dicendum 3. Quandocumque ita judicat practicè intellectus, ut modo dictum eſt, tenetur quilibet judicium illud ſequi, adeo ut peccet, ſi contra illud agat. Ratio hujus eſt, quòd voluntas ſit potentia cæca, adeoque ſequi debet ducem ſuum & lumen, quantùm poteſt, quod præſtat intellectus: Hinc ſi judicium illius negligat & ſequi nolit, periculo manifeſto cadendi ſe exponit, & amando periculum perit, dum peccare convincitur. Quod ita verum eſt, ut tametſi judicium illud eſſet ſpeculativè falſum, tamen ad ſui ſequelam nos obligaret, cùm ſequi teneatur judicium practicum de honeſtate actûs, propter rationes mox dictas. 657. *Non licet agere contra conſcientiam.*

Dicendum 4. Si aliquando judicium practicum verum ſit quod ſequimur aut ſecuti ſumus, exiſtente judicio ſpeculativo falſo, ſi tandem falſitas ejus innoteſcat, deponenda eſt & immutanda conſcientia, cùm eo caſu judicium practicum correſpondens deſinat eſſe rectum & fiat vincibiliter erroneum, quod voluntas ſequens de cætero, erraret & peccaret, idque ſcienter & advertenter, dum error innotuit. 658. *Aliquando deponenda.*

SECTIO

## SECTIO III.

### *De Conſcientia erronea.*

659. *Conſcientis erronea.* Dicendum primò, Conſcientia erronea eſt, quæ dictat aliquid eſſe bonum quod malum eſt, aut ècontra aliquid eſſe malum, quod bonum eſt, & eo titulo fugiendum aut amplectendum. Error

660. *Vincibiliter & invincibiliter erronea.* autem ille, ſive ignorantia poteſt eſſe vincibilis vel invincibilis, quod ſequitur conſcientia erronea, adeò ut vincibiliter aut invincibiliter erret in aliquo judicando, ratione cujus culpabilis eſt aut inculpabilis, prout poteſt vel non poteſt contrarium ſcire & judicare, & conſequenter ad illud voluntatem operantis dirigere. Quo caſu attendendum eſt, an adhibita ſit diligentia in perquirenda rei veritate, quæ adhibenda neceſſariò erat pro gravitate materiæ; an paſſionibus ſuis judicium rectum pervertentibus non nimium indulſerit, an in dubio alios conſulere neglexerit, quos conſulere poterat & alia his ſimilia.

661. *Non licet agere contra erroneam conſcientiam.* Dicendum 2. Sive ſit error vincibilis, ſive invincibilis, quo conſcientia dicitur erronea, obligat tamen in tantùm ejuſmodi conſcientiæ dictamen, ut numquam contra illud agere ſit licitum. Ratio illius eſt, quòd conſcientia ſit proxima regula actionum noſtrarum, adeoque illam ſive verò ſive falsò dictantem aliquid eſſe bonum & ſequendum, non ſequi & agere oppoſitum, vel dictantem aliquid eſſe malum & ideo fugiendum, & agere rurſum oppoſitum, malum eſt & illicitum. Ratio autem hujus à priori eſt hæc: quòd voluntas deſumat ſuam bonitatem & malitiam ab objecto & fine & aliis, non prout ſunt in ſe, ſed prout voluntati ab intellectu proponuntur, cujus ductum voluntas ſequi debeat. Hinc docet Apoſtolus ad Rom. 14. *Omne quod non*

*eſt*

*eſt ex fide, peccatum eſſe:* Quod etſi de fide propriè dicta, cum S. Auguſtino in ſano ſenſu exponi poſſit, communiter tamen de conſcientia exponunt alii, adeo ut omne id ſit peccatum, quod non eſt ex fide, hoc eſt, quod fit contra conſcientiæ dictamen.

Dicendum 3. Hoc tamen diſcriminis eſt inter conſcientiam vincibiliter erroneam & inter invincibiliter erroneam, quòd invincibiliter errantem etiam poſitivè ſequi debeas, dum operaris, prout rationes adductæ ſatis confirmant: vincibilis autem, non obligat ad eamdem poſitivè ſequendam, ſed ne contra eam agamus, quamdiu durat: Item obligat, ut eam deponamus & vincamus. Si enim illam quis ſequatur, culpabilis eſt & peccat, prout ignorantia culpabilis eſt, nec operantem ex ea excuſat: Nemo autem obligatur ad peccandum, adeoque nec ad vincibilem conſcientiæ errorem poſitivè ſequendum. Unde ad errorem illum deponendum conſtringitur, adhibendo media ad illum vincendum neceſſaria, quæ adhibere poteſt & debet. 662. *Vincibilem deponere debes, invincibilem poſitivè ſequi.*

Dicendum 4. Agens contra conſcientiam, peccat eo peccato, quo ſe peccare exiſtimat: Hinc ſi agat contra conſcientiam dictantem aliquid eſſe præceptum ſub mortali, quòd ſolùm eſt ſub veniali, mortaliter peccat; imò ſi illud, quod dictat conſcientia ſub mortali eſſe vetitum, foret opus in ſe bonum & honeſtum, peccaret mortaliter dicto caſu. Ratio eſt, quòd voluntas feratur in tale malum, quod & quale ab intellectu voluntati proponitur: vult enim talis mortaliter peccare, quantùm de ſe eſt, etſi opus in ſe ſit bonum. Si verò quiſpiam vincibiliter ignoret gravitatem peccati v. g. mortalis, & conſcientia dictaret illud eſſe ſolùm veniale, non ideò ſolùm venialiter peccaret, ſed mortaliter, eo quòd ignorantia illius utpotè culpabilis, à culpa non excuſet: Scire enim poterat & debebat, actum illum eſſe mortale peccatum & ut tale omittendum. 663. *Quo peccato peccet agens contra conſcientiam.*

Dicendum 5. Agens contra conſcientiam peccat ea pec-

peccati ſpecie quâ peccare ſe exiſtimat, eo quòd talis habeat voluntatem exequendi peccatum illud, cujus oppoſitum conſcientia dictat. Ratio hujus quoque oritur ex anterioribus, quòd voluntas feratur in ſuum objectum, non prout eſt à parte rei, ſed prout ab intellectu judicatur & proponitur: quo fit ut contrahat illam ſpecie malitiam, quam in eo eſſe apprehendit intellectus.

664. *Quomodò peccet, qui generaliter putat aliquid eſſe malū.* Dicendum 6. Si quis cum conſcientia dictante aliquid eſſe malum generaliter, non determinando an ſit veniale an mortale, agat contra talem conſcientiam, veriùs eſt, quòd aliquando non peccet mortaliter. Pro cujus intelligentia notandum eſt, talem operantem indagare debere & poſſe de quantitate malitiæ, vel non: Deinde an in eo cenſeatur eſſe talis affectus, ut abſolutè malum illud velit exequi, ſive veniale ſit, ſive mortale: ſi adſit talis voluntas, vel etiam ſi indagare debuerit & potuerit de malitia talis actûs, an ſit mortalis an venialis, peccat mortaliter; prior ratione affectûs ſimul & periculi proximi peccati mortalis: poſterior autem quoque dum voluntariè ſaltem interpretativè eidem periculo ſe exponit, negligendo indagare rei veritatem, quam indagare poterat & debebat. Si verò aliqui idiotæ, v. g. ruſtici & ſimiles aliqua agant, quæ generaliter ſciunt eſſe mala, ſic ut nec interpretativè in iis ſit talis affectus, aut etiam conſideratio de veritate indaganda eis occurrat, aut etiam indagare non poſſint, videntur tales ſolummodò peccati venialis accuſandi. Si tamen de malitia actûs ſatis conſcii, poſſint ſufficienter de quantitate malitiæ indagare, dum aliquando ſubdubitant de ejuſdem gravitate, cenſentur mortaliter delinquere, popter interpretativam voluntatem ſeſe periculo mortalis exponendi, dum negligunt ea adhibere, quæ debent, ut ſeſe rectæ rationi conforment in agendo. Deinde dum quiſpiam hoc negligit dicto caſu, præſumitur eum ita eſſe affectum, ut velit actum illum ſive venialiter ſive mortaliter malum

malum operari, nec multùm malitiæ gravitatem curare aut attendere.

665. *Quando conſcientia invincibiliter erronea deponi debeat & poſſit.*

Dicendum 7. Uti conſcientia vincibiliter erronea deponi debet, ita conſcientia invincibiliter erronea aliquando deponi poteſt, non tamen ſemper pro libera voluntate. Si enim quis conſcientiam formaverit ex rationibus inſufficientibus, ſic tamen ut alias indagare nec potuerit nec debuerit, & ita invincibiliter ſit erronea, non erit illi liberum eam deponere, niſi habeat rationes alias in contrarium, quæ conſcientiam prædictam variant & transformant. Quamdiu enim nihil aliud occurrit in contrarium, militant antedictæ rationes, ob quas, etſi invincibiliter, putet eſſe licitum quod operatur, conſcientiæ regulam ſequi debet, niſi contraria argumenta conſcientiam præviam deponant & extinguant: ſine rationibus enim ſe moraliter certificantibus agere, imprudentiæ eſt. Aliud eſſet de conſcientia formata ſine ullis rationibus, quæ ſicut ſine illis nata eſt, ita ſine eiſdem poteſt extingui & deponi, de quo, agendo de conſcientia ſcrupuloſa.

666. *Perplexitas.*

Dicendum 8. Ex conſcientia erronea numquam provenit, quòd homo ſit abſolutè perplexus, ideſt, debeat abſolutè peccare, quoquo ſe vertat. V.g. ſi quis erroneè putet aliquid omittere eſſe peccatum mortale, quod tamen agere vel committere ſit tale: peccat ille mortaliter, ſi illud committat, cùm ſit peccatum mortale, ut ſupponimus: ſi verò non committat ſed omittat, peccabit etiam mortaliter ratione conſcientiæ dictantis illud omittere eſſe peccatum mortale, ſupponimus autem errorem eſſe vincibilem. Ad hoc tamen reſp. prædictum non eſſe abſolutè perplexum: quia perplexus ille eſt, qui neceſſariò peccat, quocumque ſe vertat, qualis non eſt in dicto caſu, cùm peccare non poſſit, ſi conſcientiam deponat, quam debet & poteſt deponere, uti ſupponitur, cùm ſit vincibilis.

Quæres quid ſi invincibiliter putet utramque contradi-

667. traditionis partem eſſe peccatum, v. g. in feſto non audire Sacrum, & non aſſiſtere ægro, ſi ad Sacrum vadat. Reſp. talis equidem non eſt perplexus ex eo, quòd talis in hoc caſu judicare poſſit, in qua parte ſit plus periculi, quo debitè attento, practicè format conſcientiam non eſſe peccatum, illud omittere, in quo eſt minus periculi. Dum enim duo præcepta occurrunt incompatibilia, ſive quæ ſimul obſervari non poſſunt, obligat illud quod fortiùs ſtringit, alio ceſſante. Deinde, etſi forſan judicare pergat, quòd aliud, quod omittit ſit peccatum, judicium illud ſolummodò eſt ſpeculativum, quod per aliud practicum eliditur. Hæc autem conſcientiæ formandæ methodus omnibus in tali caſu poſitis eſt ſatis propria, ut eligant id quod ipſorum judicio magis arctè obligat, & in quo minus apparet periculi.

*Quid aget putans utramque eſſe peccatum, tam omittere quam actu ponere.*

---

## SECTIO IV.

### *De Conſcientia Dubia.*

668. Dicendum primò, conſcientia dubia eſt, quando intellectus hæret ſuſpenſus, nec determinari poteſt ad ferendum judicium de re aut actione aliqua. Porrò dubium eſt duplex ſcilicèt poſitivum & negativum, prout etiam conſcientia dubia. Dubium poſitivum eſt, quando pro altera parte ſtant rationes & argumenta veritatem ſuadentia. Negativum, quando pro neutra parte ſuppetunt rationes aliquæ, quæ eam ſuadeant, v. g. hæc, arenæ maris ſunt numero pares.

*Quid dubium poſitivu, quid negativū*

669. Aliud quoque eſt dubium juris, aliud eſt dubium facti. Dubium juris propriè ſpectat ipſum jus, quando dubitamus an lex lata ſit legitimè, an obliget. Dubium facti eſt, quando dubitamus de ipſo facto, an aliquid factum ſit nec ne.

*Dubium juris, dubium facti.*

Aliud denique eſt dubium ſpeculativum, aliud practi-

practicum. Dubium ſpeculativum eſt dum dubitamus de aliqua re in genere aut in ſpecie ſive in univerſali, v. g. an contractûs aliqui ſint liciti, v. g. an licitum ſit pingere die Dominico. Dubium practicum eſt, quando hîc & nunc dubito, an hic contractus v. g. quem jam inire volo, ſit licitus, an mihi hîc & nunc pingere liceat? 670. *Dubium ſpeculativum & practicum*

Dicendum 2. Etſi communiter dubium ſpeculativum conſequi ſoleat dubium practicum, tamen aliquando poteſt quis agere cum conſcientia ſpeculativè dubia, ſed practicè certâ. v. g. ſtante dubio de honeſtate alicujus actûs indeterminati, poteſt intellectus eſſe moraliter certus de individuo actu, quem vult homo hîc & nunc operari, idque propter motivum accedens, moraliter me de eodem actu certificans. Sic ſubditus ſpeculativè dubitat de honeſtate actûs alicujus, ſed ſuperveniente præcepto ſuperioris, fit de eadem practicè certus.

Dicendum 3. Agere cum conſcientia practicè dubia, eſt peccatum. Ratio eſt, quia talis ſeſe exponit periculo peccandi, & à recta ratione errandi, ergo. Aliud eſt, quando dubium eſt merè ſpeculativum, quia homo etiam ſtante dubio ſpeculativo rectè procedit, ſi tamen ſit practicè certus de honeſtate actûs, quòd fieri poſſe, jam mox oſtendi. 971. *Peccat qui dubiâ conſcientiâ operatur.*

Dicendum 4. Ad deponendam conſcientiam dubiam, requiritur diligens inveſtigatio veritatis, quam rei & perſonæ qualitas requirunt, ut periculum errandi caveatur. Deinde ſi eâ factâ, appareat ratio aliqua, (non enim ad libitum dubia conſcientia deponi debet) Ratio autem illa nobis ſuggeri poteſt prædicto remedio inveſtigationis, v. g. conſulendo doctiores, libros & alia: Cùm enim ſæpè contingat hominem non poſſe aſſequi omnimodam certitudinem de honeſtate actûs, ſatis eſt quòd per rationes aliquas, ſufficientes tamen ad inducendam certitudinem moralem, moraliter de honeſtate actûs certificetur, etſi generale dubium concurrat. 672. *Requiſita ad deponendam dubiam conſcientiam.*

Quæ-

673. *Senſus hujus, In dubiis melior eſt conditio poſſidẽtis.* Quæres quo ſenſu verum ſit hoc juris axioma: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis?* Reſp. Etſi hoc aliqui extendant ad omnem prorſus dubitationem & poſſeſſionem, rectè tamen intelligi tantùm poſſe de tali dubio, quo quis detentus prævиè fecit debitam diligentiam perquirendæ rei veritatis, quâ factâ, dubio perſeverante poſſidens manet dubitans de rei veritate. Deinde ſolummodo habet locum in iis rebus, quarum uſus poteſt reddi licitus per authoritatem humanam: Unde poſſeſſio non ſola eximit, aut alium in conſcientia confirmat, niſi dubitans debitam adhibeat diligentiam ut veritatem perquirat, vel niſi ſuperior authoritas illius rei uſum poſſit reddere licitum. Hinc deduco, multas poſſeſſiones eſſe iniquas nec à peccato excuſare, ut puta, dum poſſidens non perquirit veritatem quam facilè perquirere poſſet; vel etiam dum poſſeſſio eſt in dubio alicujus, quod eſt de jure naturæ, cujus uſum authoritas aliqua non poteſt facere licitum, niſi ipſa æquitatis ratio: quo caſu tutior pars erit eligenda. De quo plura in ſequentibus.

674. *In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Quæres ulteriùs, quo ſenſu intelligendum ſit aliud hoc axioma: *In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Reſp. hoc regulariter verum eſt in iis dubiis, in quibus cùm determinata veritas haberi non poteſt, à parte minùs tuta non concurrit aliud motivum, quod operantem moraliter certificat de honeſtate actionis: quo caſu excipitur ab hac regula, etiam ſequendo illud, quod non eſt tutius: ſufficit enim ad prudens judicium &

675. *Non ſemper ſequi debet quod ſit tutius.* opus, quòd operans de eodem moraliter ſit certus, illud eſſe honeſtum. Quando enim advenit tale motivum moraliter aliquem certificans, practicè certus eſt de honeſtate actûs, et ſi ſpeculativè aliquando de eadem ſubdubitet. Si verò tale motivum non concurrat, regulariter tutior pars erit eligenda. Undè patet non ſemper illud quod tutius eſt, eſſe eligendum, multò minùs non ſemper tutiſſimum, ut aliqui à nobis doctum eſſe vociferantur.

Ultimò

Ultimò pro hac materia notandum, dum dubitatur an aliquid factum ſit, non ſemper pro tali facto præſumi, ſed factum illud eſſe probandum. v. g. dubitat aliquis an lex ſit lata, an votum emiſerit, non præſumitur legem latam aut votum, ſed illud eſſe probandum. Dixi *non ſemper*, quia tunc pro tali facto præſumi poteſt, quando urgentes rationes illud factum eſſe ſuadent, quas quia non attendit dubitans, cùm attendere poſſet & deberet, in dubio perſeverat. Aliud eſſet ſi de facto conſtaret, v. g. legem latam eſſe aut votum eſſe emiſſum, dubitaret tamen an ſit revocata, aut an ſub mortali voverit: Tunc enim præſumptio ſtat pro lege & voto adeoque pro eorumdem obligatione. 476. *Factum non debet præſumi, ſed probari.*

## SECTIO V.

### *De conſcientia Probabili.*

DICENDUM primò, probabile eſt, quod innititur rationibus aut authoritati majoris momenti, ſic ut pro oppoſito nihil ſit convincens. Unde patet, defectu certitudinis de altera parte aliquid dici *probabile*, quod quidem apparet verum ratione alicujus motivi, quod tamen inſufficiens eſt ad inducendam certitudinem. 677. *Quid probabile.*

Patet itidem probabilitatem eſſe filiam ignorantiæ ortam ex eo, quòd quis in aliquo caſu alicujus rei certitudinem aſſequi non poſſit. Si probabilitas oriatur ex rationibus, dicitur *intrinſeca*: Si verò authoritati innitatur, erit *extrinſeca*. 678. *Probabilitas filia ignorantia.*

Dicendum 2. Unius authoritas non ſufficit abſolutè ad conſtituendum aliquid probabile. Ratio hujus eſt, quòd aliàs multa eſſent probabilia, quæ tamen ſunt juri naturæ & divino contraria; quæ convincentibus argumentis ab aliis evertuntur: Deinde in nulla ferè materia morali author aliquis abſurdè non egit, ratione cujus illud eſſet probabile. Neque 679. *Unius authoritas.*

etiam ſatis eſt, quòd author ille ſententiam ſuam aliquâ veroſimili ratione coloret: cùm in omni morali materia veriſimilis ratio ab effræni intellectu & libitu, poſſit facillimè reperiri.

Dicendum 3. Poterit tamen unius authoritas reddere aliquid probabile reſpectu alicujus in particulari. v. g. poteſt authoritas Confeſſarii, Paſtoris, reddere aliquid probabile reſpectu pœnitentis aut ſubditi, eo quòd ex tali authoriate ſubditus ille argumentum aliquod ſufficiens conſtituendo aliquid probabile, poſſit obtinere.

Deinde ſi Author ille ſit magnæ authoritatis, & ſententiam ſuam validis argumentis communiat, aliorum fundamentis ſolidè reſpondeat, poterit quoque aliquando ſententiam aliquam reddere probabilem. Quod etſi ſæpè locum habeat in SS. Patribus & magnæ authoritatis authoribus; non ita tamen promiſcuè, aut etiam ſæpè locum habet in aliis neotericis, quorum 100. authoritas vix unius S. Patris authoritati æquivalet, dum ſeſe ſequuntur ut Grues, non diſcuſsâ veritate, ut experientia conſtat. Hinc generaliter proſcripſit S. Facult. Theol. Lovanienſis hanc ſequentem: *Authoritas unius Doctoris probi & docti, reddit opinionem probabilem*, tamquam in materia morali perniciosſam, & innumeras abſurditates invehentem.

Dicendum 4. Eo ipſo deſinit alicujus rei probabilitas, cujus falſitas convincentibus argumentis oſtenditur: Neque ex eo perſeverat probabilis, quia perſuadere ſemper poſſit, ab aliquo Doctiore argumenta illa forſan eſſe ſolubilia. Hac enim perſuaſione, ſi ſufficeret ad probabilitatem in hoc caſu continuandam, quælibet abſurda poſſent reddi probabilia: Etſi enim aliquid nobis falſum demonſtretur, judicare poſſumus, alium aliquem argumentis ejus falſitatem demonſtrantibus, poſſe reſpondere.

Dicendum 5. Etſi practicè probabile correſpondere ſoleat probabili ſpeculativo, aliquando tamen

con-

contrarium evenit. *Speculativè probabile* eſt, quando de actione aliqua in generali judicatur eam probabiliter eſſe licitam aut illicitam. *Practicè* verò, quando de aliqua actione, quam hîc & nunc agere volumus, probabiliter de ejuſdem honeſtate judicamus. Ex quo patet, quod ſtante probabilitate ſpeculativa de ſpecie alicujus actionis, poſſit moraliter quis eſſe certus de individua actione, propter aliquam circumſtantiam advenientem, quæ eamdem licitam reddit aut illicitam.

Dicendum 6. Falſum eſſe, quod illud, *Quod ſpeculativè probabile eſt, ſit practicè certum.* Ratio ejus eſt, quòd ſpeculativè probabili ſæpè adhæreat practica probabilitas, nec poſſit aliquis niſi probabili fundamento actum exercere. Neque veroſimile eſt, quòd quando quidpiam ſpeculativè probabile judicatur, poſſit ſolo titulo illius probabilitatis tutò illud exerceri. Pro quo ſit — 680. *Pſeudo axioma.*

## SECTIO VI.

*An liceat ſequi ſententiam merè probabilem.*

Affirmant plurimi recentiores, in tantùm ut aliqui docere non vereantur hoc verum eſſe, etſi tenuiſſimo probabilitatis filo veſtitum ſit, quod probabile dicitur: imò etiamſi probabiliter ſolùm conſtet illud eſſe probabile. Unde alius quiſpiam omnes opiniones probabiles per ſe docet eſſe æquè tutas & ſecuras, & quot opiniones unius authoritas faciet probabiles, reddet & illas licitas & in praxi ſecuras. Quid? quòd alter addat, etiam in articulo mortis, ubi de æternitate jacitur alea, licitè & prudenter ſequi quis poſſit ſententiam probabilem relicta probabiliori. Circa quæ hæc nuper eſt à S. Sede condemnata: *Generatim dum probabilitate ſive intrinſeca ſive extrinſeca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus* — 681. *Dogmata perverſa.*

*non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Contra quæ perniciosa quorumdam dogmata.

682. *Qui bene operatur, debet eſſe moraliter certus de honeſtate operis.* Reſp. Et dico primò, nemo prudenter ſequitur opinionem merè probabilem. Ratio eſt, quia ut quiſpiam prudenter procedat, requiritur, ut ſit moraliter certus de actionis honeſtate: ideſt, quando ita de illa eſt certus, ut moraliter loquendo non poſſit ſubeſſe falſum: Atqui ille, qui ſequitur opinionem merè probabilem, non eſt moraliter certus de honeſtate operis, cùm mera probabilitas hoc non adferat, ſed operantem in formidine juſtâ & fundatâ de oppoſito detineat: Unde cum tali formidine

683. *A ſimili.* operans exponit ſe periculo peccandi. Sicut enim imprudenter ageret, qui ſumeret potum, quem probabiliter putat eſſe venenatum, & quem probabiliter putat non eſſe talem, eo quòd ſeſe periculo mortis exponeret, ſumendo talem potum, de quo non eſt moraliter certus, eumdem non eſſe venenatum: ita etiam imprudenter agere cenſetur, qui ſolâ probabilitate ſe ad actum accingit, eo quòd, quamdiu manet probabilitas ſola, maneat incertitudo de honeſtate operis, quacum ſi opus exerceat, ſeſe periculò exponere convincitur.

684. *Motivum probabilitati adveniens licitam facit aliquando actionem.* Dicendum 2. Quando probabilitati alicujus accedit aliquod motivum, quod operantem moraliter certificat de honeſtate operis, poterit agens prudenter procedere, cùm morali certitudine ſuffultus operetur, quod ad prudens exercitium ſufficere, omnes admittunt. Hoc autem motivum ſæpè oritur ex ipſa probabilitate juris humani, eo quòd quiſpiam juſtè & prudenter præſumere poſſit, non eſſe mentem legiſlatoris in caſu probabilitatis, animos ſubditorum conſtringendi: quod ſæpè patet ex eo, quòd legiſlator ſciat in lege ſua ab aliis aliud fieri, ſi ſolùm conſtet probabiliter eſſe licitum, cujus probabilitas proinde eum non latet, adeoque adeſt conniventiæ titulus, quòd non velit ſubditos in obſervantia ſuæ legis, ultra gradum probabilitatis obligare.

Aliud

Aliud tamen dicendum eſt in jure naturæ, & paſſim in jure divino, de quo poſtea.

Dicendum 3. Qui ſe conformans huic principio (*Qui operatur juxta probabilem opinionem, prudenter & tutò operatur*) opus aliquod exercet, non eſt moraliter certus de honeſtate operis, adeoque ſe exponit periculo peccandi. Ratio eſt, quòd principium illud ſit ſolùm probabile ad ſummum, imò repugnans rectæ rationi, ut in 1. concluſ. jam demonſtravimus. Deinde, etſi plurimi hoc axioma venditent & proponant tamquam primò verum, tamen ex dicta concluſione oſtenditur eſſe primò falſum, dum rectæ rationi repugnat, imò & SS. Patribus & innumeris authoribus, adeò ut aliorum hoc beneplacitum, axioma illud probabile, nedum primò verum fabricare nequeat, aut pro eo venditari poſſit. Deinde nota, axioma illud petere principium: quæſtio enim eſt, an prudenter procedat ſoli probabilitati innixus, nec ne, adeoque principium quæſtioni æquivalet, quæ per tale principium reſolvitur. 685. *Non procedit tutò qui juxta probabile ſolum procedit.*

Dicendum 4. Minimè pro ſententia contraria adduci poteſt, hoc juris axioma: *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis.* Ratio eſt eadem cum mox data: hoc enim eſt quod quæritur, an in caſu ſolius probabilitatis poſſideat aliquis libertatem agendi, quam nemo poſſidet, quamdiu quid aliud in contrarium obſtat, quod juſtam errandi formidinem ingerit, uti hîc fit. Quamdiu enim ſola adeſt probabilitas, adeſt & periculum peccandi, uti oſtendimus, unde & libertas agendi ceſſat & extinguitur. Adde, quòd principium illud propriè habeat locum in foro externo & rebus ab eodem pendentibus, puta in præſcriptionibus, &c. In aliis autem, nec illo uſi ſunt Eccleſiæ antiſtites, nec uti poſſunt, ſed hoc uſurparunt: *In dubiis tutior pars eſt eligenda.* 686. *Poſſeſſio libertatis.*

Dicendum 5. In caſu neceſſitatis licitè ſequi quis poteſt, ſententiam probabilem, etiam in materia de Sacramentis. Ratio eſt, quòd hoc caſu occurrat prin- 687. *Caſus neceſſitatis.*

 cipium

cipium aliquod moraliter certificans operantem de honeſtate talis actûs; puta, quòd in extremis extrema tentanda ſint, adeò ut periculi formidinem neceſſitatis caſus abſtergat.

Objicies, datam à nobis Doctrinam non eſſe naturæ noſtræ proportionatam, cùm nobis impoſſibile moraliter ſit, in omnibus habere certitudinem de actûs honeſtate. Reſp. rectæ naturæ conſentaneum eſſe, ut non niſi moraliter certus de operis honeſtate quiſpiam ad opus ſuum exeat, aliàs periculo pec-
688. candi obnoxius. Deinde non requiritur hîc omnimo-
*Moralis* da certitudo, aut Metaphyſica, ſed ſufficit moralis,
*certitudo.* id eſt, quam quilibet habere poteſt, dum adhibet illa, quæ neceſſariò adhibere debet, pro qualitate & quantitate materiæ & perſonæ. Nec inde conſcientiarum perplexitates oriri natæ ſunt, uti cauſantur plurimi; nam experientiâ conſtat, contrariâ nobis opinione conſcientias perturbari, adeò ut dum ſecuritatem conſcientiæ ſimulant, conſcientiæ formidinem & remorſum ſentiant. Adde ex alia ſententia laxari leges & conſequenter corruptæ naturæ relaxari fræna, ex quo quid aliud niſi communitatum perturbatio naſci poterit & effrænis licentia cauſari?

689. Objicies 2. Innumeros Doctores contrarium do-
*S. Igna-* centes, adeo ut quipiam aſſignent 200. alii 45. alii
*tius.* 159. imò quod S. Ignatius in ſuis conſtitutionibus à Pontificibus approbatis velit ſuos obedire, *Ubi peccatum non præcipitur*. Reſp. docent authores omnes, prudenter non procedere illos, qui abſque morali certitudine operantur: qualiter non operari, ex ratione probavimus, eos qui ſoli probabilitati innituntur. Unde cenſendum eſt, authores pleroſque requirere ultra probabilitatis gradum, motivum aliquod moraliter certificans de honeſtate actûs, dum docent licitum eſſe ſequi opinionem probabilem. Alii, ſi qui ſint, non ſine offenſa timoratorum hucuſque docuerunt ſolam probabilitatem certificare de actûs honeſtate operantem. Quòd autem ad S. Ignatium attinet,

net, certum eſt ex prædictis verbis, eum requirere aliquod motivum certificans nos moraliter de honeſtate actûs: dum enim probabilia ſuppetunt motiva, & advenit præceptum ſuperioris, advenit motivum tale, quatenus moraliter certi ſumus, licitum eſſe ſequi ſententiam probabilem, ſi ſuperior hoc injungat.

Objicies 3. Apoſtolus ad Rom. 14. apertè docet licitum eſſe ſequi opinionem probabilem, dum ait, *unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, qui ſenſus non fuit niſi probabilis, quem tamen ſequi mandat Apoſtolus. Reſp. imprimis juxta varios interpretes hoc idem eſt, quòd quiſque in ſuo ſenſu certus ſit & plenè perſuaſus, ſe aut non manducando aut manducando cibos lege vetitos, non peccare, ſed Domino manducare aut non manducare. Deinde agit Apoſtolus contra illos qui fratres judicabant, judicantes eos peccare, qui cibis illis veſcebantur, ubi tunc temporis cæremonialia illa, etſi forent mortua, non tamen erant mortifera: unde dicit Apoſtolus, *Quiſque in ſuo ſenſu abundet*. Nihil ergo ad rem noſtram dicta objectio. 690. *Apoſtol.*

Quæres ultimò, an ergo qui hinc inde probabili fundamento innititur, nec poteſt ſe reſolvere ultra probabilitatem, non poſſit licitè operari. Reſp. quod non poſſit ſtante tali intellectûs pendentiâ inter duo merè probabilia: Ratio eſt, quòd deſit judicium prudentiæ, ideſt judicium de morali certitudine actûs. Unde hoc caſu inveſtigari debet novus titulus, cui ſe accommodet, qui operari intendit, cui conſcientiam ſuam conformet, ut puta conſulendo doctiores, confeſſarios, attendendo ad regulas debitas, &c. Aliàs in dubiis tutior pars erit eligenda. Hinc, ſi judex videat partes litigantes, habere motiva æquè probabilia, vel bonorum diviſibilium æquali diviſione, vel aliâ compenſatione litem dirimere tenetur, cùm quælibet pars jus habeat æquale ad rem, de qua litigatur: ſi verò in cauſa criminali ſit judex hoc caſu, inclinare ſe debet in benigniorem partem, cùm in dubiis potius 691. *Iudex in re probabili.*

tiùs ſavendum ſit reo, quam actori: ita quoque procedendum eſt in aliis ſimilibus. Si enim aliâ viâ procedat judex, facilè corrumpi poterit, aut perverſâ intentione aut alio motivo inordinato, & injuſto. Unde rectè S. Amb. ſerm. 20. in Pſ. 119. *Bonus*, ait, *judex nil ex arbitrio facit ..... ſed juxta leges & jura pronuntiat.*

## SECTIO VII.

*An licitum ſit ſequi opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliori, quæ ſit tutior.*

Respondent recentiores probabilitatum patroni continuò affirmativè, etſi etiam ſit caſus in jure naturæ, quamvis etiam in materia Sacramentorum, dummodo ſolùm opinionem, quam ſequuntur, conſtet probabiliter eſſe probabilem. Aliud docent nos Scriptura Sacra. SS. Patres & ipſa æquitatis
692. ratio. Hinc Dicendum 1. Non eſſe licitum in praxi ſequi opinionem probabilem relictâ probabiliori, quæ ſit magis tuta. Probatur primò ex Sacra Scriptura Math. 7. ubi dicit ſalvator: *Quam anguſta porta & arcta eſt via, quæ ducit ad vitam & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Si verò liceret ſequi opinionem merè probabilem, etiam in concurſu probabilioris & tutioris, non anguſta eſſet porta, non arcta ad vitam via, maximè cùm unius authoritas conſtituendæ probabilitati ſufficiat: Nec ſit fermè una in re morali Theologica opinio, quin ab aliquo ventiletur & pro probabili venditetur.

*Non licet ſequi probabilem relictâ probabiliore.*

693. Deinde S. Bern. l. de præcept. & diſp. c. 14. docet ad bonam actionem duo requiri: *Charitatem in intentione & veritatem in electione*, adeo ut altero deficiente mala ſit actio. Atqui ſequens probabilem minùs tutam in concurſu probabilioris magis tutæ, non eligit, quod ſibi verius videtur, ſed quod verius eſt

*S. Bern.*

eſt repellit & repudiat. Idem docet S. Chryſoſt. hom. 44. in Math. ubi docet, quòd ſicuti ex præcepto prudentiæ tenemur eligere veſtes meliores, ſic etiam ex eodem teneamur eligere, quod judicamus verius, non enim in rebus corporis prudentior debet eſſe homo, quam in rebus animæ. 694. *Chryſoſt.*

Idem probat & ratio ſæpiùs jam adducta, quòd ad rectè operandum requiratur, ut homo ſit moraliter certus de honeſtate ſui operis, aliàs ſe exponet periculo peccandi. Sic malè & imprudenter ageret, qui ſumeret potum quem probabiliùs crederet eſſe venenatum. Adde, quòd ſi quis probabiliùs exiſtimaret, ſe amicum ſuo opere offenſurum, quam ſi opus illud omitteret, ſi nihilominùs opus exequeretur, cenſeretur parvi facere alterius amicitiam. Unde qui ſequitur opinionem probabilem minùs tutam, relictâ probabiliori magis tutâ, periculum amare convincitur. 695. *Ratio.*

Objicies 1. Pontifices ipſos ſæpè ſecutos eſſe probabilem minùs tutam, diſpenſando in variis, in quæ tamen probabiliter non cadit diſpenſatio, & à quibus abſtinendo tutiùs proceſſiſſent. Reſp. contrarium in uſu eſſe tam in rota, quam S. Congregatione docet nos Proſper Fagnanus utriuſque ſignaturæ Referendarius. Deinde, ſi qui Pontifices aliter practicati ſint, reddent rationem ſuæ villicationis, cùm in uſu ſuæ poteſtatis fallibiles ſint & peccabiles. Unde addit præfatus Proſper, ibidem obſervari hanc regulam: *in dubiis tutior pars eſt ſequenda*, & quæ apparet probabilior. 696. *Praxis Pontificū.*

Objicies 2. licitum eſt ſequi quod eſt bonum, licet contrarium ſit melius, ergo etiam licitum eſt ſequi quod eſt probabile & tutum, etſi oppoſitum, ſit probabilius & tutius. Reſp. N. C. cùm bonum etiam comparatum ad melius, ſit abſolutè bonum: probabile autem comparatum ad probabilius non eſt tutum, nec licet ſequi illud in praxi, uti oſtenſum eſt. Neque verum eſt, ex eo quòd aliud dicitur tutius, aliud

697. aliud eſſe quoque tutum, ex eo quòd comparativum ſoleat importare poſitivum, cùm *tutius* in hoc caſu non ſit comparativum reſpectu *tuti*, ſed potiùs adverſativum, quale eſt 1. cor. 7. ubi Apoſtolus dicit. *Melius eſt nubere, quam uri* : Uri enim indubiè non eſt bonum.

*Probabile ad probabilius cõparatum non eſt tutum.*

Objicies 3. Varia jura, quæ apertè dicunt, quòd in dubiis benignior pars præferri debeat, aut ſaltem poſſit. Reſp. Jura illa omnia quæ adferri poſſent,
698. intelligenda ſunt juxta expoſitionem l. *ſemper* ff. nov. de regulis juris, ubi dicitur quòd opinio benignior præferri debeat in dubiis facti, in infligendis pœnis & aliis caſibus ibidem expreſſis. Deinde notandum eſt, opinionem benignam in jure dici, opinionem quæ favet viduis, orphanis, egenis : Item quæ favet teſtamentis, matrimoniis, &c. Aliàs quando opinio dicitur benigna, quæ ſit minùs tuta & ſolùm probabilis, non erit benigna, ſed potiùs maligna, ſi omittatur probabilior, quæ ſit tutior. Deinde in decret. cap. 3. X de ſponſal. decernit Pontifex: *In his quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus.* Unde & S. Aug. relatus in *can. Si quis, de pœnit. diſtinct. 7. tene*, ait, *certum, dimitte incertum.* Et alibi : *Graviter ille peccaret, in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quòd certis incerta præponeret.*

*Quod opinio benignior in jure.*

999. Objicies 4: Hucuſque à variis doctoribus longo tempore edoctum eſſe, adeoque ipſa conſuetudine poſſeſſionem inductam, ſequendi probabile minùs tutum, relicto probabiliori, quod ſit tutius. Reſp. cum Gregorio Pont. in can. 5. diſt. 8. *Si conſuetudinem fortaſſis opponas, advertendum, quod Dominus dicit : Ego ſum Veritas & Vita : Non dixit : Ego ſum conſuetudo, ſed veritas.* Et rurſum can. 9. diſt. 8. *Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.* Unde conſuetudo veritati contraria, nequit eſſe rationabilis, neque contra illam præſcribere. Deinde poſſeſſio ſolum fundat juſtum titulum, quando eſt paci-

*Conſuetudo.*

pacifica: jam autem omni tempore uſus ille probabilitatum turbatus eſt, cùm ut ait vinc. Lyrinenſis cap. 9. *Mos ille in Eccleſia ſemper viguit, ut quo quiſquam foret Religioſor, novellis adinventionibus contrairet.* Denique cûm uſus probabilitatis antedictus, rectæ rationi contrarietur, uti oſtendi, imò aliquando juri naturæ, nec longiſſimi temporis conſuetudo contra jus & æquitatem naturalem præſcribere poteſt.

---

## SECTIO VIII.

### *An & quomodo aliquando Liceat ſequi opinionem probabilem in iis, quæ ſunt contra jus naturæ.*

Dicendum primò, numquam per ſe loquendo licitum eſſe ſequi ſententiam merè probabilem, in iis quæ ſunt contra jus naturæ. Ratio eſt, quòd nullâ conſuetudine, nullâ diſpenſatione, aut præſcriptione fieri poſſit, ut quod eſt de jure naturæ non obliget, cùm ſint illa de jure naturæ, quæ ſunt per ſe mala, ſive quæ conveniunt aut diſconveniunt naturæ rationali, ut tali, quæ ſi naturæ ſemel conveniunt, ſemper neceſſe eſt convenire. Hinc S. Auguſt. l. de mendacio c. 7. Docet, *opera* Per se, sive, *omnimodè mala, nullo cauſæ bonæ obventu, nullo quaſi bono fine, nullâ velut bonâ intentione facienda eſſe: ea quippe opera hominum, ſicuti cauſas habuerunt bonas aut malas, nunc ſunt bona, nunc mala, quæ non ſunt per ſe ipſa peccata.* 700. *Non licet ſequi merè probabile in iis, quæ ſunt juris naturæ.*

Dicendum 2. In caſu tamen juſtæ neceſſitatis, licitum quandoque erit agere juxta opinionem probabilem, etiam in iis, quæ ſunt contra jus naturæ. Sic conjux dubitans de valore matrimonii bonâ fide contracti, poterit reddere debitum conjugi petenti, etſi probabiliter tantùm judicet, ſeſe poſſe reddere. Item dum dubitatur de potentia conjugum, jura permit- 701. *Caſus neceſſitatis.*

permittunt per triennium ſibi miſceri conjuges, ubi tantùm probabile iis eſt, ſe accedere ad verum conjugem, cùm ſæpè poſtea deprehendatur, matrimonium illud fuiſſe nullum.

Objicies, juxta dicta, ignorantia juris naturæ non eſt invincibilis; deinde cùm ſit ſemper idem jus, ſemper obligat etiamſi bono fine, bonâ intentione, & quocumque bonæ cauſæ obventu contra jus illud quis operatur. Reſpondent aliqui in dubiis partem tutiorem eſſe ſequendam, & in concurſu duorum præceptorum legis naturæ amplectendum & obſervandum eſſe, quod magis ſtringit. In hoc caſu autem occurrit præceptum juſtitiæ, de reddendo debito, & præceptum non fornicandi, quæ cùm ſimul hoc caſu obſervari nequeant, obligat quod ſtrictiùs ſtringit, ſcilicèt lex juſtitiæ de reddendo debito, ubi etiam obſtat jus tertii; ſcilicèt conjugis.

702. *Ignorantia facti in jure naturæ.* Verum obſtat & rogari poteſt quomodo equidem lex non fornicandi ceſſet in dicto caſu, cùm nullo bonæ cauſæ obventu juxta S. Auguſtinum lex illa ejuſve obligatio ceſſet. Quare melius reſpondent alii, in his & ſimilibus caſibus intervenire ignorantiam facti, quæ ſecundùm omnes à peccato excuſat, etiam in iis quæ ſunt juris naturæ: Unde excuſatur Jacob accedendo ad liam, quæ non erat ſua. Sic etiam quando in caſu antepoſito reddit alter debitum conjugi petenti, quem dubitat an ſit verus maritus, eo quòd aliunde obſtet dubium de negando debito legitimo marito, cenſetur eſſe ignorantia facti, quòd ſit verus pro hoc caſu urgente maritus, & pro tali ſit cenſendus, caſu quo contingat non eſſe verum maritum.

SECTIO

## SECTIO IX.

### *De Conſcientia ſcrupuloſa.*

Dicendum primò, Conſcientia ſcrupuloſa propriè eſt, judicium aliquod intellectûs, quo aliquid ex frivolis rationibus æſtimatur eſſe bonum aut malum morale, adeoque trepidatur timore in agendo, ubi non eſt timor. Vulgus tamen per abuſum *Scrupuloſos* nuncupat, qui ſuæ ſalui intentiores, omnes peccati occaſiones ſollicitè declinare ſatagunt, v. g. non fabulandi in Eccleſia, non intrandi tabernas. Illi enim non habent ſimilium rerum ſcrupulum, ſed conſcientiam fundatam & juſtis rationibus innixam. 703. *Quid conſcientia ſcrupuloſa.*

Dicendum 2. Poteſt ſcrupuloſus, imò aliquando debet agere contra conſcientiam ſuam ſcrupuloſam. Quòd poſſit, certum eſt; cùm ex levi fundamento ſcrupulus ortus, non poſſit præjudicare judicio moraliter certo de honeſtate actûs, orto ex rationibus planè fundatis. Quinimò conſultiſſimum hoc eſt, ſcrupuloſis remedium, contra ſcrupulos judicio moraliter certo ſeſe dirigere & procedere. 704. *Conſcientia ſcrupuloſa deponenda.*

Debet autem contra eamdem conſcientiam procedere, dum adeſt lex actum præcipiens, dum timetur grave damnum aut quid ſimile. Unde notandum eſt, quòd agens contra conſcientiam erroneam aut ſcrupuloſam, non agat abſolutè contra conſcientiam, quod illicitum eſſe ante diximus: ſed eundem agere quam maximè juxta dictamen conſcientiæ, quod dictat errorem eſſe deponendum, formidinem inanem eſſe abjiciendam, & judicio moraliter certo eſſe operandum. Denique notandum eſt, quòd conſcientia dubia uti & ſcrupuloſa, non ſit propriè dicta conſcientia, quâ determinatè & abſolutè judicamus ob certas rationes aliquid eſſe licitum aut illicitum. Conſcientia autem dubia nihil determinatè dictat, ſed in dubio

bio hæret ſuſpenſa: ſcrupuloſa verò non abſolutè dictat aliquid, ſed ſolùm ob inane motivum aliquid ſubeſſe putat & timet, quod reverà non ſubeſt.

Dicendum tertiò: Quando ſcrupuloſus agit contra conſcientiam ſcrupuloſam, debet reputare eam eſſe talem. Si enim reputet fundatam eſſe conſcientiam, & eo non obſtante contra talè conſcientiæ dictamen operetur, peccabit contra conſcientiam operando: etſi enim conſcientia ſcrupuloſa in rei veritate non ſit conſcientia propriè dicta, eſt tamen in hoc caſu tali æquivalens, adeoque morali judicio contra conſcientiam agit, & peccat: Ut autem ſcrupulum deponat, aut reputet eum eſſe talem, non requiritur tanta ratio; cùm ſicuti levi cauſa naſcitur, ſic levi cauſa interimi poſſit ſcrupulus.

705. *Signa ſcrupuloſorum.* Dicendum 4. Signa undenam cognoſci poteſt, an quiſpiam ſit ſcrupuloſus, ſunt ſequentia. 1. Si conſtet aliquem ſolitum in omnibus ſine fundamento dubitare. 2. Si ſit melancholicus, & imaginationibus variis aſſiduè occupatus. 3. Si de variis aſſiduè interroget, nec reſponſo ſufficienti acquieſcat. 4. Si ridiculâ & extraordinariâ cautelâ in agendo utatur. 5. Si quæ ab aliis timoratis ſine ulla formidine fiunt, ab eo ut illicita formidentur.

706. *Cauſæ ſcrupuloſorum.* Dicendum 5. Cauſæ conſcientiæ ſcrupuloſæ ſunt. 1. Ignorantia, quâ quis motivo ſufficienti inniti ignorat, aut quâ tale ut inſufficiens repudiat. 2. Occulta ſuperbia, quâ quis proprii cerebri alterius judicio non vult te ſubdere. 3. Inordinatus timor & inconſtantia. 4. Complexio corporis, quæ ſit nimis frigida, aut melancholica, debilitas cerebri, quæ timorem inordinatum & ſuſpiciones varias inducunt. 5. Conſortium cum ſcrupuloſis familiare. 6. Lectio librorum, conditionem & captum excedentium. 7. Diaboli tentatio. 8. Ipſe Deus, qui ſcrupulis ſuos quandoque trahit ad ſe.

707. *Medicina ſcrupuloſorum.* Dicendum 6. Cognitâ causâ morbi, facilè eſt adhibere morbo medicinam. Unde in primis ſciant ſcrupu-

ſcrupuloſi, nos de rebus agendis non poſſe nec debere habere omnimodam certitudinem de honeſtate actûs, ſed ſufficere moralem, quæ ſita eſt in eo, quòd quis adhibuerit ea, quæ adhibenda ſunt, ut veritatem perquirat. Hinc ſi adhiberent ea, quæ adhibenda ſunt, & iis ſeſe conformarent, facili negotio ſcrupulis eſſet valedictum. Deinde pro ut ex diverſa cauſa oriuntur ſcrupuli, diverſa quoque reſpectivè remedia ſunt adhibenda. Primæ ergo cauſæ antedictæ, ideſt ignorantiæ, adhibenda eſt Doctrina ſana & recta. 2. Proprii judicii tenacitas perfringenda, eorum fundamenta, eorum doctrinam refellendo, imò aliquando deridendo, & ſubjectionem intellectus omnibus mediis inducendo.

3. Injungendo, ne ab aliqua fundata opinione, ſine manifeſta cauſa diſcedant, ſed cui ſeſe ſemel juſtè conformarunt, eidem adhæreant, niſi aliud manifeſta ratio dictet.

4. Adhibenda ſunt remedia, medicorum præſcripto frigiditatem cerebri, melancholiam, ſeu atram bilem temperantia & diminuentia.

5. Conſortium & familiaritas illa penitus erit interdicenda.

6. Libri ejuſmodi auferendi, potius Catechiſmi ſubminiſtrandi, qui ſæcularibus paſſim magis conveniunt, quam ſubtilitates ſcholaſticæ.

7. Oratio, ne nos inducat Deus in tentationem, cùm in ipſo eripiamur à tentatione. 8. Non ita fugiendum, quam deſiderandum.

Quomodo autem Confeſſarius cum ſcrupuloſis procedere debeat, vide in materia de pœnitentia, de Confeſſario.

SECTIO

## SECTIO X.

### An & quomodo voluntas noſtra debeat eſſe conformis voluntati divinæ, ad hoc ut ſit recta.

*Recollectis iis quæ de divina voluntate dicta ſunt tract.* 1. *c.* 3.

708. *Conformitas actus boni ad voluntatem divinam.* Dicendum primò, voluntatem noſtram ut recta ſit, debere eſſe conformem voluntati divinæ; nec poſſe eſſe non rectam, ſi illi concordet. Prior pars probatur ex eo, quòd divina voluntas ſit ipſa lex æterna, cui omnis alia lex conformari debeat, & à qua omnis moralis rectitudo dependet. Probatur poſterius: quia voluntas divina, ſi non eſſet recta, non eſſet voluntas Dei, adeoque eſt ipſa rectitudo moralis, ſive ipſa bonitas, cui proinde opus concordans, non poteſt non eſſe bonum & rectum.

Objicies Deus vult Patrem alicujus mori, hoc autem Filius velle non poteſt, cùm hoc pietati Patri ſuo debitæ repugnet. Reſp. Obſervandum eſt, eſſe duplex volitum, unum materiale, aliud formale. Materiale eſt objectum voluntatis, ſeu quod quis
709. *Volitum materiale & formale.* vult: Formale verò, eſt motivum ſeu cauſa formalis voluntatis, ideſt illud, propter quod aliquis vult. Quo notato, dicendum eſt, quòd omnis voluntas poſſit concordare cum voluntate Dei in volito formali, cùm ratio quare Deus aliquid vult, ſemper ſit juſtiſſima. In volito tamen materiali poterit voluntas diſcrepare, uti in hoc caſu, quo Filius vult vitam Patris, cujus mortem vult Deus. Deinde etſi poſſit voluntas in hoc caſu, & in hoc volito diſcordare à voluntate Dei, non tamen debet, ſed poteſt etiam Filius ſe conformare voluntati Dei, tam in volito materiali, quam formali, volendo ſcilicet mortem Patris ob eamdem rationem, ob quam illam vult Deus.

Dicen-

Dicendum 2. Si voluntas Dei abſoluta de aliquo objecto nobis ſit manifeſtata, illicitum erit noſtræ voluntati illud efficaciter nolle. Ratio eſt, quòd illud apertè ſit reſiſtere divinæ voluntati. Dixi utrobique *efficaciter*, quia ſi Deus ſolùm comminatoriè aliquid ſtatuiſſet, poſſem contrarium efficaciter nolle. Deinde, etſi Deus aliquid efficaciter ſtatuiſſet, & inſuper de eodem nobis conſtaret, licitum tamen eſſet, ſimplici affectu voluntatis contrarium velle, interim efficaciter ſeſe divinæ voluntati conformando.

Dicendum 3. Non poteſt quis licitè velle contrarium illi, quod vult Deus, propter eamdem rationem. Ratio eſt, quia ratio ob quam Deus aliquid vult, eſt juſtiſſima, adeoque non poteſt eſſe juſta ratio volendi contrarium.

# CAPUT SEPTIMUM.

## De Gratiâ.

### SECTIO PRIMA.

*Quinam in hâc materiâ præcipuè ſint imitandi.*

Ut in abſcondito Divinæ gratiæ myſterio, quod totius Chriſtianæ Fidei baſis eſt & fundamentum, & ut ait S. Auguſtinus l. 2. c. 17. de pec. merit. *Quâ Chriſtiani ſumus*, ſine offendiculo procedamus, primum omnium ſubſidium præbet Scriptura Sacra. Clariſſimè id confirmat S. Doctor præfato loco, ubi ait: *Gratia, quâ Chriſtiani ſumus, quæ in Scripturis Sacris præcipuè commendatur & in ſapientiæ atque ſcientiæ theſauris in Chriſto abſconditis, quantùm exiſtimare audeo, præcipuè docetur & diſcitur.* 710. *Sacra Scriptura.*

 Unde

Unde & tractans illud Apoſtoli ad Rom. 9. *non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*: ita ſubdit Enchiridii c. 98. *Altiſſimo ac ſaluberrimo Sacramento, univerſa facies, atque ut ita dixerim vultus ſacrarum ſcripturarum bene intuentes, id admonere invenitur, ut qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Dicendum 2. Hoc verò intelligentes, quòd Scriptura Sacra propriâ interpretatione non fiat, quod de arcano illo divinæ gratiæ myſterio pronuntiat ſcriptura, exponunt & illuſtrant SS. Patres. Nec promiſcuè omnes, ſed ii, qui ex profeſſo arcana ejus patefecerunt. Alii enim ante hæreſim Pelagii ortam, de libero

711. *SS. PP.* arbitrio ſingulariter, de gratia verò non ita ſollicitè pertractarunt, cùm Manichæorum Verſutiam oppugnarent, quæ liberum arbitrium abnegare ſatagebat. Exortâ autem hæreſi Pelagianâ gratiæ Chriſti inimicâ, ſpecialiùs de divina gratia tractarunt SS. Patres. De hoc caſu agens S. Aug. l. 16. de civit. c. 2. ita dicit. *Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs prædicantur.* Quæ cùm ſua novitate prædicationis & diſputationis fides nova videretur, appoſuit S. Doctor l. de dono perſ. c. 23. ſe non novam fidem, ſed veterem, *quam numquam Eccleſia Chriſti non habuerat, contra novos hæreticos, novâ ſollicitudine defendere.*

712. *S. Auguſt.* Dicendum 3. Præ cæteris SS. Patribus, qui de divina gratia pertractarunt, præcipuè attendi debet ad S. Auguſtinum, *Cujus Doctrinam ſecundùm prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana ſequitur & ſervat Eccleſia*, ait Joan. 2. Epiſt. 3. de qua Clemens VIII. *Doctrinam Auguſtini, Eccleſiæ quaſi dotem relictam eſſe aſſeverat*: de qua Hormiſdas Epiſt. 70. dicit, quòd illud, quod Romana id eſt Catholica ſequitur & aſſeverat Eccleſia de libero arbitrio & gratia Dei, in libris Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum poſſit cognoſci: quem S. Doctorem Concilium Carthagine & Milevi convo-

convocatum anno 416. juſſit pro omnibus contra Pelagium dicere cauſam : ex cujus ſcriptis Canones Concilii Carthag. Arauſicani, & aliorum concinnati ſunt, ad profligandas hæreſes gratiæ inimicas: ad cujus de gratia doctrinam, in celebri diſputatione de auxiliis inter Patres Prædicatores & Societatis, ita ſollicitè intendi præcepit Clemens VIII. *Ut totam hanc diſputationem ad normam doctrinæ S. Auguſtini de gratia, adſtringere ſtatuerit. Prima ejus ratio erat, quòd ſi teſte B. Proſpero ferè initio lib. cont. Collatorem, viginti annorum ſpatio, acies Eccleſiæ ita dimicuit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Auguſtino duce vicerit: oportet*, ait, *etiam ut in cauſa ſimili eumdem ducem agnoſcamus & ſequamur.*

*Secunda cauſa* ERAT: *quòd idem Sanctus nihil videtur prætermittere eorum quæ ad præſentes controverſias pertinent. Quandoquidem ſi agatur de neceſſitatè gratiæ, eam deſcribit dicens: eſſe neceſſe, ut nos præveniat, comitetur & ſequatur. Si de vi, aſſerit vires efficaciſſimas præbere voluntati: ſi de effectu, teſtatur facere de nolente volentem: ſi de modo, aſſerit Deum id facere omnipotentiſſimâ facultate: denique ſic diſſolvit objectiones, ut doceat liberum arbitrium, non tantùm benè cum illa gratia, quam defendit, cohærere: ſed etiam fier liberius, quando ab illa fuerit liberatum.*

*Tertia cauſa* ERAT: *quòd cùm multi Pontifices prædeceſſores* EJUS, *Doctrinæ S. Auguſtini de gratia tam acres fuerint aſſertores & vindices, ut quaſi hæreditario jure eam in Eccleſia relinqui voluerint: æquum non eſt, ut* PATIATUR *illam hac quaſi hæreditate privari.* Hactenus Pontifex in bulla *Quamvis nemini*, &c.

Dicendum 4. Ex his omnibus fieri manifeſtum, quâ fronte recentiores aliqui ita exorbitent, ut ſcribere non vereantur, unus quidem, in materia de gratia, *Sibi in hac parte non probari Doctrinam S. Auguſt. ſed exiſtimare aliter philoſophandum.* Unde & alibi, quaſi illuſoriè cogitat in hac materia: *Ab Auguſtino & aliis, qui id docuerunt, petere poſſumus, undenam hujus voluntatis* 713. *S Auguſt. injurii.*

*Dei certiores fuerint effecti?* Dum rurſum aſſerit, *Ex ea* (de gratia) *opinione Auguſtini cogimur incidere in ſententias Pelagii*, &c. Alter verò Auguſtinum docet hic ſub caligine poſitum, cujus recentem doctrinam, ſi advertiſſet S. Præſul, *Neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii noſtri libertatem fuiſſent auſi negare.... neque ex Auguſtini opinione, concertationibuſque cum Pelagianis, tot fuiſſent turbati, ad Pelagianos defeciſſent*, &c. Alius rurſum, ſibi omnes maximè ſuſpectos dicit, qui nihil clamitant niſi Auguſtinum. Quæ omnia refutare neceſſe non eſt, cùm primâ fronte, ſuâ abſurditate Catholicorum oculos & animos offendant.

## SECTIO II.

*Quænam in hac materia fugienda, ac 1. de Hæreſi Pelagiana.*

714. *Duo extrema.* INPRIMIS declinanda hîc ſunt duo extrema, ne commendando gratiam, liberum deſtruamus arbitrium; Deinde ne adſtruendo libertatem arbitrii, deſtruamus & gratiam. Hoc olim accidiſſe objicit Julianus Auguſtino l. 4. c. 8. Prioris partis erant Manichæi, qui teſte S. Auguſt. l. 1. c. 2. ad Bonifacium, *Dicunt, quia primi hominis peccato, ideſt Adæ liberum arbitrium perierit.* Quibus accedunt Calviniſtæ & Lutherani, ita deprædicantes gratiam, ut deſtruant arbitrii libertatem. Poſterioris partis præcipui ſunt Pelagiani, qui gratiam negabant, dum arbitrium defendebant. De his ita rurſum S. Auguſt. l. 2. c. 2. ad præfatum Bonif. *Poſſunt*, ait, *duo errores inter ſe eſſe contrarii, ſed ambo ſunt deteſtandi, quia ſunt ambo contrarii veritati. Nam ſi propterea diligendi ſunt Pelagiani, quia oderunt Manichæos, diligendi ſunt Manichæi, quia oderunt Pelagianos. Sed abſit, ut Catholica mater propter alterorum odium, alteros eligat amare, cùm movente atque*

*que adjuvante Deo debeat utroſque vitare, & cupiat utroſque ſanare.*

Hos ergo, *Inter utroſque tene, medio tutiſſimus ibis,*
Ne forte fiat ut, *Dum vitent ſtulti vitia, incontraria currant.*

Dicendum 2. Cùm *Hæreſes noviſſe, refutaſſe* ſit, teſte Hieronymo Epiſt. ad Cteſiph. dicendum breviter de Pelagio ejuſque nefanda Hæreſi:

715. *Vita & Doctrina Pelagii.*

Pelagius maximus gratiæ Antagoniſta, fuit natione Brito ſive Britannus, aliquando ob vicinitatem Scotus dictus à S. Hieronymo: profeſſione ſimplex monachus, acutiſſimo ut ait S. Aug. ingenio & Philoſophiæ peritiſſimus: hic peragratis Ægypti Monaſteriis, Romæ domicilium fixit, ubi ſenex in hæreſim lapſus, Ruffino ſociali amicitia junctus, ab eodem hæreſis ſuæ didicit incrementa. Subdolè ſuam hæreſim ſpargere nitebatur, ſubornando mulierculas, diſcipulis ſuis (quorum præcipuus erat Cæleſtius) virus doctrinæ ſuæ infundendo, & ad alios tranſmittendo. Româ à barbaris captâ, in Africam ſe contulit cum diſcipulo ſuo Cæleſtio, ubi nefariam ſuam hæreſim, Carthagine potiſſimùm, diſſeminare cœpit, unde Cæleſtius Eccleſiæ Carthaginenſi à Paulino Diacono delatus, loco Præsbyteratûs, quem ambiebat Cæleſtius, ut majori authoritate hæreſim venditare poſſet, excommunicationis ſententiam ab illa eadem Eccleſia reportavit, uti narrat Auguſt. l. de geſtis Pelagii c. 22.

Fugatus igitur ex Africa, magis convictus quam correctus ab Eccleſia receſſit ut ait S. Aug. in Siciliam venit, ubi Ruffinus ejus magiſter jam è vivis diſceſſerat. Intereà ſuas partes agens, eſt ſeminata hæreſis in Africa; Auguſtinus Carthaginem veniens, eamdem pro viribus ſuppreſſit, uti ipſe teſtatur l. de geſtis Pelagii c. 11. cujus viri pro Eccleſiæ & Doctrinæ veritate fortiſſimum animum & ingenium veritus Pelagius, litteris adulatoriis eumdem ſibi conciliare ſtuduit: Hieronymo tamen, qui Pelagium rigidiſſimè

ſtringebat, eumdem aliquando *Magiſtrum grunnium*, vocitanti, & aliis exſibilanti, ſemper infenſus. Hieronymo ergo in Oriente, Auguſtino in occidente Pelagium oppugnantibus, varii Epiſcopi eadem lue offenſi & ulteriori diſſeminationi metuentes, Pelagium in Synodum Palæſtinam advocarunt. Habita eſt hæc Synodus Lyddæ ſive Dioſpoli, a. 14. Epiſcopis Palæſtinæ, quorum nomina recenſet S. Auguſt. l. 1. cont. Jul. c. 5. & 7. huc Pelagius inductus, ſcripta ſua accuſatoria, partim ſua eſſe pernegavit, partim in Catholicum ſenſum retorſit, adeò ut Concilii patres, Pelagium Catholicum & immunem declararint, atque ita abſolutionem ſuam ſubdolè eſt furatus: hac de cauſa, hanc ſynodum alibi vocat Hieronymus, *Miſerabilem*. Epiſt. 79. Obtentâ veniâ, quatuor libros de libero arbitrio inſcriptos compoſuit, quibus id unum agit, ut errores, quos in dicta Synodo damnaſſe videbatur, conſtanter & directè adſtrueret. Cui rurſum S. Auguſtino & Hieronymo acriter ſeſe opponentibus, in Concilio Carthaginenſi & Milevitano, uno anno poſt Dioſpolitanum celebratis, Pelagius damnatus eſt, niſi ſua dogmata abjuraret. Prædicta duo Concilia non ita expreſsè ad condemnandam Pelagii Hæreſim celebrata ſunt, quam bene ad res alias Eccleſiaſticas moderandas & componendas, quibus intererant 77. ut putat Baronius, ſed veriùs 68. uti ex litteris ad Innocentium datis colligi poteſt.

Hac tamen condemnatione Pelagii hæreſis ſopita non manſit, ſed clanculum diſſeminari cœpit; unde Patres præfati Concilii Carthaginenſis & Milevitani S. Auguſtino rem totam Pelagii commiſerunt, oppugnandam & extirpandam, uti de ſe fatetur Epiſt. 110.

Auguſtinus tamen rem totam in Concilio Milevitano, cui interfuerat, actam Innocentio Papæ tranſſcripſit, à quo Concilii illius acta approbata ſunt, & Pelagiana hæreſis condemnata; uti patet ex Epiſtola Innocentii inter Auguſtinianas 93. data ad Patres Con-

Concilii Milevit. & 91. data ad Patres Concilii Carthag.

Innocentio jam defuncto, cùm ſubdolè & ſolitâ fraude Pelagius & Cœleſtius à ſucceſſore ejus Zoſymo abſolutionem à condemnationis ſententia obtinere niterentur, *Conſilio* Rursum *apud Carthaginem habito* 214. *Epiſcoporum ad Papam Zoſymum Synodalia Decreta perlata ſunt, quibus probatis per totum Mundum Hæreſis Pelagiana damnata eſt*, ait Proſper in Chronico ad annum 419.

---

## SECTIO III.

### *De Hæreſi Semipelagianorum, ſive Maſſilienſium.*

Proscripta jam & profligatâ Pelagii Hæreſi, Scriptis S. Auguſtini velut rigidioribus offenſi aliqui in Gallia presbyteri & Epiſcopi, mediam viam meditati ſunt, inter Pelagium & Auguſtinum, docendo poſſe hominem ſeſe ad Juſtitiam acquirendam ſolis naturæ viribus præparare. Præcipuus hujus contentionis author fuit *Joannes Caſſianus*, aliàs *Collator*. Fuit hic natione Scyta, Profeſſione Monachus, qui peragratis Ægypti & Thebaidis Monaſteriis, Patrum illorum Collationes conſcripſit, quo opere egregiam laudem & authoritatem conſecutus eſt, & quâ ratione *Collator* nuncupatus. Hic in Galliam appulſus, Maſſiliæ fixit domicilium.

716. *Semipelagianorum dogma, ortus & condemnatio.*

Cœpit hic cæteris acriùs oppugnare & indignari Auguſtini ſcriptis, quâ re à Proſpero & Hilario cognitâ, ſtatim ab iiſdem per litteras admonitus eſt Auguſtinus. Verùm cùm hoc ipſo tempore, quo ingruebat Wandalica perſecutio, obiret S. Auguſtinus, & recens Hæreſis morte ejus audacior, ejus ſcripta tum voce tum ſtylo oppugnaret & accuſaret, Hilarius & Proſper Romam perrexerunt, ut Cæleſtinum Papam ad eamdem Hæreſim profligandam provoca-

rent. Quod & obtinuerunt prædicti Antiſtites, uti patet ex Cæleſtini Epiſt. decret. quæ incipit, *Apoſtolici verba præcepti*, in qua collaudato S. Auguſtino, ejuſque ſcriptis approbatis, Semipelagianorum Hæreſim condemnat & Epiſcopis Galliæ interdicit.

Neque hâc condemnatione deſtitit eorumdem Hæreſis, ſed favillæ & reliquiæ ejuſdem compertæ ſunt tempore Gelaſii Papæ potiſſimùm in partibus Dalmatiæ & Italiæ, quas rurſum idem Pontifex duabus litteris, unâ datâ ad Honorium Dalmatiæ Epiſc. aliâ ad omnes Epiſcopos per Picenum, ſub anathemate damnat Gelaſius Papa.

Arſit & dictis ſcintillis etiamnum Gallia, quando convocatum eſt Concilium 12. Epiſcoporum in urbe Arauſicana, unde Arauſicanum 2. dictum eſt, in quo Pelagiana æquè ac Semipelagiana hæreſis ad amuſſim damnata eſt, editis Canonibus 25. ex ipſiſſimis S. Auguſtini libris & verbis concinnatis.

---

## SECTIO IV.

### *Quænam ſint præcipua puncta in quibus Pelagiani & Semipelagiani ſint condemnati.*

717. *Dogmata Pelagianorum & ſemipelag.* PELAGIANA Hæreſis numquam in eodem ſtatu permanſit, ſed inſtabilitate ſua varia dogmata procudit, prout omnibus Hæreſiarchis familiare eſt agere verſipellem.

Primò enim docuit nullum in parvulis eſſe peccatum originale, ſed exemplo ſolum ad nos perveniſſe Adæ peccatum: Hinc dicit in c. 7. ad Rom. *Inſaniunt, qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos venire peccatum.*

2. Concupiſcentiam conſtituit in prava conſuetudine, motus ejus bonos aſſerit & rectos, quod Auguſtinus rejicit.

3. Divitias dimittendas eſſe cenſebat, ſi homo ſalvari vellet. 4. Ju-

4. Juramenta interdixit: Unde in c. v. 1. ad Theſſ. *Adjurare*, ait, *permittitur, non jurare.*

5. Prædeſtinationem Dei eſſe ex prævifis hominum meritis, quæ faciunt, aut facturi eſſent, ſi ſupervixiſſent.

6. In ſtatuenda divina gratia verſipellem maximè egit. Primò namque nullam omninò gratiam ad ſalutem conſequendam neceſſariam eſſe contendebat. Deinde de contrario convictus, gratiam admittebat oretenus ſolùm, dicens eam in libero arbitrio, dein in Doctrina, poſteà in illuſtratione intellectûs, ac voluntatis, non ut neceſſariam, ſed utilem & ad faciliùs operandum convenientem ſtatuebat. Alia inſuper ſunt Pelagii dogmata perabſurda, quæ brevitatis causâ prætereo.

Unum quoque ac præcipuum fuit Semipelagianorum dogma, quo docebant initium converſionis ac juſtificationis eſſe ex viribus naturæ, quod quia à Pelagianorum dogmatè capitali, Scilicet *gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*, mutuarunt, *Semipelagiani* ſunt dicti. In hoc eorum errore dudum ante Epiſcopatum fuiſſe S. Auguſtinum, ipſe S. Doctor teſtatur l. de prædeſt. SS. c. 3. ubi Maſſilienſes in ultimo ſuæ vitæ termino exortos confutans, allato aliquo ex S. Cypriano, Doctrinæ ſuæ fundamento, ita ait: *Quo præcipuè teſtimonio & ipſe convictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona ........ quem meum errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant, ante Epiſcopatum meum ſcripta.* Ex quibus collige, non nimiùm in hac materia tribuendum libris S. Doctoris ante Epiſcopatum ſcriptis. Ejuſdem erroris dudum fuit Vitalis Carthag. ad quem corrigendum ſcripſit S. Aug. Epiſt. 107. ad eumdem deflectit S. Hieronymus, ut patet ex l. 3. Dial. contra Pelag. in initio & alibi. Idem fecit Ambroſiaſter, ideſt author in Epiſt. S. Pauli qui nomine Ambroſii paſſim circumfertur, quem Pelagianis ſatis

tis faventem manifeſtè conſtat diligenter eumdem perlegenti, dum nunc initium fidei ex nobis ſtatuit nunc ex eodem complacentiam boni, nunc ſalutem & prædeſtinationem ex hominis voluntate ſuſpendit.

Ex prædicto capitali dogmate, prodiit ſumma Maſſilienſium indignatio in prædeſtinationem abſolutam ex ſolius Dei miſericordia dependentem, quam adſtruebat Auguſtinus. Hinc illâ libertatem tolli clamabant, induci ſocordiam, deſperationem, bonis operibus laudem detrahi: Hinc rurſum efficaciam gratiæ ab Auguſtino ſtabilitam repudiabant, aliàs fruſtraneæ orationes, aliàs nulla libertas arbitrii, aliàs leges hominibus impoſſibiles, &c.

Hucuſque de Pelagianis & Semipelagianis pertractatis, notandum eſt ſummum inter eos diſcrimen, quòd Pelagiani à Conciliis & Pontificibus proſcripti, à ſua perverſitate non deſtiterint, ſed in ſua protervia proceſſerint, unde ut hoſtes Eccleſiæ reputantur: Maſſilienſes autem authoritate vel ſolius Cœleſtini compreſſi ſunt, unde & continuò ſuum errorem retractarunt.

718. *Semipelagiani viri egregii, & pii.* Hinc eoſdem alibi vocat S. Aug. *Viros egregios in omni virtutum ſtudio*, alibi, *noſtros, Fratres, & Pelagianum nobiſcum demolientes errorem, &c.* Ex eo videlicet, quod Caſſianus adverſus Neſtorium 7. libros divulgaverit, ad quod authoritate Leonis fuit adhibitus, adeo ut tandem non ſine opinione ſanctitatis è vita diſceſſerit.

---

## SECTIO V.

*De Hæreſi Lutheranâ & Calvinianâ in hac materiâ.*

719. *Luther.* DICENDUM primò, Lutherum initio ſuæ defectionis tradidiſſe voluntatem noſtram à divina gratia motam nihil agere, ſed ſe ſolùm habere paſſivè. Declarat illud Medina in 1. 2. q. 10. a. 4. ubi ait: *Ha-*

*Hæretici Wicleffiſtæ & Lutherani tollunt liberum arbitrium ab homine, dicentes omnia ex mera neceſſitate evenire....* Et rursum de iisdem: *nonnulli Hæretici humanis actibus nimium tribui exiſtimant, ſi homo jumento comparetur. Quare ipſum potius Rotæ inanimi conferunt, quæ ab aqua circumagitur. In ſumma, hominem ex Dei impulſu ſemper neceſſariò moveri & numquam ſua ſponte, aut liberè aſſerunt: tantùm abeſt, ut liberum hominem conſtituant, ut actionum ſuarum non ſit author & Dominus.*

Idem confirmat Andreas Vega l. 1. c. 2. in exp. decreti Trident. ubi ait: *Novus error Lutheri eſt, Deum eſſe totam cauſam operum noſtrorum, nihil nobis agentibus, & omnia opera noſtra, ſive bona ſive mala, ab eo ſolo in nobis fieri, idque ex neceſſitate, & eum cogere nos ad peccandum, neque nos per auxilium ipſius implere legem, ſed Deum ipſum.*

Idem ipſe Lutherus innuit ſufficientiſſimè in Jerem. c. 18. ubi homo comparatur luto reſpectu Dei ut figuli, & ait: *Quid obſecro activitatis habet lutum, quando figulus ei formam infingit? Nonnè mera paſſio ibi cernitur?*

Idem de ſuo antea amico, poſtea antagoniſta Luthero probat Eraſmus in ſuo Hyperaſpiſte, ubi carpens Lutherum, quòd linguâ vernaculâ libros ſuos de libertate edidiſſet, ita loquitur: *Paſſim à militibus audimus: quid refert? Non eſt liberum arbitrium. Deus omnia operatur in nobis & bona & mala: ſinamus illum operari. Scit quid agat, & ejus voluntati nemo reſiſtit ... Dei miſericordiam ſolam omnia agere, & voluntatem noſtram nihil agere, ſed potiùs pati, alioquin non totum Deo tribueretur.*

Ratio hujus Lutheri dogmatis erat hæc, quòd ſi voluntas aliquid operaretur, nec tantùm pateretur, imaginari neſciat, quomodò tota laus boni operis Deo dari poſſit, de quo dicam in ſequentibus. Hinc eſt, quòd Concil. Trid. can. 4. ſeſ. 6. Hanc Lutheri Hæræſim damnet his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, velut inanime quoddam, nihil*

*nihil omnino agere, merèque paſſivè ſe habere, anathema ſit.*

Dicendum 2. Cum Dominico Soto l. 1. c. 15. de natura & grat. qui præfato Concilio interfuit: *Poſtquam evidentiſſimis teſtimoniis ſacris, ſanctorumque monumentis Patrum hoc loco devicti ſunt* (ſcilicèt Lutherus, Melancton, Bucerus, &c. Lutherani in dicta ſententia) *Cœperunt ſe verſum Catholicam veritatem Paulo propiùs explicare. Nempe quòd habeamus liberum arbitrium, in his quæ ſubjecta ſunt rationi naturali & ſenſui, ut plantare vineas, conſtruere domos, &c. Quod Lutherus articulo 36. negaverat: Et hoc ſibi volunt in libel. nuper. ubi ajunt: Quod in natura lapſa retinemus libertatem à coactione. Attamen in operibus gratiæ omninò abnegant liberum arbitrium, non ſolùm, quia ſine ſpeciali auxilio Dei nihil poſſumus, (hæc enim Catholica confeſſio eſt) ſed quod ipſe totum facit, nobis merè paſſivè recipientibus.*

720. *Calvin.* Dicendum 3. Etſi erratica Calvini Hæreſis in hoc puncto, uti & in aliis plurimis, ita exactè detegi nequeat, cùm hîc veluti dicto Lutheri dogmati concordare videatur, illic omninò diſcordare, tamen ut ait Didac. Alvarez de auxiliis diſp. 3. *Eſt differentia inter Lutherum & Calvinum. Nam Lutherus aſſeruit, liberum arbitrium nullam habere in bono opere interno activitatem, ſed concurrere merè paſſivè, recipiendo motum à ſolo Deo productum, ut verba ejus ſuperiùs adducta* (de Luto & Figulo) *demonſtrant. Calvinus autem moderatus utrumque errorem Lutheri, fatetur liberum noſtrum arbitrium non habere merè paſſivè, tamquam inanime quoddam, ſed activè concurrere & motu ſpontaneo ad ſuas operationes, non tamen liberè.*

721. *Libertatem adimit.* Dicendum 4. Activitatem voluntatis in eo collocabat Calvinus, quod cum cognitione objecti & finis agebat, ſic tamen ut Deus interiùs voluntatem noſtram raptu quodam neceſſario abriperet in actum, etſi non coactè ideſt neceſſitate exteriùs illatâ. Hinc indignatus Phygio alibi ſcribit: *Non externo tantùm impulſu, ſed voluntariâ motione operatur Deus in hominibus: Nam actionis ſpeciem modo deſignat, ne brutis aut lapidi-*

*lapidibus ſimiles facere homines videatur* : Ideò ſcilicèt quòd homo ſpeciem actionis cognoſcat, etſi Deus hominis voluntatem neceſſariò in actum abripiat. Idem confirmat Suarez proleg. 1. c. 4. num. 10. Ubi de iis ita ſcribit : Neque dicebant Deum neceſſitate voluntatem auferendo illud judicium (*quo cognoſcat & diſcernat bonitatem uniuſcujuſque objecti*; ut mox præmiſerat) *aut intellectum hominis perturbando, ſed ſolùm ſua voluntate vel præſcientia ita præmovendo voluntatem, ut illam neceſſariò faciat operari, ut conſtat tam ex antiquis erroribus Manichæi & Abailardi, quam ex novis Lutheri, Calvini, &c.* Unde, etſi aliquando Hæretici illi, libertatem voluntatis adſtruere videantur, reipſa tamen eamdem proſcribunt uti ex dictis patet.

Dicendum 5. Ex dictis quoque patet Calvini ſententiam eſſe, voluntatem etiamnum liberè operari, quando externâ coactione ad actum non præcipitatur, ſive interim fatali aut manicheâ neceſſitate interiùs ad actum adigatur, quamvis etiam contra naturalem agendi modum ad opus neceſſitetur, modo inquam exteriùs non cogatur. Unde agens contra Phygium ita ſubdit : *Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium & fateor & conſtanter aſſevero, ac pro Hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nil moror. Verùm*, ait, *docendi cauſa quid ſignificet* (voluntas coacta) *dicendum eſt, ut intelligatur quid ſit coactio. Eam ergo ſic vocamus, quæ non ſponte ſua, nec interiore electionis motu inclinatur hac vel illac, ſed externo motu violenter fertur.*

Dicendum 6. Ulterior & æquè capitalis in hac materia eſt Calvini error, quo docet *à corruptione naturæ fieri, ut nihil purum aut ſincerum concipiat voluntas*, ut ait contra Phygium. Neque dici poteſt (ut quidam ſomniant) tantummodo velle nihil boni à voluntate noſtra poſſe fieri defectu relationis debitæ ad Deum 722. *Omnia opera ſunt peccata mortalia.*

tam-

tamquam ultimum finem; cùm illud idem apertè tradat de officiis virtutum, quod ne quidem illa voluntas exercere poſſit, adeoque omnia eſſe mala non tantùm defectu talis relationis debitæ. Unde rurſum contra Pighium ita loquitur: *Cùm de nobis loquitur Dominus, ne guttam quidem boni nobis relinquit: Neque nos infirmitatis tantùm damnat, ſed totam virtutis noſtræ opinionem in nihilum redigit.* Et rurſum. *Iſta vitioſitate, quæ totam hominis animam in ſuis potentiis occupavit, fieri dico, ut nihil cogitet, eligat, velit, conetur, faciat homo, niſi malum.* Imò, quòd in antid. ſeſ. 6. Trid. ita doceat: *Non eſſe tantopere exagitandos, qui dixerunt quamlibet bona opera ſi exacto rigore cenſeantur, æternâ potius damnatione, quam vitæ præmio digna eſſe.* Et ante pauca, docet nihil placere poſſe Deo, niſi per veniam, ideſt, quòd opera aliqua nobis non imputet in culpam.

723. *Propoſitiones damnata.* Ex quibus patet, quam juſtè & quo ſenſu ab Eccleſia ſint damnati ſequentes Articuli, in Bulla Pii V: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet. Omne quod agit peccator aut ſervus peccati, peccatum eſt. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

## SECTIO VI.

### *De gratia ejuſque diviſionibus.*

724. *Gratia gratum faciens & gratis data.* Discussis erroribus præcipuis gratiæ inimicis, pro eadem ſtabilienda ejuſque natura indaganda, dicendum 1. gratiam dictam eſſe *A gratis*. Gratia enim dicitur, quod gratis donatur: Unde opponitur debito & mercedi, quæ debentur operibus, non gratis dantur: *Nam ſi gratia, jam non ex operibus,*

*bus*, ait, Apoſt. ad Rom. 11. *Alioquin gratia jam non eſt gratia.* Largè accipiendo gratiam, ſignificat omne prorſus Dei donum gratis collatum, ſive ſit naturale ſive ſupernaturale, quale etiam eſt nativitas pulchritudo, de qua S. Auguſt. l. 1. de prædeſt. SS. c. 15. & Epiſt. 95. ubi ait. *Quâdam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati ſumus.* Hanc generalem gratiam libenter profeſſus eſt Pelagius.

Alia dona vocantur gratia, quæ dantur quidem gratis, ſed non indignis: Talis eſt juſtitia data Adamo in ſua creatione, Angelis, &c. Quia etſi gratuitò donaretur, non tamen ideo indignis, cùm nulla præceſſiſſet culpa.

Propriè tamen dicitur gratia, donum aliquod ſupernaturale à Deo datum gratuitò, etiam indignis.

Dividitur gratia famosè in gratiam gratis datam & gratum facientem. *Gratia gratis* data, eſt donum aliquod ſupernaturale gratuitum, quo homo aliquid operatur ad ſalutem alterius: Talis erat gratia ſanitatum, gratia ſcientiæ, Prophetiæ, &c. Quas enumerat Apoſt. 1. Cor. 12. dantur enim illæ gratiæ ad res fidei percipiendas, exponendas, confirmandas, & convincenda contraria, ut aptiùs alios ad fidem excitare & pertrahere poſſint ii, quibus dantur. Gratia hæc, communis eſt juſtis & impiis, unde multi dicent in noviſſimo judicio, *Domine nonne in nomine tuo Prophetavimus, dæmonia ejecimus?* Quibus tamen reſpondebitur, *Amen dico vobis, neſcio vos.* Math. 7. unde & S. Aug. l. 83. qq. q. 79. Docet infideles etiam poſſe patrare miracula. *Gratia gratum faciens* eſt, quæ per ſe primò datur homini, ut eumdem juſtificet, faciat hæredem regni, & divinæ conſortem naturæ. Subdividitur autem gratia gratum faciens in *habitualem* & *actualem*. *Habitualis eſt* prædicta gratia permanenter homini inhærens. Quòd autem talis admittenda ſit, declarabo in materia de juſtificatione ſect. 3. 725. *Gratia habitualis & actualis.*

*Actualis*, eſt prædicta gratia data à Deo tranſeunter, per modum actûs ſive operationis tranſeuntis.

Conſiſtit

Conſiſtit hæc gratia partim in piis illuſtrationibus intellectûs, partim in motibus voluntatis, quibus Deus intellectum illuſtrat & voluntatem inclinat in bonum. Sola tamen legis notitia non eſt vera gratia Chriſti, quæ ſine initio bonæ voluntatis eſſe poteſt: Ubi tamen juxta S. Aug. l. de natura & grat. c. 42. gratia Chriſti ſine bona voluntate eſſe nequit, nec Charitas ſit aliquid, quam bona voluntas; nec charitas aliud quam gratia.

726. *Præveniens, excitans cõſequens, adjuvans.* Dividitur ulteriùs gratia in gratiam *prævenientem* ſive *excitantem*, & *conſequentem* ſive *adjuvantem*. Quæ nomina reſpectiva, ita intelligenda ſunt, ut gratia non dicatur præcisè præveniens, quia aliam gratiam prævenit & præcedit: Sed quòd præveniens ſive excitans ſit illa, quæ voluntatem velut ſomno oppreſſam excitat, ad cor pulſat, ad bonum movet immittendo ſalutis deſiderium, moralis pulchritudinis complacentiam, conſcientiæ ſtimulos, &c. Subſequens verò, quæ ſtudia bonæ voluntatis jam excitatæ ſubſequitur, eamque adhuc infirmam roborat, fovet & ad perfectam & robuſtam gratiam perducit: Adeo ut *præveniens* dicatur, quòd omnem omninò etiam primum bonæ voluntatis motum præveniat, *ſubſequens*, quòd eumdem conſequatur. Dicitur autem *excitans*, quòd voluntatem ad illum motum excitet, uti etiam *operans*, quòd ipſa primum motum voluntatis in homine & cum homine operetur, etſi abſque ulla hominis diſpoſitione præviâ gratuitò eumdem operetur. Dicitur autem illa ſubſequens aliquando *cooperans* & *adjuvans*, eo quòd cum homine ulteriorem gratiæ effectum operetur, non ſolùm cum homine ſimultaneo influxu coöperando, ſed præviè etiam hominem ad effectum determinando: Nam ut ait S. Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 17. *Ut ergo velimus ſine nobis operatur, cum autem volumus & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum operatur.* & c. 5. ad illud, *non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Id eſt*, inquit, *non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per boc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia*

Dei

*Dei cum illo.* Quando enim ſuperiùs ait, *ſine nobis*: Innuit agere gratiam ſine nobis petendo coöperantibus, nos ad actum movendo & determinando: dum autem ait: *Nobiſcum, & gratia Dei cum illo*: Innuit, nos ſimul cum gratia in actum influere. Unde de Pauli gratia operante ſubdit ibid: *Ut autem de cælo vocaretur, & tam magnâ & efficaciſſimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola*; Quamvis enim voluntas Pauli influeret, tamen ſola gratia dicitur converſus vocatione divinâ, quia Paulus ſine ſuis meritis, aut precibus prævиis, à Dei ſola miſericordia vocatus eſt. Nam ut ſubdit Aug. *Merita ejus erant multa, ſed mala.*

Dicitur autem gratia ſubſequens quandoque & adjuvans, quatenus voluntas hominis priùs ſoporata jam excitata, per gratiam adjuvatur in volendo & conando, ut velit fortiùs, quod velle incipit infirmiùs, & carnis concupiſcentiam reſiſtentem ſuperet. Ex quibus omnibus clarè patet, primum voluntatis bonæ motum à Deo dari, ad eum voluntatem excitando, quæ ante in malo ſopita fuit, eam præveniendo, eum operando quaſi ſe ſola, quia ſine ullo reſpectu ad aliquod meritum hominis prævium eumdem producit, imò aliquando in homine multis demeritis gravato & indigno. Subſequitur autem gratia, dum voluntatem jam excitatam ſubſequens adjuvat gratia, actum ulteriorem bonum in homine producendo & cum homine coöperando.

727. *Gratia voluntatem præparans.* Notanda eſt prætereà gratia quædam præparans voluntatem dicta, quæ in eo propriè ſita eſt, quòd Deus voluntatem præparat, volitionem in nobis operando, & faciendo ut homo velit. Unde patet, quòd quando voluntas præparari dicitur, per voluntatem non intelligatur potentia, ſed actus. Ex quo & illud in ſubſequenti materia notatu neceſſarium, quomodò verum ſit, quòd homo bene agat, ſi velit. Declarat illud S. Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 16. ubi ait. *Certum eſt nos mandata ſervare, ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum*

*velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò ante poſui, præparatur voluntas à Domino.*

## SECTIO VII.

### *De Gratia ſufficienti & efficaci.*

728. *Gratia ſufficiens.* FAMOSUM quoque eſt diſcrimen gratiæ, in gratiam *Sufficientem* & gratiam *efficacem. Gratia ſufficiens* eſt gratia, quâ Deus ita hominem vocat, & excitat, ut poſſit venire & bene agere, ſi velit, non quâ fit, ut veniat & bene agat. Talis fuit gratia data Adamo & Angelis in ſua creatione de qua ante alibi actum eſt, & in ſequentibus agendum eſt. Illa enim gratia dabat *poſſe* agere, non ipſum *agere*, adeò ut determinatio voluntatis ad actum bonum relinqueretur libero voluntatis arbitrio. Hac gratia docet S. Aug. l. de ſpiritu & litt. c. 33. quibuſdam aliqua intrinſecùs *ſuaderi*, ſed non *perſuaderi.*

729. *Proximè & remotè ſufficiens.* Porrò, alia eſt *Gratia proximè ſufficiens, alia remotè ſufficiens: proximè ſufficiens*, eſt gratia actualis comparata ad actum, ultra quam non eſt opus aliâ gratiâ, ut voluntas eum exercere poſſit cum illa gratia.

*Remotè ſufficiens* eſt gratia actualis comparata ad actum, ad quem exercendum, non præbet voluntati vires proximè ſufficientes, præbet tamen ſufficientes ad alium actum, quo poſſit impetrare vires ulteriores & proximè ſufficientes ad priorem actum exercendum, quem ante proxima potentia exercere non poterat. Hinc liquet quomodò gratia ſufficiens pro uno actu, non ſit item ſufficiens pro alio, eo quòd alius ſit alio difficilior.

730. *Gratia efficax.* *Gratia efficax*, eſt gratia actualis, quæ voluntatem propriâ ſuâ virtute ad actum movet, idque ut ait S. Auguſtinus, *Indeclinabiliter* & *inſuperabiliter.* Hinc non

non tantùm dat poſſe agere, ſed & ipſum agere, nec determinationem voluntatis ad actum bonum relinquit libero ejus arbitrio, ſed ipſa ſuâ poteſtate voluntatem determinat ad actum bonum. Optaſſem hîc aliquot ſectionibus demonſtrare gratiam efficacem non dici efficacem ab eventu, ideſt, quòd quis cum gratia ad actum procedat, quod patet clariſſimè ex gratia Angelorum perſeverantium, quæ ſufficiens manſit, etſi cum illa Angeli illi ſint operati. Gratia enim illa dabat ſolummodò poſſe agere, non ipſum agere, & ipſum agere vel non agere relinquebatur libero eorumdem arbitrio; neque virtute ſuâ indeclinabiliter ad actum determinabat. Item etiam demonſtrare quòd efficacia gratiæ non poſſit conſtitui in nudâ coöperatione & aſſenſu voluntatis intuitivè prævisâ à Deo, adeo ut voluntas efficere poſſit, ut gratia ſit efficax, nec ne. Quam ſententiam ut fidei adverſantem proſcribit S. Auguſtinus Epiſt. 107. ad Vitalem: ubi docet efficaciam gratiæ, non ab humanâ, ſed à divinâ pendere voluntate, quæ vocatione altâ atque ſecretâ ſic agit hominis ſenſum, ut accommodet aſſenſum. Unde de hac ſententia Card. Bellarminus docet l. 1. c. 2. & l. 2. c. 12. eam *Eſſe alienam omninò à ſententia ſcripturarum divinarum, & evertere omninò fundamentum prædeſtinationis divinæ, quam S. Aug. ex divinis litteris ſolidiſſimè comprobavit.* Et alio loco allatâ Auguſtini ſententiâ, quâ docet efficaciam gratiæ ex divina pendere voluntate, non ab humana, ita ſubdit l. 2. c. 11. *Hæc ſententia non quorumvis Doctorum opinio, ſed fides Eccleſiæ Catholicæ dici debet.* Et concludit: *Ut ſi qui contra ſentiunt, intelligant ex judicio Sanctiſſimorum Patrum, quam in* MANIFESTO ERRORE *verſentur.*

731. *In quo ſita ſit efficacia gratia.*

732. *Efficacia gratia nō ab humana, ſed à divina pendet voluntate.*

Enimverò, ſi ab humana pendeat voluntate efficacia gratiæ, non à divina, conſequens fit, Apoſtolum diſcretionem credentis à non credente, malè attribuiſſe gratiæ Chriſti, cùm diſcretio illa non à viribus gratiæ, ſed ab aſſenſu voluntatis dependeat. Dein-

de ſequitur quòd fidelis contra infidelem ſeſe ſuo voluntatis aſſenſu & coöperatione diſcreverit, ubi tamen rogat Apoſtolus 1. Cor. 4. *Quis eſt, qui te diſcernit?* Denique gloriari poterit fidelis, quòd gratiam

733. *Non à ſcientia Dei conditionata.* ſecutus ſit conſentiendo. Deinde monſtrare voluiſſem quòd non poſſit efficacia gratiæ conſtitui in eo, quòd ex abſolutâ operis intentione detur, ita tamen ex certa Dei ſcientia conditionata voluntati adaptata, ut prævideatur in illis circumſtantiis, quibus datur, infallibiliter operatura. Rationes enim antedictæ idem ſatis probant, cum hoc ſenſu, æquè à voluntate humana pendebit gratiæ efficacia, diſcretio fidelis ab infideli, & gloriatio, nec quidquam refert, gratiam illam dari ex tali propoſito, cùm illud ſit gratiæ planè extrinſecum, nec vires aliquas gratiæ addat, aut ejus naturam immutet, aut modum ejus operandi, unde efficax à tali propoſito nuncupari nequit. Denique, etſi infallibiter talis gratia ſortiatur ſuum effectum, nihil antedictis obſtat, cùm hoc fiat infallibilitate ortâ ex tali propoſito, non autem ex infallibilitate ortâ ex gratiæ poteſtate aut modo ejus operandi: quod clarè patet ex eo, quòd voluntas etiam ſecluſo tali propoſito poſſit non operari. Unde ad ſummum dici poterit ejuſmodi gratiam eſſe efficacem ex propoſito, non item propriâ virtute ſibi intrinſecâ.

734. *Non in Phyſica prædeterminatione.* Inſuper quòd efficacia gratiæ non poſſit conſtitui in Phyſica prædeterminatione voluntatis, quæ ad ſingulos actus neceſſaria eſt, ut voluntas poſſit agere. Primò quidem, quòd ejuſmodi prædeterminatio Phyſica evertat diſcrimen S. Auguſtino uſitatiſſimum, inter gratiam primi hominis & hominis lapſi, de quâ in ſectione ſequenti. Secundò, quòd ægrè ſatis oſtendi poſſit, quomodò Deus tentator malorum dici non debeat, cùm Phyſicè impellat ad actum, cui inſeparabiliter annexa eſt malitia. Unde eamdem à D. Thoma traditam eſſe negant Thomiſtæ plurimi, è quibus videri poteſt Capreolus in 2. d. 28. q. 1. & alii. Efficacia tamen gratiæ juxta D. Auguſt. rectè conſtituitur

tur in virtute gratiæ intrinſeca, quâ voluntatem indeclinabiliter & inſuperabiliter ad actum determinat. Patet hoc ex Scripturis, primò quòd Joan. 6. dicatur quòd nemo veniat ad filium, niſi pater traxerit illum, trahere autem ſignificat motionem & impulſionem ad opus, ad quod trahitur, ſalvâ tamen libertate ejus, qui trahitur. Deinde per gratiam agunt, qui dicuntur Spiritu Dei agi, ad Rom. 8. de quibus S. Aug. l. de corr. & grat. c. 12. *Aguntur ut agant, non ut ipſi nihil agant*, ut voluit Lutherus antea. 735. *Sed in modo intrinſeco operandi.*

Inſuper gratia Dei eſt, quæ agentem à non agente diſcernit, ubi tamen in contraria ſententia voluntas hominis eſt, quæ diſcernit. 736. *Gratia diſcernit operantem a non operante.*

Rurſum, *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere pro bona ſua* (non noſtra) *voluntate*, ut ait Apoſt. ad Philip. 2. Unde opus adſcribendum eſt ipſi gratiæ, non voluntati noſtræ principaliter. Adde, quòd Deus ſit, qui nobis dat cor carneum, ſpiritum novum, qui facit, ut in præceptis ejus ambulemus, non ipſimet.

Quibus omnibus accedit & ratio, quòd in alia ſententia Deus det ſolùm poteſtatem operandi, ipſum agere relinquens arbitrio & determinationi voluntatis: Ex quo ſequitur, quòd voluntas agat, operetur velle & perficere pro ſuo arbitrio, quòd det ſibi cor carneum & auferat lapideum, dum gratiæ vult conſentire. Gratia enim juxta alios dat ſolùm vires ad operandum voluntati, adeoque quaſi inſtrumenta ſolùm præbet illi ad operandum, ſic tamen ut voluntas operetur: Ex quo ſequitur, quòd voluntas illa faciat: Non enim qui inſtrumenta operandi præbet, ille agere dicitur, ſed qui inſtrumentis illis in actu utitur, & eadem in operando adhibet, quod facit voluntas. Deinde, ſi à voluntate pendeat gratiæ conſentire, vel gratiam facere efficacem nec ne, ſtulta prorſus juxta S. Auguſt. erit oratio, ut Deus nobis det velle & perficere, ut Deus noſtras ad ſe compellat voluntates, &c. *Quid enim ſtultius* rogat S. Au-

guſtinus alibi, *quam orare quod in tua habeas poteſtate*. Nihil autem ita eſt in noſtra poteſtate quam voluntas noſtra, quâ utimur cum volumus.

Denique, Hinc eſt, quòd S. Auguſtinus ſæpiſſimè partes illas agendi aſſignet in hoc ſtatu naturæ lapſæ viribus gratiæ, quæ in ſtatu integro aſſignandæ erant voluntati, cujus arbitrio relinquebatur agere vel non agere, quod in hoc ſtatu ceſſat, quando voluntas à gratia *indeclinabiliter & inſuperabiliter* ad actum determinatur.

737. *Totum Deo debes, dum tuum nihil eſt.* Ex illis omnibus patet, quòd totam boni operis laudem Deo debeamus, dum gratiæ eſt, quidquid boni agit voluntas noſtra: Imò juxta D. Auguſt. l. de dono perſev. c. 6. *Tutiores vivimus, ſi totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Unde & alibi illud S. Cypriani repetit: *In nullo gloriandum, quando nihil eſt noſtrum.* In quo caſu, nonne profundè cæcutiit ille qui quondam docuit gratiam ſimilem eſſe homini inflanti organum, & voluntatem Organiſtæ? quaſi verò inflator dicere poſſet, ego ſum qui hanc cantilenam ludo: Ad quod reſpexit Academia Lovanienſis, dum in ſua Cenſura oppoſitæ Doctrinæ ita ſubdit: *In ſalutis negotio, quod præcipuum eſt homini, quod minus Deo donare, gratiam libero arbitrio ſubjicere ac ejus pediſſequam facere*, eos qui contrarium docent & defendunt.

Objicies; videtur data Doctrina damnata à Concilio Trid. ſeſ. 14. can. 31. ubi dicit: *Si quis dixerit hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona juſtificati merita, anathema ſit.* Reſp. Quid Concilium in hoc Canone damnare intendat, diximus ſectione 5. agendo de Hæreſi Lutherana & Calviniana: Scilicèt damnare Lutheri ſententiam, uti & Calvini, quâ docebant voluntatem à Deo ad actum bonum moveri velut rotam inanimem, quæ aquâ circumagitur, merè ſe paſſivè habendo, prout dicit quoque Concilium ſeſ. 6. can. 4. adeoque negant voluntatem liberè cum gratia & per gratiam

ad

ad actum determinari, etſi non externâ coactione. Vide dicta ſectione 4. Nos verò dicimus voluntatem ab efficaci gratia excitatam, liberè eidem conſentire, nec refert quòd ſint quoque hominis juſtificati merita, ut docet Catholica veritas, quia quòd merita ſint, ex gratia habent, & ex liberali Dei promiſſione & benevolentia, uti de merito oſtendam. Ab ulteriori horum omnium comprobatione lubens ſuperſedeo, non defectu rationum & authoritatum plurimarum, quibus prædicta poſſem clariſſimè comprobare & ſtabilire: Sed ex mero & ſubmiſſo reſpectu erga S. Sedem, prohibentem impreſſionem rerum de auxiliis, etiam prætextu commentandi in I. Thomam, aut alio modo, niſi priùs res illæ ab univerſali inquiſitione eſſent examinatæ & approbatæ, idque ſub pœna privationis dignitatum & officiorum, vocis activæ & paſſivæ &, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, &c. de quibus videri poteſt Bulla Urbani VIII. *in eminenti*. Hinc malui in hac parte, aliqua quæ deſiderare plurimi poſſent, omittere & præterire, quam S. Sedis voluntati & mandato in aliquo contraire.

---

## SECTIO VIII.

### *An omnibus hominibus detur gratia proximè ſufficiens.*

Dicendum primò, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ratione cujus præbet omnibus generalia media ad ſalutem perveniendi, ut puta ex creaturis earumque cognitione hominem ad ſe cognoſcendum & amandum vocando, ſemper neceſſaria ſubminiſtrando, prædicando per alios, & exhortando, quo ſenſu dicit S. Aug. in Pſalm. 102. *Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impartiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, &c.* 738. *Deus vult omnes ſalvos fieri.*

 Dicen-

739. *Quatenus dat omnibus media ſufficientia ad ſalutem.* Dicendum 2. Deus dat omnibus hominibus gratiam ſufficientem, quatenus inſtituit remedium ſufficientiſſimum, ex quo omnes ad ſalutem pertingere poſſent, caſu quo omnibus remedium illud adhiberetur; quod, quia non omnibus applicatur, non eſt ſufficiens, cum effectu ad ſalutem. Et hoc eſt, quod docet Sanctus Thomas alibi de morte Chriſti pro omnibus citatus: Item quod voluit Concilium Trid. ſeſ. 6. c. 3. dum ait. *Etſi Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.*

740. *Non datur omnibus gratia proximè ſufficiens.* Dicendum 3. Non datur omnibus gratia proximè ſufficiens. Hanc ſententiam ponit S. Aug. Epiſt. 107. ad Vitalem tamquam ad Catholicam fidem pertinentem, dum dicit, *Scimus gratiam non omnibus dari:* Et rurſum: *Scimus eis, quibus datur, miſericordiâ Dei gratuitâ dari.* Et iterum. *Scimus eis, quibus non datur, juſto* *S. Aug.* *judicio non dari.* Conſonat S. Fulgentius l. 1. de præ-deſt. ver. c. 15. ubi ait. *Si enim Apoſtolicæ prædica-* *S. Fulgent.* *tionis tenentes per omnia veritatem, certiſſimè cognoverunt, cognoſcendumque Libris & Epiſtolis reliquerunt, gratiam Dei non omnibus hominibus generaliter dari.* Et ibidem c. 17. *Non omnibus autem iſtam gratiam* (ſcilicèt quâ corrigitur aliquis, & ne correctus depravatus abſcedat) *dari, & quibus datur, non omnibus æqualiter dari, quiſquis piè quærit, eloquiorum ſanctorum atteſtatione cognoſcit.*

Idem atteſtati ſunt 60. & eo ampliùs cum eodem Epiſcopi in Sardinia exules, in Synodica ſua Epiſtola, dum dicunt: *De gratia verò non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari.*

Deinde illud idem, quod tenet contraria opinio, ut non Catholicum rejicit Bellarm. tom. 4. controv. 3. l. 2. c. 1. & 6. imò Semipelagianis illam attribuit S. Proſper Carmine de ingrat. c. 10. dum dicit.

*Gratia quâ Chriſti populus ſumus, hoc cohibetur*
*S. Proſp.* *Limite vobiſcum* (Semipelagianis) *& formam hanc adſcribitis illi;*

*Ut*

*Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque: nec ullum*
*Præteriens, ſtudeat communem adferre ſalutem*
*omnibus, & totum peccato abſolvere mundum.*
*Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,*
*Judicioque ſuo motâ ſe extendere mente*
*Ad lucem oblatam, quæ ſe non ſubſtrahat ulli,*
*Sed cupidos recti juvet illuſtretque volentes.*

Denique gratiam proximè ſufficientem non omnibus dari, ſatis probant tam aſſiduæ Catholicæ Eccleſiæ preces, quibus rogat ut gratiam Sancti Spiritûs cordibus noſtris infundere dignetur: Non enim ad gratiam obtinendam aut infundendam rogandus eſt Deus, dum omnibus præſtò eſt, jam oblata eſt & infuſa, ſolùmque reſtat, ut acceptet eam voluntas per conſenſum. *Ratio.*

Dicendum 4. Non datur gratia ſufficiens iis, qui in utero matris moriuntur. 2. non datur illa gratia obduratis & excæcatis; probatur prius, quia illis parvulis ſecundùm legem Dei ordinariam nulla eſt ſufficiens, niſi gratia Baptiſmi, quam tamen non accipiunt. Hanc enim gratiam iis ſubſtrahit Deus, dum eoſdem, etiam parentibus omnia adhibentibus, quæ adhibere poſſunt, *Regno ſuo adjici non vult Deus*, ut loquitur S. Aug. vide dicta de prædeſtinatione. Probatur etiam poſterius, quia ut ait S. Auguſt. in Pſalm. 147. *Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat: Ecce non aperit, ecce non infundit gratiam.* Deinde tractatu 53. in Joan. *Hinc ait, excæcantur & obdurantur, quia negando divinum auxilium non adjuvantur.* Rurſum, illud idem denotat, ipſa excæcationis & obdurationis ratio: Significant enim illa, ſuppoſitum gratiâ deſtitutum, quæ ſufficiat ad intellectûs illuſtrationes & pios motus voluntatis, quos gratia immittit, ſequendos & amplectendos. 741. *Non datur illa parvulis in utero obeuntibus ſine Baptiſmo.* 742. *Nec obduratis & excæcatis.*

Dicendum 5. Infidelibus, quibus fides numquam eſt annuntiata, non adeſt gratia proximè ſufficiens. Ratio eſt, quia cùm fides ſit initium omnis boni, nec illa haberi poſſit ſine prædicante, ſequitur quòd illis 743. *Non omnibus infidelibus.*

ſæpè

ſæpè deſit gratia ſufficiens ad ſalutem, dum multis negatur defectu prædicantium fidei notitia, ubi tamen juxta legem Dei ordinariam fides haberi nequit, niſi per annuntiationem.

744. *Nec ipſis juſtis ſemper adeſt.* Dicendum 6. Etiam ipſi juſti non ſemper habent gratiam proximè ſufficientem. Probant hoc apertiſſimè Scripturæ Sacræ exhortantes juſtos ad orandum, imò propria juſtorum oratio dicitur ab Auguſtino eſſe oratio Dominica, quâ quærunt, *& ne nos inducas in tentationem.* Idem innuit Sacra Tridentina Synodus ſeſ. 6. c. 11. ubi ex S. Auguſtino ait: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Ubi clarè docet Concilium aliquando aliqua fieri non poſſe potentiâ proximâ à juſtificatis, defectu gratiæ, quam petere à Deo poſſunt & obligantur, ut illud quod priùs operari nequeunt, divinâ gratiâ opitulante operari jam proximè poſſint, etſi tamen abſolutè poſſint.

---

## SECTIO IX.

*Reſpondetur argumentis in contrarium allatis.*

OBJICIUNT primò, adverſæ partis authores, Deum poſt prævifionem peccati originalis habuiſſe voluntatem dandi Adamo & toti poſteritati ſufficientia media contra peccata, ergò & dedit ſufficiens remedium ad ſalutem. Hinc alibi omnes omninò jubet Deus Baptiſari. Reſp. Ad prius, dedit Deus remedia ſufficientiſſima toti poſteritati, juxta concluſionem 1. & 2. prædictæ ſectionis. Non ideo tamen dedit auxilia ad ſalutem efficaciter ſufficientia, eo ipſo quo non voluit aliquibus remedia illa de ſe ſufficientiſſima adhiberi. v. g. parvulis Baptiſma. Ex quo ſequitur ad confirmationem reſponſio, non enim Deus efficaciter vult omnibus adhiberi gratiam

tiam Baptiſmi, aliàs omnes Baptiſarentur: ſed ſolùm vult omnes Baptiſari voluntate ſigni, præcipiendo omnibus Baptiſma adhiberi, ſed iis tantùm adhibetur, quibus vult abſolutè & efficaciter adhiberi. Vide dicta de prædeſtinatione.

745. *Quomodò Deus pulſet omniũ corda, &c.*

Objicies 2. Sacra Scriptura dicit Deum ſtare ad oſtium cordis, & pulſare, quòd exprobret ſe ſemper vocare, extendere manum, quòd omnes laborantes & oneratos ad ſe vocet, quibus omnibus ſignificatur, Dei gratiam omnibus eſſe ſemper præſentem. Reſp. In primis non dicit Scriptura Sacra *Ego ſemper ſto ad oſtium, aut etiam ſemper pulſo*: Pulſat ergo Deus & vocat ut concluſ. 1. ſect. præcedenti dicit S. Auguſtinus undique Deum homines vocare, ideſt mediis quibuſdam generalibus, quibus ſi bene uterentur, poſſent pervenire ad ulteriora auxilia à Deo acquirenda. Eodem modo extendit Deus manum ſuam, vocat ad ſe laborantes & oneratos, ut vel iis generalibus mediis bene utantur, vel precibus auxilia à Deo implorent.

746. *Non ideo erunt præcepta impoſſibilia, quia gratia proximè ſufficiens deeſt*

Objicies 3. Si non ſemper adſit omnibus auxilium ſufficiens, impoſſibilia erunt præceptâ à Deo iis data, quibus auxilium ſufficiens deeſt: Ubi tamen impoſſibilia Deus non jubet. Deinde hæc à Catholica Eccleſia in Janſenio eſt condemnata, ut Hæretica: *Aliqua Dei præcepta hominibus Juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant.* Reſp. Rectè quidem ab Eccleſia, ut talem eſſe damnatam illam propoſitionem, nam ut Hæreticos quoque feriens Concil. Trid. ſeſ. 6. c. 11. *Deus impoſſibilia non jubet*: Non ideo tamen impoſſibilia ſunt præcepta juſtificatis, quos à Deo jubet petere, quod non poſſunt. Pro quo notandum cum Bellarmino c. 12. de juſtific. l. 4. Sanctum Auguſtinum illo loco à Concilio uſurpato, docere *omnia prorſus mandata eſſe poſſibilia, ſed alia immediatè, alia mediatè, ideſt mediante oratione*, Quamvis ergo juſtis etiam auxilium immediatè *Bellarm.*

diatè

diatè ſive proximè ſufficiens ad exequenda mandata deſit, non ideo executio mandatorum illis erit impoſſibilis, cùm poſſint illa exequi mediante gratia, quam à Deo flagitare poſſunt. *Deus enim*, ut ait Concilium, *jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*, numquam interim impoſſibilia præcipiendo. Quod autem per gratiam ordinariam poſſumus, abſolutè poſſumus; uti etiam, quod per amicos poſſumus, abſolutè poſſumus. Hinc communes Auguſtino ſententiæ: *Præcepto facere commonemur, quod conantes & viribus noſtris non valentes, adjutorium divinum precemur.* l. de nat. & grat. c. 15. *Mandatis Dei rectis atque arduis, humana non contemperatur infirmitas, niſi præveniens ejus adjuvet Charitas.* conc. 8. in Pſalm. 118. & nervosè S. Proſp. Epiſt. ad Demet: *Non ob aliud umquam datur præceptum, niſi ut quæratur præcipientis auxilium.*

Notandum autem hoc ipſum òlim Auguſtino objectum eſſe à Pelagianis, quos ita exſibilat c. 16. de grat. & lib. arb. *Magnum aliquid*, ait, *Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod Lex imperat.*

747. *Poteſtas uni remotior quam alteri.* Aliis ergò poteſtas illa proximior eſt, aliis remotior, fideli cui fides dictat à Deo petendum eſſe auxilium propior eſt, quam infideli, cui fides numquam eſt annuntiata: omnibus tamen poſſibilis eſt mandatorum obſervantia, cùm ut ait S. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 19. *Nulli homini ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille ſubveniat, qui nec errat dum ſubvenit, nec laborat.* Unde & Deus dives eſt in omnes qui invocant illum.

Concilium ergo Tridentinum damnat ſententiam eorum, qui dicebant juſto etiam ſub gratia actuali conſtituto Mandata Dei eſſe impoſſibilia, prout ſuſtinuerunt

ſtinuerunt Calvinus & Lutherus, & apertè docet Bellarm. l. 4. c. 10. de juſtific. Unde Calvinus in Antid. Trid. ſeſ. 6. c. 12. *Blandiatur* ait, *ſibi homo ut lubet, ſi tamen in judicium Dei, vel præſtantiſſimum opus quod umquam fuerit, vocetur, nævo aliquo reperietur deformatum.* Et alibi: *Nullum à Sanctis exire poteſt opus, quod non mereatur juſtam opprobrii mercedem.* Conſonat Luther l. de libert. Chriſt. dum dicit: *Æque nobis impoſſibilia ſunt omnia præcepta, atque illud unum non concupiſces.* Confer hæc dictis ſect. 4. de hæreſibus illorum. 748. *Calvini hæreſis.*

Objicies ulteriùs: dum dicit Concilium Deum impoſſibilia non jubere, ſed monere ut facias quod poſſis, vel petere, quod non poſſis: ſignificat, ideo Deum non jubere impoſſibilia, quia dat gratiam faciendi, vel gratiam petendi, quod qui negat, impoſſibilitatem legis adſtruit, adeoque à Concilio condemnatur. Reſp. Juſtus aliquando gratia actuali ad petendum caret: Oratio enim tam eſt gratia, quam 749. *Oratio eſt Dei gratia.* aliud opus bonum, cùm Eccleſia roget, ut oratio noſtra à Deo incipiat, & per Deum cæpta finiatur: Deinde, etiamſi roget juſtus à Deo gratiam, non ideo tantam, aut tam inſtanter petit, quanta petenda eſt, ut ſpiritus poſtulet pro nobis. Unde falſum eſt, quòd Deus det ſemper juſtis gratiam ſufficientem proximè ad orandum, prout prætendit objectio.

## SECTIO X.

### *Undenam proveniat defectus gratiæ ſufficientis, ſive cui imputari debeat, quòd homo eâdem careat.*

Dicendum primò, quòd Deus huic ſuam gratiam infundat & impertiat, non verò alteri, ad inſcrutabilia Dei judicia eſt referendum, nec eſt qui deſuper reſpondeat illi. *Scimus* enim, ait S. Aug. ante relatus, *Gratiam quibus datur, miſericordiâ Dei gratuitâ* 750. *Elargitio gratiæ eſt Dei miſerentis.*

*tuitâ dari* : Et rursum : *Scimus eis, quibus non datur, juſto judicio non dari.* Rem dictam clarè exponit S. Proſper l. 1. de voc. gent. c. 13. ubi ait : *Quòd ſi aliquos (ſicut videmus accidere) ſalvantis gratia præterierit, & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ juſtitiæ judicia referendum & agnoſcendum eſt ſecreti hujus profunditatem nobis in hac vita patere non poſſe.* Præiverat Magiſter ejus dicens Epiſt. 105. *Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt, judiciorum ejus tam magnum profundum, verumtamen caveat præcipitium.* Et rurſus de ſpirit. & lit. c. 24. *Duo ſola mihi occurrunt, quæ reſpondere mihi placeat : Altitudo divitiarum : Et nunquid iniquitas eſt apud Deum? Cui reſponſio illa diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores.*

751. *Defectus gratiæ eſt ultimatè homini adſcribendus* Dicendum 2. Defectus gratiæ non eſt Deo, ſed hominibus ipſis imputandus, & ut ait D. Fulg. l. 1. de vera prædeſt. c. 3. *Hæc Dei gratia quâ ſalvamur, non alicui præcedenti bono merito datur : Nec tamen niſi præcedenti malo merito denegatur.* Et S. Thom. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2. *Defectûs gratiæ*, ait, *prima cauſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt ex Deo.*

Dicendum 3. non tantùm Deum gratiæ auxilium aliquibus denegare dicit Scriptura Sacra, ſed etiam ut ait Job. c. 17. *Cor eorum longè feciſti à diſciplina*, quâ ad gratiam pertingere poſſent. Quo ſenſu autem hoc verum ſit, ediſſerit S. Greg. l. 13. mor. c. 16. ubi ait : *Neque ita hoc dicitur, ac ſi omnipotens & miſericors Deus longè cor hominis à diſciplina faciat, ſed quòd ſponte delapſum, ibi remanere ubi cecidit, judicando permittat.*

752. *Deus non adeſt omnibus per ſuam gratiam.* Dicendum 4. Etſi Deus omnibus adſit ſuâ præſentiâ, potentiâ & eſſentiâ, non tamen ſemper adeſt omnibus per gratiam, ne quidem juſtis. Deinde ab aliquibus per gratiæ largitionem longiùs abeſt, quam ab aliis. Audi de hac re S. Aug. differentem l. 14. de Trinit. c. 12. *Quamvis ex ipſo & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia : Non tamen omnes cum illo ſunt, eo modo* *S. Aug.*

*do quo dictum eſt, ego ſemper tecum : Nec ipſe cum omnibus eo modo quo dicimus : Dominus vobiſcum.* Et æquè appoſitè S. Bern. Serm. 56. in cant. c. 4. *Sponſus*, ait, *quidem æqualiter atque indifferenter præſtò ubique eſt, divinæ utique præſentiâ Majeſtatis & magnitudine virtutis ſuæ. Gratiæ tamen exhibitione ſeu inhibitione quibuſdam longè, quibuſdam propè eſſe dicitur. Cæterùm à ſanctis pia diſpenſatione ad tempus, & non ex toto, ſed juxta aliquid aliquandò longè ſe facit : Peccatoribus autem de quibus dicitur, ſuperbia eorum adſcendit ſemper : & item inquinatæ ſunt viæ eorum in omni tempore, ſemper valdeque longe eſt, atque in ira hoc, & non miſericordiâ.*

Dicendum 5. Quamvis, ut ait S. Thom. in 1. ad Thim. c. 2. *Illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant,* tamen *non eſt omninò in poteſtate ejus, nullum impedimentum gratiæ præſtare.* Deinde ut ait l. 3. contra gent. c. 160. *Quamvis autem illi, qui in peccato ſunt, vitare non poſſint per propriam poteſtatem, quin impedimentum gratiæ præſtent vel ponant, niſi auxilio gratiæ præveniantur : Nihilominùs tamen hoc eis imputatur in culpam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur. Sicut ebrius ab homicidio non excuſatur, quod per ebrietatem committit, quam ſua culpa incurrit. Præterea licet ille, qui eſt in peccato non habeat hoc in propria poteſtate, quòd omninò vitet peccatum, habet tamen poteſtatem nunc vitare hoc vel illud peccatum. Inde quodcumque committit, voluntariè committit, & ita non immeritò ipſi imputatur in culpam.* *D. Thom.*

Ex quibus omnibus conſequitur, Deum non eſſe omnibus præſentem ſemper per ſuam gratiam : Defectum gratiæ pertinere ad culpam præteritam vel originalem, vel quòd oculos cordis divinis inſpirationibus claudant, vel quòd perſonalibus culpis in peccatis hæreant ; ex quo fit, ut ſi defectu gratiæ peccent, verè culpabiles ſint, voluntariè ponendo cauſam, ex qua peccatum profluit. Hinc ulteriùs, etſi ſine gratia, impedimentum gratiæ non ponere non poſſint, ut mox ante docuit S. Thomas, tamen quia

quia ſuâ culpâ in talem defectum ſunt prolapſi, minimè excuſantur: Nam ut ait Hugo vict. l. 1. de SS p. 7. c. 23. *In voluntariis non poteſt excuſare illa neceſſitas, quam operata eſt prior voluntas.* Et S. Anſelmus l. de concordia c. 17. *Impotentia quæ deſcendit ex culpa, non excuſat à culpâ impotentem, culpâ manente.* Vide S. Thomam ſupra citatum.

---

## SECTIO XI.

*An in ſtatu naturæ Lapſæ detur gratia merè ſufficiens, quæ nullo reſpectu ſit etiam efficax.*

743. *Omnis gratia in hoc ſtatu alicujus reſpectu eſt efficax.*

Dicendum primò, omnem omninò gratiam naturæ lapſæ, aliquo reſpectu eſſe efficacem, ſcilicet reſpectu effectûs ad quem proximè datur, nec aliquam eſſe merè ſufficientem. Probatur ex famoſo S. Auguſtini diſcrimine inter gratiam hominis ſani & lapſi, de quo vide ſubſequentem ſectionem, quo docet gratiam hominis lapſi non dare tantùm poſſe agere ſed ipſum agere, & ut de hominibus lapſis ait de corr. & grat. c. 11. *Hæc gratia potentior & tanto major eſt, ut parum ſit homini per illam reparare perditam libertatem, parum ſit denique non poſſe ſine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam efficiatur, ut velit.* Unde dicit illâ gratiâ voluntatem *indeclinabiliter agi & inſuperabiliter.*

Probatur 2. Quia ſi gratia illa ſit merè ſufficiens, dans ſolum poſſe, non item agere, à voluntate pendebit acceptatio gratiæ in hoc ſtatu, quod antea rejecimus, cùm Deus det homini velle & perficere: Hinc homo erit, qui ſe diſcernit, & in ſe gloriari poterit, quod negat Apoſtolus. Denique ſi ſit merè ſufficiens ejuſmodi gratia, nec ulterior gratia ad agendum ſit neceſſaria, dic ſodes, quâ ratione evenit, quod ne vel unicâ vice in actum prodeat? Quomodo gratia erit ad operandum ſufficiens, quæ tamen in 1000.

aliquan-

aliquando data caſibus, numquam eſt ſortita ſuum effectum? Simili quoque argumento aliquando uſus eſt S. Hieron. l. 1. contra Pelag. ubi ait: *Aut concede mihi aliquem potuiſſe, quod fieri poſſe contendis: aut ſi nullus homo potuit, invitus teneberis, nullum poſſe, quod poſſibile jactitas.*

Dicendum 2. Non omnis tamen gratia medicinalis eſt efficax reſpectu omnis effectus ad quem dirigitur talis gratia, ſed ſolùm reſpectu effectûs, ad quem proximè à Deo datur. Hinc gratia, quæ datur à Deo in ordine ad converſionem, non illam continuò efficaciter operabitur, ſed aliquando ſolùm efficiet aliquam boni complacentiam, voluntatem bonam, ſed nondum ſatis robuſtam, quam ſequatur ipſa converſio. 744. *Gratia efficax reſpectu unius effectus, non eſt efficax reſpectu omnis alterius.*

Prædictam Doctrinam tradit & defendit contra Leſſium Lovanienſis & Duacena Univerſitas, in ſuis Cenſuris.

Objiciunt tamen 1. Videtur data Doctrina Concilio Trid. contraria, quod ſeſſ. 6. can. 4. definit & indicit Anathema iis, qui dicunt liberum arbitrium à Deo motum & excitatum, non poſſe diſſentire, ſi velit. Reſp. Verum eſt, quòd arbitrium hominis à Deo motum, poſſit diſſentire, ſi velit, cùm poſſit gratiam abjicere, uti ſæpè fit: Quomodò tamen falſum ſit, quòd Deus aliquid velit, & ſimul non fiat, quamvis poſſit non fieri, vide confirmatum in 1. 2. §. 2. pro quo notandum, duo in eadem divina gratia conſiderari poſſe, illuminationem intellectûs & piam affectionem voluntatis. Primæ, ſæpè diſſentire poteſt voluntas, poteſt enim voluntas nolle ſequi, quod ratio à Deo illuſtrata judicat eſſe ſequendum: & de his ait Auguſt. l. 2. c. 16. de lib. arb. *Væ qui ſe à lumine tuo avertunt, & obſcuritati ſuæ dulciter inhærent.* Unde ſicùt in Hyeme Solis radii à nimio frigore & gelu vincuntur, nec glaciem emolliunt, ita & in dicto caſu, radii divinæ gratiæ, cordis duritiem non emolliunt, & ad ductum ſuum ſequendum pertrahere non ſufficiunt. 745. *Liberum arbitrium à Deo motum poteſt diſſentire.*

 Secun-

Secundæ, ideſt voluntatis affectioni, homo quoque diſſentire poteſt, idque propter mutabilitatem arbitrii, quam gratiæ motio non extinguit. Hoc autem contingere poteſt, quòd affectio illa gratiæ, in quadam inefficaci voluntate ſive velleitate abſolvitur, quod prima affectionis flammula extinguatur, nec ad perfectum conſenſum deducatur, &c.

Dices, hinc ſequitur quòd Deus det homini poſſe ſi velit. Reſp. verum eſſe, ſed voluntatem à Domino præparari, unde voluntas à Deo jam excitata *De ſua habet mutabilitate, ſi deficit; de gratiæ opitulatione, ſi proficit*, ait S. Proſp. de vocat. gent. c. 26. l. 2.

746. *Damnata propoſitio.* Objicies 2. Videtur data Doctrina ab Eccleſia damnata in hac: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſtitur.* Reſp. quòd reſiſtere voluntas poſſit in hoc ſtatu interiori gratiæ, uti & quòd ſæpè reſiſtatur eidem, jam mox declaravimus, uti & dicto loco in 1. 2.

Objicies 3. Contraria eſſe videtur Scripturæ Sacræ *S. Script* Math. 25. *Quoties volui congregare filios tuos... & noluiſti?* Et act. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Deinde aliàs illuſoriè exprobraret Iſaiæ 5. non venientibus, *Quid amplius debui facere vineæ meæ & non feci?* Niſi per gratiam ſufficientem vocati, non veniſſent. Reſp. ad 2. priora Scripturæ loca. Ad prius quidem S. Auguſtino à Juliano idem fuiſſe objectum, unde S. P. per *Filios Jeruſalem* intelligit ſolos electos, quod immeritò Maldonato, ut violentum diſplicet. Deinde intelligi poteſt, Chriſtum eoſdem vocaſſe & congregaſſe, per prædicatores, miracula, &c. quæ omnia illis exprobrat, uti & Iſaiæ 5. quòd iiſdem beneficiis non ſint bene uſi nec ſint gratiores: Non quòd ideò habuiſſe dicendi ſint gratiam ſufficientem, cùm ſolùm illa exteriùs adhibita ſint, quæ nihil proſunt, quamdiu divina gratia intus cor non aperit, cùm nihil ſit ille qui plantat, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Unde Deuter. 29. etiam increpat Deus aliquos obduratos & excæcatos, quibus temporalia beneficia

dederat,

dederat, quos tamen non habere gratiam ſufficientem, anteà probavimus.

Nihil autem ad propoſitum facit locus Act. 7. adductus pro oppoſito: nulla enim gratia Sancti Spiritûs neceſſaria eſt, ut Spiritui Sancto reſiſtant obdurati, ut Prophetas inſectentur & occidant, unde eos & eorum patres, *proditores* vocat & *homicidas*, Scriptura Sacra.

Objicies 4. Obſtat quoque hîc Apoſtoli locus 2. Cor. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Reſp. poteſt quidem gratia Dei in vacuum recipi, non tamen in ſenſu ab adverſariis intento, quaſi gratia à Deo data deberet expectare nutum voluntatis, non ipſa voluntatem ageret; ſed tunc in vacuum recipitur gratia, vel quando divinæ gratiæ voluntas diſſentit modis in objectionis 1. ſolutione dictis: vel quando gratia habitualis vel actualis, non ad ultimum uſque perſeverat, ſed tandem deficit. 747. *Poteſt gratia recipi in vacuum.*

Objiciunt 5. Varia S. Auguſtini loca eaque perobſcura, quibus datam Doctrinam in clariſſimis illius S. Patris ſententiis fundatam, oppugnare ſatagunt. 1. quòd l. 1. q. 2. ad Simpl. dicat Dei eſſe vocare, noſtrum eſſe ſequi. Quòd c. 14. de dono perſev. dicat Deum *Congrua vocatione* hominem vocare: quòd l. 12. de Civit. Dei c. 6. de duobus æquali gratia præventis, dicat unum habere ex ſua voluntate quòd ſequatur, & alibi ſæpè ubi dicit, velle, conſentire, ſequi, eſſe noſtrum. Ad quæ reſp. inprimis librum illum ad Simplic. ab Auguſtino eſſe conſcriptum ante Epiſcopatum, quo tempore Semipelagianis in hoc puncto concordabat, uti anteà notavimus. Deinde non tam aſſertivè hoc pronuntiat, quam diſputativè. Rurſum, quando alibi dicit Deum vocare hominem *Congrua vocatione*, non vult, prout adverſarii, Deum gratia ſufficienti hominem vocare, ſed *congrua*, ideſt congruenti & opportuna ad effectum aſſequendum, adaptando ſuum operandi modum voluntati creatæ. Denique quando S. Præſul docet, à voluntate fieri *S. Auguſt.* 748. *Qua gratia dicatur Auguſtino congrua.*

quòd quis aſſenſum det vocationi, noſtrum eſſe velle, &c. ſemper ſollicitè addit, *ſed præparatur voluntas à Domino*, & quòd unus credat, alter non, ex miſericordia Dei proveniat, qui unius ſic tangit ſenſum, ut accommodet aſſenſum, alterius autem non ita tangit, ut apertè ait l. de prædeſt. SS. c. 5. & alibi ſæpè. Eodem modo alibi dicit, *Velle & nolle eſſe propriæ voluntatis*. Certum eſt enim nos velle cùm volumus, ſed ille facit ut velimus bonum. Voluntas ergo eſt quæ vult, ſe determinat; ſed gratia Dei eſt, quæ dat voluntati vires volendi, ſe determinandi, præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Hinc in Pſalm. 137. *Quæcumque*, ait, *ſunt bona opera mea, abs te mihi ſunt, & ideò tua magis, quam mea ſunt*. Aliud dicebat Pelag. de grat. Chriſti c. 4. *Quod bene vel agimus, vel loquimur vel cogitamus, noſtrum eſt*. Semipelagianorum item hæc erat opinio, allata l. 1. retract. 23. *Noſtrum eſt credere & velle: illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi*. Hinc ut conſtet quo ſenſu credere, bonum velle, bonum operari, noſtrum dici poſſit, Dei tamen gratiæ ſit adſcribendum, docet liquidò l. 1. retract. c. 23. *utrumque*, ait, (credere & operari) *Noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & utrumque tamen datum eſt per ſpiritum Fidei & Charitatis.... utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & utrumque noſtrum, quia non fit, niſi volentibus nobis.*

Objicies ultimò: ſequitur inde, quòd nemo orare poſſit, niſi oret de facto: nemo converti poſſit, niſi convertatur, &c. cùm enim ad orandum, ad convertendum opus ſit gratia, & omnis ſit efficax, eo ipſo quo adeſt gratia orationis, converſionis, ſequetur oratio, converſio, &c. Reſp. non indigemus

749. *Poſſe bene agere eſt naturæ, bene agere eſt gratiæ.*

gratia ut orare poſſimus, ſed ad orandum: poſſe enim bene agere naturæ eſt hominis, bene agere autem gratiæ eſt fidelium. Unde ſi illud *ſine gratia* afficiat *poſſe*, falſum eſt, etiamſi verum ſit, ſi referatur ad *orare, converti*, quæ ſine gratia non fiunt. Deinde,

etſi

etſi gratia danda ad orandum proximè, orationem inferat, non tamen ſemper tantam, ut ſpiritus poſtulet pro nobis: uti nec etiam gratia proximè data ad initium converſionis, mox ſufficiens erit & efficiet plenam hominis converſionem. Vide quæ dicam de juſtificatione.

Quæ hucuſque variis ſectionibus dicta ſunt, concludo cum Doctore Mellifluo & confirmo: *cavendum* ait lib. de grat. & lib. arb. ſub finem. *Ne cùm hæc inviſibiliter intra nos ac nobiſcum actitari ſentimus, ea noſtræ voluntati attribuamus, quæ infirma eſt, aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt: Sed ſoli gratiæ, quæ pleniùs ipſum liberum excitat arbitrium, cum ſeminat cogitatum; ſanat, cùm commutat affectum: roborat, ut perducat ad actum: ſervat, ne ſentiat defectum: ſic autem iſta cum libero arbitrio comparatur, ut tantùm illud in primo præveniat, in cæteris comitetur: ita tamen, quod à ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficiatur; ut miſtim, non ſigillatim: ſimul, non viciſſim; per ſingulos profectus operetur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, ſed totum ſingula opere individuo peragant, totum quidem hoc, & totum illa, ſed totum in illo & totum ex illa* S. Bern. documentum notabile.

---

## SECTIO XII.

*De Differentia gratiæ hominis lapſi & hominis integri.*

Quomodò Protoparentes, etſi in ſummo honoris faſtigio & plena rectitudine creati eſſent, indiguerint tamen divinæ gratiæ adjutorio, aliquatenus oſtendi tract. 1. c. 7. ſect. 3. agens de donis primi hominis quoad animam. Pluribus tamen dictum adjutorium differt ab adjutorio hominis lapſi.

Per ſe enim adjutorium illud diſtinguitur ab adjutorio hominis lapſi, quòd unum ſit adjutorium hominis ſani, aliud ægroti: alia enim auxilia quadrant conditioni integræ & ſanæ; alia ægrotanti. 2. in illorum ſen- 750. Differentia gratiæ Adami & noſtræ.

ſententia, qui docent Chriſtum non venturum fuiſſe, ſi Adam non peccaſſet, in eo differunt dicta adjutoria, quòd adjutorium hominis lapſi profluat ex meritis Chriſti, non itidem aliud hominis integri. 3. Convenit inter omnes, quòd gratia medicinalis hominis lapſi ſit amplior & fortior, venit enim Chriſtus *Ut vitam habeant & abundantiùs habeant*, & *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Joan. 10. & Rom. 5. 4. Auxilium hominis lapſi hominem roborat & munit adverſus concupiſcentias, varia pericula & moleſtias, quod auxilio hominis integri non conveniebat, in quo ſtatu nulla concupiſcentia, nulla pericula, nullæ miſeriæ aut moleſtiæ. Gravis tamen eſt quæſtio, in quo illa major & amplior efficacia gratiæ hominis lapſi propriè conſiſtat; unde

Dicendum primò, illa major poteſtas non eſt in eo ſita, quòd homo integer potuerit gratiæ diſſentire ſi velit, homo verò lapſus neceſſariò aſſentiatur, nec poſſit diſſentire ſi velit. Id enim expreſsè damnatum eſt in Conc. Trid. de quo alia ſectione præcedenti: poteſt enim homo lapſus gratiæ diſſentire, ſi velit, ut ibidem oſtendi.

751. *Primus actus amoris Adami, datus à Deo per efficacem gratiam.*

Dicendum 2. Primum amoris actum Deus indidit Adamo per gratiam efficacem, non tantùm dando poteſtatem eum eliciendi, ſed & eumdem in voluntate & cum voluntate efficiendo. Congruebat enim, ut Deus per talem gratiam hominem poneret in via, & debitis mediis inſtrueret, ut ad ſalutem ad quam eumdem condiderat, pervenire facilè potuiſſet: hoc eſt quod dicit Scriptura Eccli. 7. *Quod Deus hominem fecerit rectum*, non ſeipſum per conſenſum ſuæ voluntatis, fecit rectum. Vide dicta præfata ſect. 3. c, 7.

752. *Alius ſequentes per auxilium ſufficiens.*

Dicendum 3. Sequentes actus ſupernaturales, & perſeverantiam in bono dedit Deus homini per auxilium merè ſufficiens, quò poſſet homo bene uti ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Et in hoc conſiſtit famoſum S. Auguſt. diſcrimen adjutorii Adæ ab adjutorio hominis lapſi. De quo audi S. Doctorem l. de corrept.

corrept. & grat. c. 11. *Tale erat adjutorium* (Adæ) *quod deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Et hæc prima eſt gratia, quæ data eſt primò Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim quâ fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt*, ſcilicèt, *quâ etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.* S. Aug. Æquiparat ergo S. Doctor hoc & aliis locis innumeris, gratiam datam Adamo, gratiæ merè ſufficienti, quæ dabat poſſe agere ſolummodò, non item ipſum agere, non agens indeclinabiliter & inſuperabiliter voluntatem, ſed ejuſdem nutum & determinationem expectans. Hanc autem gratiam naturæ lapſæ, docet eſſe gratiam, quæ plus poſſit, quâ etiam fit, ut velit, & tantum velit, ut omnem reſiſtentiam vincat; ideſt, quæ inſuperabiliter & indeclinabiliter hominis voluntatem determinat.

Hinc communiter vocat bona opera hominis lapſi *Dei dona*, quia efficaci gratiâ producta, quæ non tantùm dat poſſe, ſed & ipſum agere: quæ in ſtatu integro vocat *humana merita*, quia principaliter voluntati ſeſe determinanti adſcribebantur, etſi eadem operari non poterat ſine Dei auxilio: Vide eumdem l. de prædeſt. SS. c. 15. & quæ diximus de donis animæ primi hominis prædicto loco.

Dicendum ergo juxta hanc S. Auguſtini ſententiam gratiam hominis lapſi diſtingui à gratia hominis integri.

1. Quod gratia hominis lapſi indeclinabiliter voluntatem determinet, dans ipſum agere, ipſum velle, ſalvâ tamen ejuſdem libertate. Gratia verò hominis ſani, voluntatem non determinabat ad actum, ſed determinatio relinquebatur libero voluntatis arbitrio, nec dabat ipſum agere, ſed ſolum poſſe agere. 753. 1. differentia.

2. Quod gratia naturæ lapſæ diſcernat operantem à non operante, alia verò non item, ſed diſcretio pendet in eo ſtatu ab arbitrio voluntatis, quo fit, ut 2. Differentia.

unus gratiâ utatur & coöperetur, alter non, cum omnibus indifferenter dabat poſſe.

3. *Differentia.* 3. Quòd hac ratione gratia in natura lapſa ſit Domina voluntatis, & principalis cauſa meriti: in natura verò ſana, gratia ſit pediſſequa, expectans nutum voluntatis, & cauſam ſecundariam meriti, cum homo ſeſe determinando, opus meritorium exercebat.

4. *Differentia.* 4. Quòd gratiæ naturæ lapſæ totam operis laudem dari oporteat, cùm ipſa ſit, quæ dat velle & perficere. In natura verò ſana potuiſſet homo, ſi perſeveraſſet, gloriari de perſeverantia, quam per determinationem ſuæ voluntatis eſſet conſecutus, nam ut ait S. Aug. de Angelis perſeverantibus (eadem autem eſt ratio de homine integro) de corr. & grat. c. 11. *Aliis cadentibus ſuo libero arbitrio, per idem liberum arbitrium ſteterunt*, etſi non ſine gratia.

## SECTIO XIII.

### *Reſpondetur argumentis in contrarium.*

754. *Adjutorium quo & ſinequo non.* PRo pleniori prædictorum intelligentia, cum S. Auguſt. l. de cor. & grat. c. 12. diſtinguenda ſunt, duo adjutoria: aliud eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, quod & *poſſibilitatis* vocant: tale adjutorium fuit juxta antedicta adjutorium Adæ, quod dabat tantummodò poſſe agere, & ſine quo Adam agere non poterat. Aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit, & dicitur *adjutorium actionis*, eo quòd non tantùm det poſſe, ſed & ipſum agere. Tale autem docet S. Aug. datum eſſe homini lapſo.

755. *Varia adjutoria.* Deinde notandum eſt auxilium aliquod generale ad actus bonos, quod utrique dicto auxilio eſt commune, & abſtrahit an det poſſe, an det ipſum agere. Denique notandum eſt, eſſe quoque auxilium beatitudinis, quo quis in patria de ſua ſalute certificatur. His poſitis.

Obji-

Objiciunt contra prædicta ex S. Auguſtino illud quod ait l. 12. de civit. c. 9. *Si non potuerint ſe-ipſos* (Angelos, idem eſt de primo homine) *facere meliores, quam eos ille fecerat: profectò & bonam voluntatem, quâ meliores eſſent, niſi operante adjutorio Creatoris habere non poſſent.* Reſp. hoc intelligendum eſt, de adjutorio Creatoris generali, quod neceſſarium eſt ad omnes actus bonos. Dicit enim ſolum illud eſſe à Deo, ne Deo videatur eſſe coæternum, inde autem non ſequitur, eſſe tale adjutorium, quale eſt in ſtatu naturæ lapſæ. Idem dicendum eſt ad illud, quo docet, quod nec Angeli, nec Adam ſine adjutorio Dei perſeverare potuerint, & his ſimilia: certum enim eſt, quòd ſine Dei gratia nec Angeli nec Adam bonum agere aut perſeverare potuerit. Vide tract. 1. cap. 7. ſect. 3, *S. Aug.*

Dices S. Auguſt. l. 12. de Civit. c. 9. docet Angelos perſeverantes *ampliùs* à Deo eſſe adjutos, ergo gratia perſeverantiæ Angelorum, & Adami, ſi perſeveraſſet, Deo eſt adſcribenda ejuſque gratiæ, non Angelorum aut Adami voluntati. Reſp. Deus eoſdem *ampliùs* adjuvit, quia eoſdem ad beatitudinem ſuſcepit: Unde agit S. Auguſtinus de adjutorio patriæ. Verùm licet de adjutorio viæ intelligatur illud majus adjutorium, nihil obſtaret, cùm idem eſſet, ac adjutorium diutius durans, uti dicitur hic homo *amplius*, ideſt *diutius* vivit. Neque obeſt, quòd dicat *aliis cadentibus*, cùm alio loco, quo ſe hîc refert S. Doctor, ſcilicèt 11. Civit. c. 13. dicat, *Poſt illorum ruinam amplius* ergo à Dei gratia adjuti ſunt Angeli perſeverantes, quia à Deo in patria de ſua ſalute ſunt facti certiores & ſecuri: deinde, quia diutius poſt aliorum ruinam à Dei gratia ſunt adjuti.

Objicies 2. Juxta antedicta coincidimus cum hac damnata: *Nec Angeli nec primi hominis adhuc integri merita, rectè vocantur gratia.* Item hac: *Et bonis Angelis & primo homini, ſi in illo ſtatu perſeveraſſet, uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, non gratia.* Reſp. 756. *condemnatæ propoſitiones.*

confi-

confitendum eſſe, merita primi hominis, eſſe Dei dona, ſed ſolummodò cum S. Auguſtino negamus, illa fuiſſe ſpecialia Dei dona, ideſt, ita facta per gratiam, ut non tantùm voluntas per illam poſſet illa agere, ſed gratia eadem agere dederit voluntati: quod cum Auguſtino noſtra diffitetur opinio. Fuerunt tamen Dei dona, eo quòd ſine gratia ab homine ſano fieri non potuerint, tametſi fuerit pleniſſimè ſanus. Vide dicta de ſtatu primi hominis.

757. *Gratia varia pro vario ſtatu erat neceſſaria.* Objicies 3. In omni ſtatu neceſſaria fuit gratia prædeterminans; ergo illi gratiæ bonum opus ſemper fuit principaliter adſcribendum. Reſp. verum eſſe, in omni ſtatu ad bene operandum neceſſariam fuiſſe gratiam, ſed pro diverſitate ſtatûs gratiam in operando difformem, maximè cum Deus unumquemque moveat pro conditione cujuſque. Vide quæ dicta ſunt tract. 1. c. 4. ſect. 3. de prædeſt. Angelorum. Ratione hujus Auguſtinianæ Doctrinæ notatum velim, nimium affectum erga prædeterminationem Phyſicam, etiam viros in Auguſtino alias maximè verſatos & ejuſdem ſequaces, eo deflexiſſe, ut famoſum allatum ex Auguſtino diſcrimen pernegarent, ſimul evertentes omnem gratiæ medicinalis œconomiam.

CAPUT

# CAPUT OCTAVUM.

## De Neceſſitate Gratiæ.

## SECTIO PRIMA.

### *An homo ſine gratia poſſit cognoſcere aliquod verum.*

PRÆNOTANDUM eſt, alias eſſe veritates naturales, alias eſſe ſupernaturales. Naturales ſunt, quas intellectus activitate ſuâ naturali poteſt aſſequi. Supernaturales, quæ naturalem intellectûs vim longè excedunt. Aliæ inſuper ſunt naturales aut ſupernaturales, ex parte objecti materialis, aliæ ex parte objecti formalis ſeu motivi. Prioris generis eſt veritas hujus, *Deus eſt*, quæ naturaliter per intellectum cognoſci poteſt, ubi tamen erit ſupernaturalis ex parte objecti formalis, ſi illi aſſentiamur fide divinâ, ideſt propter Dei revelationem. Econverſo veritas hujus erit naturalis, ſi per naturalem cognitionem ex creaturis hauſtam illi aſſentiamur. 758. *Veritates naturales & ſupernaturales.*

Notandum inſuper, alias eſſe cognitiones practicas, alias ſpeculativas. Practica cognitio eſt, quæ tendit in objectum in ordine ad praxim, ſive ut juxta illam operetur. Speculativa eſt, quæ pro ſuo objecto habet contemplationem, ſive ipſam cognitionem in qua ſiſtit, neque ulteriùs ordinatur ad praxim. 759. *Veritas practica & ſpeculativa.*

Denique notandum eſt, Deum variis modis manifeſtare alicujus veritatem, non tantum infundendo cognitionem ſupernaturalem alicujus, ſed & naturalem, idque variis mediis, v. g. per prædicatores, ſcripturas, per lumen naturæ, creaturas, inſpirationes, miracula, quibus res aliquas cognoſcendas proponit & confirmat. Hiſce poſitis. Dicen-

760. Dicendum 1. Certum eſt, naturali cognitione cognoſci poſſe varias veritates naturales, ſive ad quas intellectûs activitas ſeſe extendit: ſic inviſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur naturali cognitione, item homines impiiſſimi & gentiles plurima artificioſiſſima invenerunt primi: Non tamen omnes omninò naturales veritates collectivè ſumptas poteſt homo aſſequi ſine gratia, idque partim ob intellectûs imbecillitatem, ſenſuum defatigationem in operando. A quibus in hac vita dependet intellectus; partim ob vulnus animæ, quod ignorantiam plurimorum ſecum traxit. Hinc comparatur intellectus noſter oculo ſemicæco, qui ob vulnus aliquod aliqua quidem intueri poſſit ſed non omnia, niſi ſpeciali adjutorio luminis adjuvetur: non verò penitus cœco, cùm intellectûs naturalis vis permanſerit etiam poſt lapſum, etſi in multis debilitata ſit & minuta.

*Varia naturaliter cognoſcere poteſt intellectus.*

Dicendum 2. Poteſt intellectus naturaliter cognoſcere aliquas veritates ſpeculativas ſupernaturales ex parte objecti materialis tantùm, non item ſimul ex parte objecti formalis. Prior pars probatur, quia Hæreticus plurima cognoſcit naturali cognitione, quæ tamen ſunt in ſe ſupernaturalia, v. g. Trinitatis Myſterium: ſic & dæmones credunt & contremiſcunt, ſed naturali tantùm cognitione, vel experimentali, vel ob aliud motivum naturale.

Poſterior pars etiam patet, quia ſi objectum formale ſit ſupernaturale, erit cognitio Fidei, quæ ſine Dei gratia obtineri nequit. Hinc dicit Apoſtolus ad Philip. 1. *Nobis donatum eſſe pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credamus, ſed & patiamur.* Et 1. Cor. 7. miſericordiæ Dei adſcribit, *quod ſit fidelis.* Idem docet Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. dum dicit Anathema iis qui dicunt, ſe poſſe ſine Dei adjutorio Dei credere, ſicut oportet,

Dicendum 3. Non poteſt homo naturaliter cognoſcere veritatem practicam ſupernaturalem. Probatur

batur hoc clarè ex Conc. Milev. Can. 4. ubi dicit, *Donum Dei eſſe ſcire, quid facere debeamus*, puta in ordine ad ſalutem, prout ſunt veritates ſupernaturales practicæ. Idem innuit Apoſtolus, dum dicit 2. cor. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* De quo plura ſequenti ſectione.

## SECTIO II.

*An homo ſine gratia poſſit agere opus aliquod moraliter & undeqnaque bonum, ſine gratia.*

Dicendùm primò, nihil in S. Auguſtino familiarius, niſi hominem ad omne opus moraliter bonum exigere ſpeciale Dei auxilium, ſine quo non poſſit opus illud exercere. Probari hoc poteſt, ex antedictis tract. 11. c. 3. ſect. 3. ubi probatum eſt, ad opus moraliter bonum requiri relationem illius operis in Deum tamquam ultimum finem, quæ relatio fieri debet per charitatem, quâ Deus propter ſe diligitur: omnis autem Charitas Dei propter ſe, eſt ſupernaturalis, uti clariſſimè oſtendam ſequenti ſectione.

Deinde omne opus bonum neceſſariò incipit à cognitione, quâ cognoſcimus quid faciendum ſit propter illum finem, ad quem ordinanda ſunt omnia, quæ cognitio ex Dei gratia profluit juxta illud quod docet Conc. Milevit. aliâ ſectione citatum Can. 4. dum dicit, *Utrumque donum Dei eſt, & ſcire quid facere debeamus & diligere, ut faciamus.* 761. *Cogitatio bene agendi ex gratia eſt.*

Idem Conſtanter docent Concilia 1. Dioſpolitanum exigit Pelagium profiteri gratiam Chriſti ad ſingulos actus dari. Docet hoc quoque Cœleſtinus Pont. Epiſt. ad Epiſc. Galliæ. Can. 9. ubi docet omnem ſanctam cogitationem, pium conſilium, omnemque bonæ voluntatis motum ex Deo eſſe. Idem docet Arauſicanum, quod docet hominem de ſuo nihil habere *Concil. Dioſpol.* *Cœleſtinus*

Conc. Arauſ. bere niſi mendacium & peccatum, Can. 22. de quo alibi.

Data tamen Doctrina S. Auguſtino fuit evidentiſſima, quam ut in S. litteris fundatam conſtanter defendit adverſus Pelagianos & Semipelagianos. Audi S. Doct. generaliter ad illud Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere: ſive ergo parum*, infert tract. 81. *ſive multùm, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt.* Et ſerm. 13. de verb. Apoſt. *Prorſus ſi defuerit* (gratia) *nihil boni agere poteris; agis quidem illo non adjuvante, ſed malè.*

August. 

Quòd verò Doctrinam datam adverſus Pelagium ſtabiliat, patet clariſſimè ex eodem S.P. ſermone c. 11. ubi eumdem oppugnans negantem gratiam neceſſariam eſſe ad bene agendum, quamvis neceſſaria eſſet ad faciliùs operandum: ita ſubdit: *Non ſic eſt adjutorium Dei, non ſic eſt adjutorium Chriſti, non ſic eſt adjutorium Spiritus Sancti prorſus ſi defuerit, &c.* Et iterum l. 2. de nupt. & conc. c. 3. *Si quis*, ait, *ad colendum rectè Deum ſine ipſius adjutorio, dicat eſſe in hominibus liberum arbitrium, ipſe Cæleſtianus & Pelagianus vocatur .... liberum quidem in hominibus eſſe arbitrium utique dicimus, non hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani: liberum autem eſſe quemquam ad agendum bonum ſine adjutorio Dei, hoc vos dicitis, hinc eſtis Cæleſtiani & Pelagiani.*

S. Aug.

à Caſtro. Hinc Alph. à Caſtro v. *Gratia* concluſ. 3. recenſitis Pelagii erroribus, hanc ponit ut Catholicam Pelagio contrariam, quòd *Liberum hominis arbitrium ex ſola ſua poteſtate, additâ etiam illâ communi & generali Dei concauſatione, non poteſt ſine aliquo Dei ſpeciali auxilio bonum aliquod operari.*

Vinc. Lyrin. Unde etiam Vincentius Lyrin. cont. Hæreſ. c. 3. *Quis* ait *umquam ante prophanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus, per actus ſingulos ad juvandum neceſſariam Dei gratiam non putaret?*

Eidem ſententiæ ſubſcribit S. Proſper de ingratis c. 36. ubi ita canit.

Satis

——— *Satis eſt opera omnipotentis* *S. Proſp.*
*Cernere, & authorem cunctorum noſſe bonorum*
*Quo ſine nil recti mens inchoet.*

Et rurſum c. ult.

——— *Gratia Chriſti eſt*
*Quâ currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, inſtat,*
*Credit, ſperat, amat, mundatur, juſtificatur;*
*Si quid enim rectè gerimus, Domine auxiliante*
*Te gerimus, tu corda moves,* &c.

Idem docent S. Fulgentius, Hieron. Gregorius Arimi, Gerſon, Carthuſianus, Roffenſis, qui addit, quòd ſit ſententia Sanctorum Patrum, cui *Scholaſticorum argutia* neceſſe eſt, cedat; vide Martyrem illum cont. art. 36. Lutheri. Idem docet S. Thomas q. 24. de lib. arb. a. 14. ubi quærit, an liberum arbitrium in bonum poſſit ſine gratia, & reſpondet: *Si gratiam* *S. Thom.* *Dei velimus dicere, non aliquod habituale bonum, ſed ipſam miſericordiam Dei, per quam interiùs motum mentis operatur: ſic nec ullum bonum homo poteſt facere, ſine gratia Dei, ſed communiter loquentes, utuntur nomine gratiæ, pro aliquo dono habituali juſtificante.* Qui verò volunt, S. Doctorem intelligere per miſericordiam communem Dei concurſum, vim inferunt clariſſimis ejuſdem verbis, ut ipſi Thomiſtæ fatentur. Dividit enim hîc D. Thomas gratiam in actualem & habitualem juſtificantem uti per ſe patet, actualem vocans Dei miſericordiam: aliàs enim nihil probaſſet S. Thomas, cùm homo nullum actum exercere poſſit ſine miſericordia ideſt generali Dei concauſatione.

Eandem à nobis ſententiam dictat & ratio. Rogamus enim à Deo ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, *Ratio.* & agendi, & generaliter opera bona: Oratio autem eſt gratiæ teſtificatio & ut ait S. Auguſt. Epiſt. 107. *Prorſus non oramus, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum credimus, facere quod oramus.*

Denique, quæcumque opera moraliter bona, remotè ſaltem diſponunt ad gratiam, quatenus removent impedimenta, quibus poſitis, gratia non daretur:

tur: ex quo conſequitur, quòd ſi ſine gratia opera illa moraliter bona fieri poſſint, nos ipſos ad gratiam diſponamus actu naturali. Quòd ſi detur: viderint alii, quam longè à Maſſilienſium errore in hoc puncto diſcordent.

## SECTIO III.

*Satisfit argumentis in contrarium allatis.*

FACILI negotio SS. Patrum prædicta teſtimonia elidere autumant, dicendo ſolùm, illos loqui de opere bono meritorio, ſive ad ſalutem æternam conducente: Hoc enim ſine gratia fieri non poſſe Sancti Patres docent, non item de opere ſteriliter bono. Hinc addunt aliqui in hac materia, non poſſe ſine gratia hominem agere aliquod opus bonum, *quod ſit Sanctum, pium, quod ſit ſicut oportet.* Ad quod Reſp. Nihil in Auguſtino evidentius, quam quodlibet opus undequaque bonum, eſſe etiam meritorium, quod expreſsâ ſectione probatum vide de merito c. 9. ſect. 9. Si ergo ſit opus bonum, erit & meritorium, erit Sanctum, pium, & ad ſalutem conducens. Ve-
762. rùm quid innuit to *ſicut oportet* S. Auguſtino maximè familiare? an fortè opus bonum meritorium & ad ſalutem conducens? Enimverò varii variè phraſim illam explicant, ſed Auguſtino difformiter. Quapropter notandum S. Patrem hâc phraſi potiſſimùm familiariter uſum in luctâ cum Pelagianis, qui volebant opus aliquod eſſe bonum, ſi ex officio, puta ex objecto proximo eſſet bonum, & deinde nullo pravo fine extrinſeco eſſet depravatum: Hoc eorum dogma ubique rejicit S. Auguſt. docens non eſſe bonum *ſicut oportet*, quod non fit intentione fidei bonæ, quæ per dilectionem operatur: id eſt, quod non ſit opus bonum *ſicut oportet*, quod ex officio eſſet bonum, ſed quod in Deum ut ultimum finem quo-

*Quid importet ſicut oportet*

que

que non dirigeretur. Unde to *Sicut oportet*, idem eſt cum eo quod alibi dicit, opus fieri *Cum bona voluntate, ex animo, recto fine, dilectione juſtitiæ.* Quibus ideo alibi addit, opus bonum poſſe fieri non benè, ideſt *Non ſicut oportet*, ſi fiat opus ex officio bonum, intentione carnali, non intentione juſtitiæ. Aut non in Deum ut finem ultimum illud referendo. Conformiter ad dicta explicari debent Conc. Arâuſ. & Trid. quæ hac Auguſtini phraſi in hoc puncto ſunt uſa.

Certum ergo eſt, hominem ſine gratia bonum operis officium poſſe agere, numquam tamen undequaque bonum & *Sicut oportet*, niſi in Deum ordinetur opus illud per Charitatem ſupernaturalem.

Objiciunt 2. Rom 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt.* Ergo ſine gratia bona legis opera exercent. Reſp. N. C. to enim *Naturaliter*, non eſt idem quod viribus naturæ, ſed ſine adminiculo legis ſcriptæ, puta per dictamen legis naturalis, quæ opus legis divulgat omnium mentibus, & demonſtrat. Deinde S. Auguſt. dictum locum intelligit de gentibus ad fidem converſis, quæ *Naturaliter* ea quæ legis ſunt faciunt, ideſt per naturam gratiâ adjutam & reparatam. Vide S. Doctorem l. 4. cont. Juli. c. 3. & lib. de ſpir. & litt. c. 26. *Apoſtolus*

Dices hæc propoſitio in Bajo condemnata eſt: *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli Rom. 2. Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis ſunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Reſp. verè & merito damnatam eſſe dictam propoſitionem, vel ſolùm ob acerbam nimiùm Cenſuram, cùm varii Doctores, & quidem maximo numero docerent, locum illum intelligendum eſſe de gentibus ad fidem nondum converſis. Nec quiſquam adeò temerarius, ut hîc S. Auguſtinum ab Eccleſia velit condemnatum. 763. *Damnatæ propoſitiones.*

Objiciunt 3. videtur Doctrina noſtra ab Eccleſia proſcripta in his ſequentibus: *Pelagianus eſt error dicere quòd liberum arbitrium valeat ad ullum peccatum vitandum. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt quod ex ſolis naturæ viribus ortum ducit, agnoſcit.*

*Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis arbitrii bonus ſive non malus, & gratiæ Chriſti injuriam facit qui ita ſentit & docet.* Reſp. in primis cum Turriano, opuſculo 15. c. 3. §. 2. & rogo: *An ſit contra bullam, uti teſtimoniis Conciliorum, Scripturarum & Patrum, ad probandum non poſſe fieri aliquod bonum opus ſine gratia? non defuerunt, qui exiſtimarent eſſe contra prædictam bullam, uti teſtimoniis Scripturæ & SS. Patrum ad probandum non poſſe ſolis viribus liberi arbitrii fieri bonum opus morale, & probant: Quia citatâ bullâ damnata eſt mens Baii, qui cenſuram tribuit opinioni illi aſſerentium poſſe fieri, aliquod bonum opus ſine gratia. Et tamen, ſi Concilia & Patres contrarium docuiſſent, opinio illa eſſet cenſurâ digna: Sed multi viri hujus ætatis ſentiunt contrarium, nempe, non eſſe contra prædictam bullam uti teſtimoniis Conciliorum & Patrum ad probandum, non poſſe fieri bonum aliquod opus morale ſine gratia.* Hæc ille.

Deinde, quod ad primam propoſitionem attinet, rectè proſcripta eſt, cùm falſum ſit, liberum arbitrium non poſſe ullum vitare peccatum, cùm poſſit quidlibet, ſed per gratiam.

Ad ſecundam Reſp. etiam eamdem eſſe falſiſſimam, cùm plurima bona naturalia, hoc eſt, ex ſolis naturæ viribus orta, ſint agnoſcenda, maximè cùm omnis Dei creatura ſit bona. Deinde advertendum eſt, to *ſolis* in dicta propoſitione excludere etiam generalem Dei concurſum, quem tamen admittebant Pelagiani.

Ad tertiam denique propoſitionem Reſp. Vel illam eſſe damnatam propter motivum à falſa Doctrina diſtinctum, vel per *gratiam*, authorem illius intelli-

gere

gere *gratiam juſtificantem*, uti in aliis patet, quæ dicunt, *omne, quod agit peccator*.... *peccatum eſſe*, & illis, quæ innuunt quòd vera charitas non poſſit conſiſtere cum ſtatu peccati, ita expreſsè docet Gabriel Vaſq. tom. 2. in 1. 2. diſp. 190. c. 2. num. 10. falſum autem eſt, quòd ſine tali gratia, ideſt habituali, non detur bonus uſus liberi arbitrii, cùm in peccatoribus opera bona poſſint inveniri.

Objicies 4. Ergo extinctum erit liberum voluntatis arbitrium, quod eſt facultas in bonum & malum. Reſp. Sicut in Chriſto eſt liberum arbitrium, etſi non ſit poteſtas peccandi, ita in damnatis eſt idem arbitrium, etſi non poſſint quidquam verè boni operari. Nec ideo extincta eſt in nobis voluntatis libertas in bonum, quia bene poteſt operari, ſi gratiâ adjuvetur: Quod autem per gratiam ordinariam fieri poteſt, abſolutè poteſt fieri. Dico *ordinariam*, quia non ideo damnatis poſſibilis eſt bene operandi facultas, quia gratiâ Dei extraordinariâ id poſſent, ideſt benè operari. Ratione prædictorum ſit

## SECTIO IV.

*Quo ſenſu illud verum ſit, quod ex S. Auguſtino habet Conc. Arauſ.* Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum.

SIMILIA habet idem S. Doctor alibi ſæpè, ut tract. 5. in Joan. c. 8. ubi ait: *A me quidquid ago, malè*. Et concione 1. in Pſalm. 70. *Si* ait, *de tuo retribuis* (Deo) *peccatum retribuis*; *omnia enim quæ habes, ab illo habes; tuum peccatum ſolum habes.*

Quæritur, quæ hujus Doctrinæ radix ſit & fundamentum? Reſp. Aliquorum ſenſu verba prædicti Concilii Arauſicani hoc important, quaſi à libero arbitrio deficiente ſit ſolum malum & peccatum, non autem à Deo à quo malum derivari eſt impoſſibile.

Verùm ſenſui Auguſtiniano perquam difformiter. Docet enim S. Doctor, nos ſine Dei gratia nihil boni agere poſſe, quod longè diſſonat à ſenſu, quem prædicti authores obtendunt, ſcilicèt malum eſſe à ſolo homine, à Deo autem eſſe ſolummodo bonum. Patet hoc expreſsè ex Serm. 13. citato de verb. Apoſt. c. 11. ubi ait: *Prorſus ſi defuerit* ( gratia ) *nihil boni agere poteris. Agis quidem illo non adjuvante, ſed malè: ad hoc idonea eſt voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla.* Idem patet ex ante datis Auguſtini ſententiis. Idem colligitur ex S. Proſperi & aliorum ſententia, quâ docent ſine Dei gratia nullum opus bonum ab homine poſſe fieri.

Hujus ergo Arauſicani dicti fundamentum ſæpiſſimè nobis demonſtrat S. Aug. dum docet, quandocumque agit voluntas deliberatè, aut bene agere, aut malè. Bene quidem ſi ex amore Dei, quem Scriptura clamat eſſe ex Deo: Malè autem, ſi ex amore mundi. Clariſſimè id docet S. Præſul l. 2. de peccatorum meritis c. 18. ubi ait: *Voluntas, mirum ſi poteſt in medio*

764. *Voluntas non poteſt in medio conſiſtere.*

*quodam conſiſtere, ut nec bona, nec mala ſit. Aut enim juſtitiam diligimus, & bona eſt: etſi magis diligimus, magis bona: ſi minùs, minùs bona eſt: aut ſi omninò non diligimus, non bona eſt: quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo juſtitiam diligentem, non modo eſſe malam, ſed etiam peſſimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona eſt, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo: reſtat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* Ex hac ſententia patet radix prædictorum omnium. Primò quidem, quòd omnis voluntas ſit bona aut mala. Si diligat juſtitiam, bona eſt, ſi non diligat, eſt mala. Diligit autem juſtitiam, dum opera ſua in Deum ut ultimum finem voluntas ordinat: Denique, ſi voluntas talis bona ſit, & juſtitiam diligat, erit utique à Dei gratia, uti omnis bona voluntas.

Prædictum ſenſum ipſa Arauſicana Synodus quoque clarè innuit, dum addit, dicto quod nemo habeat de ſuo niſi mendacium & peccatum: *Si quid autem*

*habeat*

*habeat homo veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem ſitire debemus in hac eremo, ut ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via.*

Idem denique apertè ſtatuit D. Leo ſerm. 8. de jejunio 7. Menſis: ubi docet, quòd omnis rationabilis voluntas, aut Dei amans ſit aut mundi, & omnis Dei amans ſit bona, omnis autem mundi, ſit noxia. His omnibus lucem & probationem dabit ſubſequens ſectio.

---

## SECTIO V.

*An homo ſine Dei gratia poſſit Deum amare ſuper omnia.*

PRÆNOTATA famoſâ illâ amoris diſtinctione, quâ amor dividitur in amorem benevolentiæ, ſive quo Deus gratis amatur propter ſeipſum, & amorem concupiſcentiæ, quo Deus amatur propter nos, & propter noſtrum commodum, ad quæſtionem reſpondeo negativè. Probatur dicta concluſio iiſdem fundamentis, quibus probatum eſt, nullum opus undequaque bonum fieri poſſe ſine gratia, idque à fortiori, cùm amor ille inter opera moraliter bona ſit bonum eminentius. 765. *Amor benevolentiæ & concupiſcentiæ.*

Deinde, teſte Scripturâ 1. Joan. 4. *Charitas ex Deo eſt.* Et ad Galat. 5. dicitur eſſe *fructus ſpiritûs.* 766. *Omnis amor Dei propter ſe eſt ex Dei gratia.*

Clariſſimè id de amore Dei benevolo ſive gratuito declarat S. Aug.

1. L. de grat. & libero arbitrio c. 18. ubi ait: *Unde eſt in hominibus charitas Dei & proximi, niſi ex Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: Si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* *S. Aug.*

2. l. 5. Contra Jul. c. 3. *totum* ait *rectè fit, quando fit propter ipſum, ideſt quando gratis amatur ipſe, qualis amor nobis eſſe non poteſt, niſi ex Deo.*

3. l. de grat. Chriſti c. 21. *Charitas*, inquit, *quæ virtus eſt, ex Deo nobis eſt, non ex nobis.*

4. l. 15. de Trinit. c. 17. *Non enim habet homo unde diligat Deum, niſi ex Deo.*

767. *Synod Arauſ.* Idem docet ex eodem S. Præſule Synodus Arauſ. c. 25. ubi adverſum Pelagianos ſtatuit dicens ; *Prorſus Dei donum eſt diligere Deum.*

*Ratio.* Probatur idem ex ratione. Primò quòd natura ſe ſemper pro fine habeat, dum ſibi relinquitur, propriis commodis ſemper inhiet & ſtudeat, ſe ſemper ad ſeſe deflectat, niſi eamdem gratia Dei ſuper ſe elevet & erigat, & ut canit S. Proſper, *Non oculos extollere in altum, ſponte poteſt* : ex quo ſequitur quòd Deum propter ſe diligere homo nequeat ſine Dei gratia, niſi amorem illum ad proprii commodi amorem referat & reflectat.

Secundò, quòd apertè doceat Concil. Trid. ſeſ. 6. cap. 6. initium dilectionis Dei, quo homo ad juſtificationem præparatus Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipit, eſſe ex Dei gratia : Quidni ergo & amor Dei ſuper omnia, ad quem talis dilectionis initium nondum attingit ?

Denique ſententiam noſtram, ſolo naturæ Lumine Platonem aſſecutum laudat S. Auguſt. l. 11. de civit. c. 25. *cui*, ait, *neque naturarum omnium author, niſi Deus viſus eſt, neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo benè beatèque vivitur, inſpirator.*

Dicendum 2. Poteſt homo ſine gratia diligere Deum amore concupiſcentiæ. Ad hoc enim naturæ vires abundè ſufficiunt, ut ſummum bonum, ſibi concupiſcat, quæ propriis commodis aſſiduè ſtudet : quod verum eſt, quamvis Deus conſideretur ut author gratiæ.

Objiciunt 1. S. Auguſtinum prædictis locis intelligendum eſſe de amore ſupernaturali, quem probat contra Julianum & alibi debere eſſe à Deo ; non item de amore Dei naturali, quando Deus diligitur ut author naturæ. Reſp. omnis amor Dei propter ſe, ſive conſideretur Deus ut author naturæ, ſive gratiæ, Sancto Auguſtino eſt ſupernaturalis. Primò, quòd illud S. Doctor ſtatuat adverſus Pelagianos & Semipelagianos, qui probè noverant amo-

amorem ſupernaturalem non eſſe ex nobis. Deinde laudat Platonem, qui id ſolâ ratione naturali profitetur, cui Deus ut author naturæ ſolummodò erat cognitus & manifeſtus, quem proinde ut talem diligere ſolùm poterat. Denique numquam de tali amore Dei diſtincto naturali aut ſupernaturali, meminerunt SS. Patres.

Objiciunt 2. Poteſt intellectus Deum ut ſuper omnia diligendum voluntati proponere, ergo & voluntas in eumdem ita per amorem ferri. Reſp. N.C. multa enim proponere poteſt intellectus, quæ tamen ſe ſolâ nequit aſſequi voluntas, ut puta omnia præcepta eſſe ſervanda, potiùs moriendum, quam mentiendum, &c. Et hoc ideo quòd, cùm peccatum voluntate commiſſum ſit, eam magis, quam cæteras potentias infecerit. Ratio autem hujus à priori eſt, diverſus tendendi modus intellectûs & voluntatis: Intellectus enim objectum ſuum intra ſe rapit, aliqualem ejus imaginem in ſe effigurando, etiam objecti in ſe perfectiſſimi. Voluntas autem extra ſe in objectum ſuum tendit, ſeſe illi unire appetens, quod agere non poteſt, ſi objectum limites ejus tendendi excedat uti eſt hîc Deus, qui infinities excedit vires naturales voluntatis.

Objicies 3. Videtur data Doctrina in Bajo damnata, in hac ſequenti damnata: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria crucis Chriſti defenditur.* Item in hac: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis ſcilicèt, quo Deus amatur ut author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum S. litteris & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* Reſp. admittimus perlubenter amorem Dei naturalem, ex viribus naturæ exortum, ſed quo Deus nobis amatur amore concupiſcentiæ. Item diſtinctionem illam profitemur, & dicimus poſſe Deum diligi amore naturali, ſi conſideretur ut author naturæ, ſed amore concupiſcentiæ.

768. *Propoſitiones condemnatæ.*

Deinde quod amari poſſit ut author gratiæ ſupernaturaliter, & naturaliter, prout amatur amore benevolentiæ aut concupiſcentiæ. Porrò dicitur aliquando, amor Dei conſiderati ut authoris naturæ, benevolus & ſupernaturalis; naturalis, eo quòd pro objecto habeat rem ſolo naturæ lumine cognoſcendam, & amplectendam; uti è contra alius, ſcilicèt quo Deus ut author gratiæ nobis amatur & concupiſcitur, adeòque naturalis, dicitur tamen ſæpè ſupernaturalis, eo quòd habeat objectum ſupernaturale, & in finem ſupernaturaliter conſequendum tendat.

Unde concludere liceat cum Card. Bellarmino de grat. & lib. arb. c. 7. l. 6. *Exiſtimamus non poſſe Deum ſine ope ipſius diligi, neque ut authorem naturæ, neque ut largitorem gratiæ & gloriæ: neque perfectè, neque imperfectè ullo modo: atque hanc non dubitamus ſententiam eſſe S. Auguſtini, imò etiam Scripturarum & Conciliorum, quidquid aliqui minùs conſideratè in hac parte ſcripſerint.*

---

## SECTIO VI.

### *An Juſtus ad quodlibet opus bonum indigeat gratia actuali.*

769. *Juſti ad beneagendum egent gratiâ.* Dicendum primò, hominem juſtificatum non poſſe exercere ullum opus pium, niſi gratia Dei actualis eum adjuvet & moveat. Ratio eſt, quòd hic etiam militet illud Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Deinde Concilium Arauſ. can. 10. ubi ait, *Adjutorium Dei etiam renatis ac Sanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono poſſint opere perdurare.* Idem docet Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 22.

Rationem hujus dat S. Aug. l. de bono perſev. c. 17. Primam, quòd juſtis quoque neceſſe ſit, orare, oratio autem ſit gratiæ teſtificatio. Hinc Cœle-

Cœleſtinus Epiſt. ad Gallos c. 9. *Quod tempus*, ait, *intervenit quo Dei non egeamus auxilio? in omnibus igitur actibus cauſiſque, cogitationibus, motibus adjutor & protector orandus eſt.* *Cæleſtinus*

Aliam rationem dat idem S. Doctor l. de cor. & grat c. 12. & l. de ſpir. & lit. c. 7. ubi docet, illum eſſe ſuperbum, qui ſe ad bene vivendum ſibi caput faciat, cùm opera juſtitiæ homo non faciat, niſi quantùm ex illo Fonte Vitæ & incommutabili lumine percipit, cujus ſolius hauſtu juſtitia, ideſt bona vita bibitur, & cujus participatione anima rationalis accenditur, Unde ex infirmitate naturæ humanæ, continuis luctis cum carne & Diabolo, quibus Juſti fortiùs impetuntur, & orandi neceſſitate, quæ ex prædicto fonte promanat, probat S. Doctor gratiam actualem etiam juſtificatis ad benè operandum eſſe neceſſariam. *S. Aug.*

Aliam rationem adfert Doctor Angelicus 2. 2. q. 4. a. 4. ad 3. ubi docet Deum operari hominis juſtificationem, ut ſolem aëris illuminationem, adeò, ut ſicut Sol aſſiduâ radiorum emiſſione eamdem perficit & continuat, ita Deus in juſtificato gratiæ ſuæ auxilia ſuppeditare debet, ut in bonis actibus perſeveret. *S Thom.*

Dicendum 2. Non ſolùm gratia actualis coöperans juſtis eſt neceſſaria, ſed etiam excitans. Ratio eſt, quòd gratia ad ſingulos actus ſit neceſſaria, quæ bonam voluntatem præparet. & excitet ad bene agendum. Tradit illud ubique S. Aug. docens gratiam naturæ lapſæ non ſolùm coöperari, ſed & voluntatem præparare, excitare & ad bonum determinare, & illam eſſe, non voluntatem, quæ ſe diſcernit. Idem innuit Conc. Trid. ſeſ. 6. c. 16. ubi docet Deum in Juſtificatos ut vitem in palmites, aſſiduum gratiæ ſuccum debere ſubminiſtrare, ut in juſtitia creſcant & perſeverent. Unde rectè Doctor Mellifluus lib. de grat. & lib. arb. *conatus noſtri ſunt nulli, ſi non excitentur.* Denique idem probant aſſiduæ Eccleſiæ preces, ut

ut Deus etiam juſtis det & inſpiret cogitationem bonam, actionem bonam, ut ejus gratia eoſdem ſemper præveniat. Adde Pelagium coactum profiteri *gratiam ad ſingulos actus dari*, ubi nota illud *dari*, non *datum eſſe*.

Ex quibus patet ſufficientiſſimè, juſto ad perſeverandum etiam neceſſariam eſſe Dei gratiam.

---

## SECTIO VII.

*An homo ſine gratia poſſit ſuperare aliquam tentationem.*

*Nulla tentatio ſine Dei gratia vitari poteſt aut ſuperari ab homine lapſo, ſicut non peccet.*

769. Dicendum primò, nec parvam nec magnam tentationem poſſe ab homine ſuperari ſine gratia, ſic ut non peccet. Intellige de tentatione quæ deliberatè ſentitur, non item de eis, quæ in parte ſenſitiva vixdum ortæ per ſe evaneſcunt. Probant hoc generaliter varia ſcripturæ loca, quæ docent quod in Deo *Eripiamur à tentatione* Pſalm. 17. In omnibus tentationibus ſuperandum eſſe, propter eum qui dilexit nos, & per eumdem dandam eſſe victoriam. Rom. 8. Denique generaliter orandum eſſe, *Ne nos inducas in tentationem*. Oratio autem gratiæ neceſſitatem ſtatuit. Unde aſſidua Eccleſiæ ad Deum ſupplicatio: *Deus in adjutorium meum intende*.

*S. Auguſt.*

Eamdem ſententiam ut dogma Catholicum à Pelagio extorquet S. Auguſt. Epiſt. 106. ubi ait: *Fateatur* (Pelagius) *quando contra tentationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed adjutorio Dei noſtram provenire victoriam. Non enim aliter verum erit, quod Apoſtolus ait: non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

Rurſum ſerm. 13. De verbis Apoſt. *Niſi ille regat, cadis: niſi ille regat, jaces.* Et ſuperiùs c. 9. *Si ipſe non adjuvat, non dico vincere, ſed nec pugnare poterimus.*

Conformiter Innocentius ad Conc. Carthag. Epiſt. 91. in-

91. inter Auguſtinianas: *Quotidiana*, ait, *præſtat ille remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Unde ſuperiùs admonet inſtanter Deum eſſe exorandum, *Cum* ait, *pares nos ad reſiſtendum, non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium.*

Huc ſpectat & illud Concilii Arauſic: can. 9. *Divini muneris eſt cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & injuſtitia continemus.* Vide etiam can. 14.

Audi & S. Proſp. c. 35. cont. Collat. *quiſquis* ait, *in tribulatione non deficit, ab illo ſe non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda univerſorum fidelium clamant: ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Vide etiam Fulgentium Epiſt. 4. ad Probam c. 4. *S. Proſp.*

Dicendum 2. Fatendum eſt nos poſſe variis modis ſuperare tentationem etiam ſatis gravem, ſine Dei gratia. Primò enim, ut ait S. Aug. l. 21. de civ. c. 16. *Nonnumquam apertiſſima vitia aliis vitiis vincuntur occultis.* Et Epiſt. 29. *aliquando vitium vitio tollitur, ut amore laudis amor pecuniæ.* Unde, etſi voluntas tentationem aliquam ſine Dei gratia ſuperare poſſit, numquam tamen prout ſuperare debet, ideſt vel quod in eam incidat, vel eamdem in aliud peccatum labendo vincat, quod non ita vincere eſt, quam ut ait S. Proſper carm. de ingratis c. 27. *In vulnera vulnere ſurgere.* 770. *Poteſt ſuperari pec cando.*

Modum ergo tentationes rectè ſuperandi dat S. Auguſtinus dato loco de civit. ubi ait: *Tunc itaque victa vitia deputanda ſunt, cùm Dei amore vincuntur.* Quod utique ſine gratia fieri non poſſe, antea declaravimus.

Objiciunt aliqui datæ Doctrinæ propoſitionem hanc condemnatam: *Non ſolum fures hi ſunt & latrones, qui Chriſtum viam & oſtium veritatis & vitæ negant, ſed etiam quicumque aliunde, quam per ipſum in viam juſtitiæ, hoc eſt ad aliquam juſtitiam conſcendi poſſe docent: aut tentationi ulli, ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſte-* 771. *Propoſitio damnata.*

*reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur aut ab ea non ſuperetur.* Reſp. Bellarminum optimè de ejuſdem bullæ ſignificatione & poteſtate eſſe inſtructum, utpotè qui Lovanii exiſtens cum Toleto eamdem promulgante ea de re probè contulit, qui tamen lib. 5. de grat. & lib. arb. c. 7. apertè docet: nullam tentationem poſſe vinci ſine gratia. Imò teſte Vaſquez 1. 2. diſp. 190. c. 18. num. 179. docet, ipſum Toletum ſenſiſſe, nullam tentationem poſſe vinci aut vitari ſine gratia. Unde dicendum vel proſcriptam eſſe dictam ſententiam ob acerbiorem cenſuram, vel etiam quòd ſit in ſe falſa, cùm poſſit homo ſine gratia tentationi reſiſtere, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea ſuperetur, puta ſuccumbendo alteri tentationi, juxta 2. concluſionem.

Quin imò, abſit condemnetur data à nobis Doctrina; ut ècontrà S. Auguſtinus l. de perfectione juſtitiæ. c. 21. audeat dicens: *Planè quiſquis negat, nos orare debere ne intremus in tentationem ( Negat autem hoc qui contendit, ad non peccandum gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſolâ lege acceptâ humanam ſufficere voluntatem ) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum eſſe non dubito.* *S. Aug.*

Ex dictis collige, quid dicendum ad quæſtionem quâ quæritur, an homo ſine gratia poſſit non peccare. Cùm enim unuſquiſque tentetur à concupiſcentia ſua, niſi gratiâ Dei adjuvetur, proclivis & ſatis proximus erit ſuis viribus relictus labendi periculo.

## SECTIO VIII.

*An homo ſine Dei gratia poſſit adimplere legem.*

Dictum eſt alibi, legem ſemel adimpleri poſſe quoad ſubſtantiam, ponendo opus legis; & ſemel quoad modum opus illud ponendo debito modo.

do. Quibus poſitis, dico 1. poteſt homo ſine Dei gratia adimplere varia præcepta quoad ſubſtantiam v. g. non furari, honorare parentes, non tamen omnia, quia aliàs ſine Dei gratia ſalus eſſet obtinenda, cùm teſte Salvatore, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Math. 19. 772. *Quomodo lex impleri poſſit ſine gratia.*

Dico ſecundò, præcepta maximè difficilia obſervatu etiam ſecundùm ſubſtantiam, quale eſt diligendi Deum ſuper omnia, potiùs eſſe moriendum, quam Deum offendendum & alia, non poſſunt ab homine adimpleri quoad ſubſtantiam ſine Dei gratia. Ratio eſt, quòd in horum obſervatione graves ſoleant concurrere tentationes; quas ſine gratia homo ſuperare non poteſt, quas tamen perfringere oportet, ut præcepto ſatisfiat. 773. *Nō omnis lex etiam quoad ſubſtantiam.*

Dico 3. Nullum opus legis poteſt fieri ſecundùm modum legis ab homine gratiâ deſtituto. Probatur, quia modus omni legi adjunctus, eſt agere ex Charitate Dei propter ſe, uti probatum eſt agendo de legibus, agere autem ex tali virtute, ideſt amando Deum propter ſe, ſine Dei gratia fieri non poteſt, cùm omnis amor Dei propter ſe ſit ſupernaturalis. Vide ſect. 5. præcedentem. 774. *Nulla lex impleri poteſt ſine gratia quoad modum.*

Dico 4. Etſi ſine Dei gratia varia præcepta ab homine impleri nequeant, non ideo tamen Deus impoſſibilia præcipit, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. Deinde uti aliquoties dictum eſt, quod per gratiam Dei ordinariam fieri poteſt, abſolutè fieri poteſt, uti etiam quod per amicos quis poteſt, etiam fieri abſolutè poteſt. 775. *Lex eſt utilis etſi deſit gratia.*

Dico 5. Etſi multis in adimpletione legis deſit gratia, non ideo Lex illa dicenda erit inutilis, quia partim hominem ad Deum rogandum movet & admonet, ut jam ex Conc. Trid. dictum eſt: partim hominem de ſua infirmitate convincit, ut ait S. Aug. Epiſt. 200.

Dicendum 6. Poteſt homo cum Dei gratia ſervare totam legem, etiam quæ venialia prohibet. Nullum enim 776. *Lex venialia prohibens qu*

*modo poſſit adimpleri.* enim eſt peccatum, quin Dei gratiâ vitari poſſit. Hoc tamen notandum, non poſſe hominem ſine ſpeciali privilegio, etſi ſit juſtus, vitare omnia venialia per totam vitam, hoc eſt, quin aliquando in veniale incidat. Ita apertè definit Conc. Trid. ſeſ. 6. can. 23. Poterit tamen ad aliquod tempus, puta per diem juſtus ſe per Dei gratiam ita cohibere, ut ne venialiter quidem peccet, neque obſtat quod dicitur; *ſepties in die cadit juſtus* prov. 24. cùm illud *in die* non importet præcisè diem, ſed tempus indefinitum, adeo ut ſenſus ſit, quòd juſtus propter innumeras vitæ tentationes, frequenter cadat.

Dictam de neceſſitate gratiæ materiam concludo & confirmo cum eo, quod tradit Hugo Victorin. tract. de differentia Sacrificii Abrahæ & Mariæ, ubi
777. *Hugo Vic. documentum notabile.* ait: *Cognitio humanæ infirmitatis, ut plena ſit, in quatuor gradibus conſiſtit: duos habens in conſideratione mali, duos in conſideratione boni. In conſideratione mali, primò ut ſciamus, nos nullum malum noſtrâ virtute poſſe cavere: Secundò ut ſciamus, à nullo malo poſt lapſum noſtrâ virtute poſſe reſurgere. In conſideratione boni, ut cognoſcamus nos ad nullum bonum noſtrâ induſtriâ poſſe convaleſcere; ſecundò ut recognoſcamus, nec in eo quod divinitus accepimus, noſtrâ induſtriâ poſſe perſeverare.*

CAPUT

# CAPUT NONUM.

## De effectibus gratiæ.

## SECTIO PRIMA.

### *De Juſtificatione.*

Justificare eſt idem, quod juſtum facere; Unde generaliter quicumque juſtitiam acquirit de novo, vel in eâdem creſcit, juſtificari dicitur. Sic Protoparentes & Angeli propter juſtitiam in ſuâ creatione ſibi divinitus infuſam, *juſtificati* ſunt: ſic & juſtus in juſtitiâ creſcens, *juſtificari* dicitur, juxta illud Apoc. 22. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* Famosè tamen juſtificatio ſumitur pro mutatione, quâ quiſpiam ex ſtatu peccati tendit ad ſtatum gratiæ, & dicitur communiter *juſtificatio impii:* de hac ait S. Auguſt. in Pſ. 30. conc. 1. *Quid eſt, qui juſtificat impium? qui facit ex impio pium.* 778. *Quid juſtificatio importet.*

Æconomiam juſtificationis clariſſimè deſcribit S. Tridentina Synod. adverſus Hæreticos noſtros, fuſiùs & craſſiùs in hoc puncto à Catholica veritate deflectentes, ſeſ. 6. in qua c. 5. 6. 7. 8. 9. 10. potiſſimùm de hoc puncto diſcurrit, quæ ſingula capita, ſingulis ſectionibus dividemus. Inprimis declarat S. Synodus c. v. *Ipſius juſtificationis exordium in adultis, à Dei per Chriſtum* Jesum *præveniente gratiâ ſumendum eſſe, hoc eſt, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & coöperando diſponantur, &c.* 779. *Conſ. Trid. optime deſcribit juſtificationem.*

Dico

780. *Exordium juſtificationis à Dei gratia.* Dico igitur primò juſtificationis noſtræ exordium à Jesu Chriſti gratiâ eſſe deſumendum, quæ tangit & excitat cor hominis peccatis immerſum & ſoporatum. Ex quo deduci liceat, quam ſolida ſit quorumdam opinio, quæ docet gratiam omnibus ſufficientem ſemper eſſe præſentem, ſic ut ſolummodò per conſenſum arbitrii eam debeant acceptare: Ex illa enim ſequitur, quòd exordium vocationis noſtræ pendeat ex noſtra voluntate, gratiam oblatam acceptante. Cùm enim conſenſus ille ſit prior gratiæ acceptatione, ſequitur evidenter, quòd conſenſus ille non ſit ex gratia, ſed à voluntate. Quo ſenſu, olim Semipelagiani Epiſt. ad Aug. docebant, quòd voluntas hominis divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem. Sic & gentilis quidam, cujus hoc erat principium,

*Det vitam* (Deus) *det opes, æquum animum mi ipſe parabo.* Non ergo gratia nutum arbitrii expoſcit aut expectat, ſed eumdem efficit, indeclinabiliter motum voluntatis procurando, liberè tamen.

Dico 2. Ex datâ ſententiâ, falſum quoque eſt, nullis meritis præcedentibus juſtificationis initium eſſe à vocante Dei gratia, cùm jam gratiæ acceptatio erit à voluntate conſentiente, adeoque jam gratia non erit gratia, cùm ex operibus.

Quomodo autem liberè gratiæ conſentiat voluntas, & eamdem abjicere poſſit, vide ſect. 12. c. 8.

---

## SECTIO II.

### *De modo præparationis ad juſtificationem.*

1. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divinâ gratiâ & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto* Jesu. *Et*

*Et dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore,* 2.

*Illumque tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & deteſtationem, hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet.* 3.

*Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata.* 4.

Dicendum 1. Homo per Dei gratiam excitatus, acquirit in ſuo intellectu illuſtrationem, in voluntate piam affectionem, in quibus gratia divina partialiter conſiſtit. Cùm enim fides ſit initium juſtificationis, ad quam primò divina gratia juſtificandos excitat, ſequitur hominis intellectum gratiæ lumine colluſtrari, & voluntatem piè affici in primam veritatem revelantem, ex quo affectu, intellectus ſeſe captivat in obſequium Fidei: Hæc enim Fide Theologicâ neceſſariò ſunt requiſita, ut ſuo loco demonſtrabo. Affectus autem ille pius voluntatis, innuitur à Concilio, dum dicit liberè juſtificandum moveri in Deum ſeu Dei veritatem, credentem vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt ac promiſſa, ideſt omnia creditu neceſſaria, neceſſaria neceſſitate medii & præcepti explicitè credendo, cætera, quæ credit Eccleſia implicitè credendo: potiſſimum tamen juſtificari impium per gratiam ejus, in ſanguine ejus, &c. Non propriis meritis præcedentibus. 781. *Fides initium juſtificationis.*

Dico 2. Ulteriùs, juſtificandi, ſeſe peccatores eſſe intelligunt, recogitando annos ſuos & ſcelera præterita per diſcuſſionem conſcientiæ; quibus dum credunt pœnas æternas eſſe deſtinatas, à divinæ juſtitiæ timore utiliter concutiuntur: eo quòd timore pœnæ jam incipiant non peccare, & præparari incipiat charitati locus, quâ fiet deteſtatio & odium peccati. 782. *Efficacia timoris gehennæ ejuſque utilitas.*

Porrò ſolus hic timor inſufficiens eſt, ut voluntatem peccandi excludat ſine Charitate, uti oſtendam

de contritione. Hoc tamen notandum eſt, jam inde à Concilio Charitatis affectum eſſe requiſitum ad juſtificationem, in prædicto motu pio voluntatis, ad actum fidei planè neceſſario. Suas tamen timor ille habet utilitates, ut puta quòd locum Charitati præparet, Charitati adjunctus fortiùs peccatis reſiſtat, quòd habitus malos minuat ac remittat, quòd occaſione ejus homo erigatur ad conſiderandam Dei miſericordiam : Quibus tamen non obſtantibus, ſe ſolo, etiam cum affectu in actu fidei incluſo nondum ſufficit timor ad excluſionem peccati, cùm affectus ſufficiens ad credendum, non ſemper ſufficiat ad voluntatem peccandi excludendam, uti patet in fideli mortaliter proximum offendente.

783. *Spes.* Timore ergo illo ad conſiderationem divinæ miſericordiæ confugit juſtificandus, confidens Deum propter Chriſtum ſibi propitium fore, conſiderando divitias bonitatis ejus, & pretii pro nobis oblati, unde Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipit.

784. *Actus Charitatis.* Dicendum 3. In juſtificando non ſolùm convenit, ſed omninò neceſſarius eſt actus charitatis prædictæ. Probatur ex ſequentibus Concilii verbis; *Ac propterea moventur adversùs peccata, per odium, &c.* Ideſt quòd, quia Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt, ideò moventur ad deteſtationem peccatorum. Omne enim odium oritur ex amore oppoſiti, quod quis odit : odium culpæ ex amore amicitiæ divinæ, cui culpa opponitur; idem eſt de deteſtatione : Hanc autem pœnitentiam ex ejuſmodi odio fieri oportere, docet Concilium. Vide plura de hac re in materia de contritione.

Ex hac dilectione ſequitur, quod adjungit Concilium, quòd proponant ſuſcipere Baptiſma, inchoare novam vitam, ſervare mandata : Procurat enim dilectio illa, quæ neceſſaria ſunt, ut diligens dilecto placeat, uti hic eſt, ſervare Dei mandata.

SECTIO

## SECTIO III.

### *Quid ſit juſtificatio, ſive in quo conſiſtat.*

H*Anc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum : unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Hucuſque Concilium. Hinc

Dicendum 1. Juſtificationem eſſe remiſſionem peccatorum, cùm ſit mutatio de ſtatu inimicitiæ cum Deo per peccata contractæ, ad ſtatum amicitiæ, quæ remiſſionem peccati ſecum trahit. Porrò non tantùm teguntur peccata, ita ut maneant, ſed teguntur ait S. Auguſt. ut vulnus emplaſtro, quod vulnus tegit & aufert. Tollit enim, ſuo ſanguine abluit, & delet Agnus Dei iniquitates noſtras. 785. *In juſtificatione verè remittuntur peccata.*

Dicendum 2. Hanc peccatorum remiſſionem ſequitur non imputatio eorumdem. Cùm enim peccata tollantur & penitus deleantur, ſequitur quòd homini amplius imputari non poſſint, unde & Deus non recordatur ampliùs iniquitatum, corde contrito deletarum. Si verò ſolummodò peccata tegantur, ſic ut verè maneant, nec à Deo imputentur, ut ſectarii contendunt, falſa erit Scriptura Sacra, quæ dicit, *odio ſunt Deo impius & impietas ejus*, Sap. 14. Si enim Deus odit peccata, & peccata remaneant, conſequens eſt, quod & peccatori peccata imputet, cujus iniquitas Deo non diſplicere non poteſt.

Dicendum 3. Juſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & gratiæ & donorum infuſio ſeu ſanctificatio, quando charitas diffunditur in cordibus eorum, per Spiritum Sanctum qui datus eſt illis. Ex quo colligitur, quòd juſtificatio non ſit ſita in actu, ſed potiùs in habitu quodam, aut in aliquo permanente in- 786. *Infuſio gratiæ & donorum.*

ſtar habitûs, adeò ut formaliter juſtificemur per gratiam ſeu juſtitiam habitualem. Declarat hoc apertè Concilium, dum ulteriùs dicit, cauſam unicam formalem juſtificationis eſſe juſtitiam Dei, quâ nos juſtos facit, & dum Charitas Dei cordibus noſtris infunditur, *atque nobis inhæret*, adeò ut eâ cum aliis donis acceptâ, rurſum dicat, eam ipſis *inſeri*. Hinc Pallavicinus in Hiſt. Trid. p. 1. l. 8. c. 14. dicit, ideò Concilium eſſe uſum verbo *inhæret*, ad ſignificandum juſtificationem fieri per modum habitus.

787. Dicendum 4. Etſi ſit certius & verius gratiam & virtutes in juſtificatione infuſas, eſſe habitus, tamen non eſt fidei abſolutæ, etſi ſit ingentiſſima temeritas illud negare, ut ait Soto l. 2. de nat. & grat. c. 10. & c. 19.

*An ſit fidei, gratiam & virtutes in juſtificatione infuſas eſſe habitus.*

Quòd ſit verius & certius clarè patet ex Tridentino mox citato, uti etiam ex Conc. Vienn. *in quo*, ait Dominicus Soto in 4. diſt. 14. 1. a. 1. cui ipſe interfuit, *Propter parvulos ante uſum rationis ſacro fonte intinctos, ſanxerunt ut probabilius, & nuper in Trid. ut certius, qualitates illas, quæ ſunt gratia & virtutes, Baptiſatis infundi.* Hoc autem ſtatutum eſt, poſt altercationem ortam ex eo, an virtutes illæ quoad habitum infunderentur in remiſſione peccatorum, an ſolùm parvulis culpa remitteretur, ſine prædictorum infuſione, prout apertè colligitur ex Clement. 1. *de ſumma Trinit.*

Quòd autem non ſit fidei, patet ex Soto ſuperiùs citato, qui ait poſt Concilium Trid. & Viennenſe, quæ ſolùm acriùs obſtant, eſſe ſolùm ingentiſſimam temeritatem negare habitus: Unde Tridentinum de induſtria abſtinuit à definitione, an virtutes illæ & gratia infuſa, ſint habitus nec ne, uti loco citato refert Pallavicinus, dicens aliqui flagitanti ut poneretur juſtificationem fieri per habitum infuſum, reſponſum eſſe à deputatis, ſatis per to *Inhærere* ſignificari ſtabilitatem & permanentiam gratiæ in anima. Ex quo tamen videtur, hoc pro certo habendum, quod gratia illa & virtutes ſint habi-

habitus, adeoque Conſecutione ſatis convincenti ex Conciliis eadem veritas poſſit deduci.

Notandum tamen, quòd S. Auguſtinus alibi doceat, parvulos Baptiſatos non eſſe juſtos juſtitiâ ſibi inhærente, ſed juſtitiâ eoſdem ad Baptiſma portantium, vel Eccleſiæ: Quo pacto nihil aliud prætendit S. Doctor, niſi quòd parvuli non habeant habitum fidei rigoroſè dictum, qui non tantùm eſt quieſcens qualitas, uti in parvulis, ſed etiam addit facilitatem ad agendum actu proprio, quæ facilitas in parvulis non eſt obſervanda, niſi quando advenit inſtructio.

## SECTIO IV.

### *De Cauſis juſtificationis.*

Hujus *Juſtificationis cauſſæ ſunt, finalis quidem gloria Dei & Chriſti ac vita æterna*, juxta illud Rom. 6. *Nunc verò liberati à peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem vero vitam æternam.*

Efficiens verò juſtificationis cauſa eſt miſericors Deus, qui delet iniquitates noſtras, qui gratuitò nos abluit à peccatis noſtris, mediantibus Sacramentis & aliis mediis ſibi notis. 788. *Efficiens.*

Meritoria cauſa eſt, Jeſus-Chriſtus, qui Sanctiſſimâ ſuâ Paſſione in ara Crucis juſtificationem meruit, & pro nobis æterno Patri ſatisfecit. De qua re alibi latè actum eſt, agendo de merito Chriſti, prædeſtinatione, &c. 789. *Meritoria.*

*Demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non quâ ipſe juſtus eſt, ſed quâ nos juſtos facit, quâ videlicèt ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus,* Ita Conc. c. 7. 790. *Formalis.*

Refellit hîc Sacra Synodus ſectariorum dogma, quo

quo docent nos juſtos eſſe juſtitiâ Chriſti, quæ nobis imputatur, dum eamdem fide apprehendimus, adeò-que ſolùm extrinſecè *juſti* dicimur, cujus contrarium jam nos docuit Concilium. Dicitur ergo juſtitia ſeu gratia Dei, non quòd Deus illâ eâdem formaliter ſit juſtus; ſed quòd eamdem nobis impertiat, quòd nos faciat divinæ conſortes naturæ, & quòd ab increata juſtitia, ut omnis alia, derivetur. Deinde, juſtitia Dei nobis imputatur, eo quòd nobis detur intuitu meritorum Chriſti, propter Paſſionem ejus & mortem: hoc autem, & nihil aliud important Sacræ Scripturæ loca, quæ dicunt nos per obeditionem ejus conſtitui juſtos, quòd Chriſtus nobis factus ſit Juſtitia & ſanctificatio.

Refellitur quoque error Petri Lombardi ſive Magiſtri ſent. qui voluit, ipſum Spiritum Sanctum eſſe gratiam, quâ juſti ſumus, ubi tamen Scriptura dicit, gratiam diffundi per Spiritum Sanctum in cordibus noſtris: adeòque ſit cauſa ejus, non ipſa gratia: quo non obſtante

791. *Cauſa juſtificationis quomodo dici poſſit eſſe Spiritum Sanctum.* Dico eſſe probabile juſtificationis cauſam formalem tum creatam tum increatam eſſe Spiritum Sanctum nos inhabitantem & donis ſupernaturalibus ſanctificantem: hoc pacto, rectè dicitur à Scriptura Sacra ad Tit. 3. Spiritum Sanctum in nos infundi & alibi ſæpè. Item quod dicit hîc Concilium Trid. quòd Deus nos ungendo ſanctificet, puta *ungendo*, uti dicit, *ſpiritu promiſſionis S. qui eſt pignus hæreditatis noſtræ*: Denique hoc ſenſu verum erit, quod ait S. Aug. quòd ſicut vita corporis eſt anima, ita Deus ſit vita animæ juſti.

Longè tamen ſententia illa differt à ſenſu magiſtri, qui ultra Spiritum Sanctum nulla dona creata admittebat, quæ noſtra ut neceſſaria profitetur. Deinde, eodem ſenſu nihil officit Tridentinum, quod Hæreticos fecit, ſtatuentes nos juſtos juſtitiâ Dei nobis imputatâ, ſine alia nobis inhærente. Rurſum quod ait Conc. Trid. unicam eſſe noſtræ juſtificationis cauſam formalem, intelligitur de cauſa formali creata, & rigorosè

gorosè dicta, qualis non eſt Spiritus Sanctus cùm non ſit forma rigorosè dicta, etſi per modum formæ animam ſanctificet. Denique creſcimus etiam in juſtitia, dum Spiritus Sanctus nos pleniùs inhabitat, & majora dona infundit. Fatendum tamen contrariam opinionem eſſe amplectendam & Sacræ Scripturæ & aliis magis conſonam eſſe & congruentem.

## SECTIO V.

### An prædictas diſpoſitiones ſequatur infallibiliter juſtificatio; Item an

*In omnibus juſtificationis modus ſit æquè facilis.*

Dicendum primò, Certum eſſe, non omnem 792. conversionem ad Deum mox ſequi juſtificationem. *Non ſequitur juſtificatio omnem converſionē.* Cùm enim primus converſiònis motus, juxta Concil. ſit Fides, conſequens eſt, multos credere jam vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, ſic ut nondum juſtificentur, aut à peccatis ſuis recedant; ita Principes illi Joan. 12. dicti ſunt Chriſto credidiſſe, ſed nondum quantum ad juſtitiam neceſſe foret, eo quòd gloriam hominum etiamnum magis diligerent, quam gloriam Dei.

Dicendum 2. Neque omnis, qui habet voluntatem 793. à peccatis recedendi, mox ab iiſdem recedit & ad juſtitiam venit: fit enim aliquando, quòd voluntas illa non ſit ſatis efficax, ut veterem voluntatem peccandi excludat, nec tantum velint, quantum eſt neceſſe: quod in relapſis clariùs patet, nam ut ait S. Greg. l. 14. mor. c. 4. *Qui pedes in rete mittit, non cum voluerit ejicit; ſic qui in peccatis ſe dejicit, non mox ut voluerit ſurgit:* & l. 6. c. 2. in l. 1. reg. *Ante caſum à liberis facilè peccata vitantur, ſed ſi nolunt vitare cum poſſunt, poſteà non poſſunt ſi volunt, quia perfectè velle non poſſunt.* *Non omnis voluntas ſe convertendi ad converſionem ſufficit.*

Dicendum 3. Neque omnis qui jam credit & ſperat

rat divina promiſſa, qui timet gehennæ pœnas, ac deſuper Deum tamquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipit, ac proponit ſervare mandata, mox infallibiliter juſtificatur. Patet clarè ex Catechumenis ita affectis, quibus tamen Sacramentum Baptiſmi neceſſarium eſt, ut ad juſtificationem contingant. Hinc S. Auguſt. Tract. 13. in Joan. *Quantumcumque*, ait, ***Catechumenus proficiat, adhuc ſarcinam iniquitatis portat, nec illi dimittitur, niſi cum venerit ad baptiſmum.*** Hinc rurſum Conc. Trid. Seſ. 13. c. 7. vetat *Ne quis ſibi* ***peccati mortalis conſcius, quantumcumque etiam ſibi contritus videatur, abſquè præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad S. Euchariſtiam accedere præſumat.*** Vide quæ dicenda ſunt de neceſſitate Sacramenti pœnitentiæ, & de Charitate perfecta & imperfecta.

794. *Juſtificatio uni eſt difficilior quam alteri.* Dicendum 4. juſtificatio aliis faciliùs, aliis difficiliùs obtingit, ut clarum eſt in obſtinatis & obduratis: Difficulter enim amor erga peccata repetita excluditur, voluntate contrariâ; Adeò ut D. Ber. Serm. de Tripl. Miſ. dicere audeat: *Difficilis prorſus res eſt, & ſoli divinæ virtuti poſſibilis, ſuſceptum ſemel peccati jugum à cervicibus excutere: Quoniam qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* Pulchrè id declarat S. Aug. l. 8. Conf. 5. quomodò velle ejus tenebat inimicus, quomodò ferreâ ſuâ voluntate peccatis ligabatur, & de Conſuetudine peccandi induerat neceſſitatem. Hinc, etſi jam ad juſtitiam ſeſe parent, & exire de peccatorum gurgite deſiderent, vix tamen & ægrè poſſunt: Nam de iiſdem loquitur D. Greg. l. 11. mor. c. 5. ***ſæpè nonnulli à pravis actibus exire cupiunt, ſed quia eorumdem actuum pondere premuntur, in malæ conſuetudinis carcere incluſi, à ſemetipſis exire non poſſunt.*** Hinc catena reiteratis vitiis fabricata, eo fortiùs ſtringit, quot catenulas quodlibet peccatum adjecit, cujus pondere eo graviùs preſſi exire de carcere nequeunt, niſi divinâ gratiâ diſſolvantur. Vide hinc, non adeò facile eſſe Converſionis negotium, ac quidam ſomniant, dum docent Deum omnibus omninò, veræ converſionis

gra-

gratiam ſemper offerre, cui noſtra voluntate dumtaxat eſt conſentiendum.

Dicendum 5. Etſi ut ait S. Bern. ſerm. 75. de diverſ. *Spiritus non modo ubi vult, ſed quando vult, ſpirat, nec ei difficile eſt de ſubito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alii conſequuntur*, tamen ordinarius juſtificationis modus, non ita in inſtanti abſolvitur. Hinc aliter ſentientibus & boni latronis exemplum proponentibus, idem Doctor Reſpondet: *Nam reverà ſi bene memini, in toto canone ſcripturarum, unum latronem invenies ſic ſalvatum.* Idem innuit S. Thomas in initio hujus capitis allegatus, dum docet juſtificationem fieri, ut aëris illuminationem, quæ ſenſim advenit, non in inſtanti. Idem expreſſit ſalvator Marci 8. exemplo cæci priùs imperfectè, poſtmodum perfectè curati. 795. *Ordinariè non juſtificatur homo in inſtanti.*

Dicendum 6. Prout inveteratis peccatoribus difficilior eſt juſtificatio, ita & tempore ſolet eſſe protractior. Non enim illicò, aut ita ſubitaneè, conſuetudinis vis abrumpitur, nec voluntas peccatis inveterata, contrariâ voluntate eliditur, ſed aliquando longo ſatis tempore opus eſt, ut plenè convertatur: fit enim plerumque & maximè in iis jam juſtificandis, quod ait D. Greg. de omnibus promiſcuè l. 31. mor. c. 28. *unuſquiſque qui Deum ſequitur, in ipſo ſuo exordio ut locuſta ſuſcitatur: quia etſi in quibuſdam actionibus locuſtarum more flexis poplitibus terræ inhæret: in quibuſdam tamen expanſis alis ſeſe in aëra ſuſpendit. Converſionum quippe initia, bonis moribus maliſque permixta ſunt, dum & nova jam per intentionem agitur, & vetus adhuc ex uſu retinetur.* Nota quoque eſt S. Auguſtini & aliorum SS. Patrum ſimilitudo, quam format ſup. Joan. c. 12. dum per Lazarum intelligit peccatorem inveteratum, ad cujus reſuſcitationem majori conatu & labore eſt opus, uti notat in Chriſto Lazarum reſuſcitante, & ait: *Fremuit, lacrymavit, voce magnâ clamavit*: Et continuò ſubdit: *O quam difficilè ſurgit quem moles pravæ conſuetudinis premit!* Et S. Thomas à Villa Nova ſermone

ſer. 6. poſt Dominic. 4. quadrageſ. agens de eadem ſimilitudine, de inveteratis peccatoribus ita ſcribit: *Horum difficilis eſt ſuſcitatio, perverſi enim difficilè corriguntur.* Videri poterit ibidem S. Præſul, plurima adferens rem noſtram confirmantia. Adeò ut breviter, ſed nervosè & veriſſimè dicat Gregorius *Flagitioſorum converſio facilis non eſt.* 1. Regum. 14. Quare autem aliquando differatur curatio peccatoris, declarat Innocentius 3. In Pſalm. 1. pœnitent. ubi ita ait: *Differtur autem aliquando curatio, ne ægrotus putet, ſe non medici virtute, ſed naturæ vigore vel mediocritate ægritudinis ſanatum, & ſic vilipendat medicum, & parvipendat languorem. Ut ergo de ſua virtute diffidat, magnitudinem verò infirmitatis agnoſcat & auxilium medentis imploret, differtur curatio, donec clamet frequenter & dicat: ſana animam meam, quia peccavi tibi.*

---

## SECTIO VI.

### *De merito.*

796. *Dicitur opera meritoria.* DICENDUM primò, de fide eſſe, hominis juſti bona opera eſſe æternæ vitæ meritoria. Eſt contra Calvinum, docentem omnia opera noſtra eſſe mala & peccata, peccato originali remanente & eadem inficiente, cujus contrarium alibi oſtendimus. Probatur ergo concluſio variis Scripturæ locis, quæ mercedem bonis operibus promittunt, ut Math. 5. v. 12. c. 20. v. 8. ad Rom. 2. v. 6. 1. cor. 3. v. 8. 2. Timoth. c. 4. v. 7. idem definit Concilium Trid. ſeſ. 6. Can. 32. ubi ait: *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera, ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita ..... anathema ſit.* Deinde nihil in S. Auguſtino & aliis SS. Patribus magis manifeſtum, quam merita hominis eſſe agnoſcenda. Denique nihil obſtat, quominus opera hominis ex gratia facta, ſint meritoria vitæ æternæ, maximè accedente

Dei

Dei promiſſione. Quamvis autem accedat talis promiſſio, non inde ſequitur, bona opera ex charitate facta, non continere valorem ad præmium æternum, cùm illa promiſſio nullum operibus illis addat valorem aut condignitatem.

Opponunt ſectarii, vitam æternam eſſe hæreditatem, ergo non ex meritis, ſed de jure nobis deberi. 2. quòd omnibus actis, adhuc ſervi inutiles ſimus, Lucæ. 17. 3. quòd Rom. 8. non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam. Ad quæ Reſp. ad 1. eſſe quidem hæreditatem reſpectu parvulorum, cum Baptiſmo diſcedentium: eſſe tamen hæreditatem ſimul & mercedem reſpectu adultorum: cùm enim ſint tantùm filii adoptivi, jus habent ad hæreditatem, ſed in adoptione hæc adnexa eſt conditio, ut ſi velint ad vitam ingredi, ſervent mandata. 797. *Vita æterna eſt hæreditas & præmium.*

Ad 2. Reſp. ſervi inutiles ſumus etiam faciendo omnia, quæ poſſumus à nobis ipſis, utiles autem, ſi ex divina gratia. Deinde, inutiles ſumus reſpectu Dei, cui ex noſtris operibus nihil advenit utilitatis.

Ad 3. Reſp. Non ſunt condignæ tales paſſiones, ad futuram gloriam quoad durationem: Hæc temporales, hæc æterna: aliud dicit idem Apoſtolus 2. Theſſ. 1. *Ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.*

Dividitur meritum, in meritum de congruo & de condigno. *Meritum de condigno* eſt, quod mercede ac præmio ex ſe dignum eſt, ac proinde cui ex juſtitia debetur merces. 798. *Meritum de condigno & de congruo.*

*Meritum de congruo* eſt illud, quod etſi de ſe non ſit præmio dignum, tamen ex quadam congruitate illud ſibi reddi poſtulat.

Prius meritum inter Deum & hominem conſiſtere poſſe docet Sacra Scriptura, dum dicit, Deum aliquos tentaſſe & inveniſſe dignos ſe; Sap. 3. aliquos cum agno in albis ambulaturos, quia digni ſunt &c. Quòd autem inter Deum & hominem poſſit intercedere vera juſtitia, vide ad longum demonſtratum in principio de jure & juſtitia. Poſterius meritum

tum declaratur aliquando fuiſſe & etiamnum eſſe in peccatoribus, promerentibus operibus ſuis à Deo certa beneficia, qui tamen de condigno mereri non poſſunt.

## SECTIO VII.

*De Conditionibus ad merendum de condigno requiſitis.*

799. 1. *Requiſitum.* DICENDUM I. Ex parte merentis requiritur, ut ſit in ſtatu viæ, deinde ut fiat ab homine exiſtente in ſtatu gratiæ. Quod ad primum attinet, declaratur illud Joan. 15. ubi dicitur: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Idem docet Concilium Trid. dicens, meritum eſſe fructum juſtificationis; In Chriſto autem, etſi in eo erat gratiæ plenitudo, ejus tamen vices hîc ſupplevit hypoſtatica unio, quâ non ſolùm eſſentialiter, ſed ſubſtantialiter ſanctus, omnia ſua opera infiniti meriti reddebat condigna.

2. *Requiſitum.* Quòd verò ad alterum attinet, innuit illud ſcripturâ Joan. 9. Ubi ait *venit nox* (mortis ſcil.) *quando nemo poteſt operari.* Neque hoc provenit ex naturâ rei, ut quidam volunt, eo quòd meritum cùm ſit tendentia ad terminum, finiatur finitâ viâ, vel termino obtento: quo non obſtante meliùs dicitur, hoc provenire ex ſolâ Dei ordinatione, maximè cùm tempus merendi ab Apoſtolo 1. cor. 9. comparetur tempori præfixo currentibus in ſtadio, quod protrahere à voluntate Regis dependet. Deinde nulla implicantia eſt, quòd quis jam beatus & Deo fruens ulteriùs mereatur, maximè cùm Chriſtus comprehenſor hîc meruerit. De Henoch & Elia an mereantur adhuc, eſt planè incertum, alii affirmant, eo quòd etiamnum vivant: alii negant, eo quòd non vivant conditione mortali, quod hîc ut neceſſarium requirunt.

Adde, quòd ſecundùm aliquos, ſancti in Cœlis regnantes,

gnantes, ea quæ nobis impetrant, eadem mereantur, puta in vim orationum, quas pro nobis effundunt, vel etiam intuitu meritorum & gratiæ, quæ hîc in via habuerunt.

Dicendum 2. Ex parte actûs meritorii requiritur, ut ſit actus liber, deinde ut ſit actus bonus & honeſtus. Porrò libertas hîc requiſita, non tantùm eſt eſſentialis, ſed & accidentalis, conſiſtens in quadam poteſtate ad oppoſitum. Hinc, hæc propoſitio à S. Sede eſt damnata: *Ad merendum & demerendum, in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit à coactione.* Quomodò tamen cum impeccabilitate Chriſti, conſiſtat Chriſti meritum, dicemus de merito Chriſti, ſolùm hîc juvabit attendere illud D. Thomæ in 3. diſt. 18. q. 1. a. 2. ad 5. ubi ait: *Etiamſi* (liberum Christi arbitrium) *eſſet determinatum ad unum numero, ſicut ad diligendum Deum, quod non facere non poteſt: tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis ſive meriti, quia in illud non coactè, ſed ſponte tendit, atque ita eſt actûs ſui Dominus.* Plura vide dicto loco de merito Chriſti ejuſque libertate. Ex hac conditione deducitur, parvulos Baptiſatos morientes, non mereri vitam æternam, ſed hæreditario jure illud adipiſci, idque ob defectum libertatis. Denique Chriſtus meruit etiam cum dormiret, cum etiam dormiendo libero utebatur arbitrio, idque propter actus ſcientiæ infuſæ, quod in nobis locum non habet. *3. Requiſitum.*

Requiritur inſuper, ut opus meritorium ſit bonum ſive ut ſit actio bona, malis enim actibus debetur pœna. Pro quo ſit *4. Requiſitum.*

SECTIO

## SECTIO VIII.

### *Quid requiratur ad bonitatem actûs meritorii.*

800. *Requiſita ad actum bonum meritorii.* Dicendum primò, ad actum bonum hîc requiritur, ut à gratiâ procedat: Nam ut ait Conc. Arauſ. can. 18. *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant:* Vide Conc. Trid. Seſ. 6. can. 32. hinc omnia noſtra merita ſunt Dei dona. Ratio hujus eſt, quòd merces ſit quid ſupernaturale, adeòque meritum, quo illam conſequimur, debet eidem eſſe proportionatum, adeoque & eſſe ſupernaturale. Ex quo deduco, nullum opus ſolis naturæ viribus factum, eſſe meritorium, etiamſi fiat ob naturalem actûs honeſtatem niſi motivum accedat, quod actui ſupernaturalitatem communicet.

801. *Debet procedere a Charitate ſaltem virtualiter.* Dicendum 2. requiritur inſuper ut à Charitate ſaltem virtualiter procedat, & ad Deum ut ultimum finem ſaltem virtualiter tendat. Ratio eſt, quòd illa conditio ad opus undequaque bonum ſit planè neneceſſaria, uti vidimus hoc Tract. c. 3. ſect. 3. Tenet ſententiam illam S. Thomas 1. 2. q. 114. a. 4. ubi ex inſtituto de hac re agens, quidquid fortè olim in contrarium ſenſerit, ita loquitur: *Meritum vitæ æternæ, primò pertinet ad Charitatem, ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quod eorum actus à Charitate imperantur.* Et reſponſ. ad 3. *Fidei actus non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Gal. 5. ſimiliter etiam actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex Charitate hæc operetur.* Idem apertè tradit Bonav. in 2. diſt. 40. a. 1. q. 3. Bellarmi. l. 5. de juſtif. c. 15. & alii plurimi. Ultimum verò ita concludit Drexelius amuſſis l. 1. c. 3. §. 4. *Opus, ait, hominis juſti, æternam gloriam tunc promeretur, ſi ab actu Charitatis, ſeu recta intentione imperetur,*

*tur, atque in Deum ut finem ultimum referatur.*

Objicies: Deus remuneravit obſtetrices Ægyptias mentientes Exodi 1. illis ædificando domos; item Romanis dedit Deus Regnum Ampliſſimum, qui tamen Fide & Charitate erant deſtituti. Reſp. Remuneravit Deus Ægyptias obſtetrices, *Eo quòd timuerint Deum*, Ut loquitur Scriptura. Deinde Romani acceperunt hîc mercedem ſuam, gloriam ſcilicèt mundanam, quam intendebant, ut ait S. Aug. l. 5. de civit. c. 15. Hinc, quando Scriptura Sacra aſſignat præmium operibus miſericordiæ, ſollicitè addit, ſi ſint facta in nomine meo, id eſt propter Deum.

Addunt alii quintam conditionem, ſcilicét, quòd debeat advenire Dei promiſſio, verùm illam non eſſe neceſſariam in principio innuimus, quaſi ſine tali promiſſione opera illa deſtituta forent condignitate ſua ad mercedem, eo quòd opera ex Charitate facta, etiam præveniendo talem promiſſionem, habeant in ſe valorem & condignitatem ad præmium vitæ æternæ: Cùm nihil condignitatis promiſſio illa operibus illis adferat, nec diminuat, ſed tota condignitas oritur ex dignitate operantis, qui eſt gratia, quæ naturam noſtram ad tam ſublime opus & tanti præmii meritorium elevat & exaltat. Neceſſaria tamen eſt hîc dicta conditio, ut ex juſtitia debeatur merces, bona illa opera exequentibus; quamvis enim merces aliqua de ſe bonis aliquibus operibus correſpondeat, tamen non ideo continuò ex juſtitia merces illa debetur, niſi pacto aut promiſſione interveniente. V. g. denarius correſpondet labori diurno ſine pacto, qui tamen laboranti non conducto ſed merè ſuo placito laboranti non debetur illicò ex juſtitia. 802. *Promiſſio Dei quomodo hic neceſſaria.*

SECTIO

## SECTIO IX.

*An detur opus undequaque bonum, quod tamen ad ſalutem æternam non conducit, ſive quod non ſit meritorium.*

Qui docent poſſe hominem ſolis ſuis viribus exercere opus undequaque bonum, uti etiam Deum diligi poſſe ſolis naturæ viribus, docent Sanctos Patres hoc negantes intelligendos eſſe, de opere bono meritorio, ſive conducente ad ſalutem, non item de opere bono non meritorio, ſive ad ſalutem non conducente.

Dico tamen primò, fieri non poſſe, ut opus aliquod, ſit undequaque bonum, & non ſit merito-

803. *Omne opus undequaque bonum eſt meritorium.* rium, aut non conducat ad ſalutem. Probatur primò ex Conc. Arauſ. can. 18. ubi dicitur: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Idem conſtanter defendit adverſùs Julianum S. Aug. ſtatuebat ille, in infidelibus bona opera ſine gratia facta, quod negat Auguſtinus defectu fidei per dilectionem operantis ad quam requiritur gratia: Cui cùm reponeret Julianus, ſe in illis, illa tantùm bona opera ſtatuere, quæ eſſent ſteriliter bona, nec ad ſalutem conducerent, reſpondit S. Auguſtinus *Nullo modo homines ſunt, ſteriliter boni.* Unde & ait ulteriùs: *Quomodo obſecro, aut non jocaris in his diſputationibus aut deliras, qui ſterilium fructus arborum laudas, qui utique aut nulli ſunt aut ſi mali ſunt, laudandi non ſunt: aut ſi fructus boni ſunt, profectò ſteriles arbores non ſunt, imò & bonæ ſunt quarum fructus & boni ſunt, & debent Deo placere.* Et

804. *Non poteſt dari opus ſteriliter bonum.* Rurſum. *Certè quoniam ſaltem concedis, opera infidelium, quæ tibi videntur bona non tamen ad ſalutem ſempiternam regnumque perducere; Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum,*

*ſine*

*ſine Dei gratia, quæ datur per unum mediatorem Dei & hominum, nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei Donum regnumque perduci.*

*Non poteſt dari opus ſteriliter bonum.*

Patet ergo juxta S. Doctorem nullum opus ſteriliter eſſe bonum, ſed ſi bonum ſit, meritum fructificat & ad ſalutem conducit : ſi verò ſterile ſit, bonum non eſt.

Idem dictat & ratio : cùm enim ad omne opus undequaque bonum requiratur, ut ex charitate Dei propter ſe in Deum ſaltem virtualiter tendat, ut alibi probavimus : & inſuper omnis Dei propter ſe dilectio ſit ex gratia : Sequitur, ut omnis bona actio meritoria ſit, nec poſſit eſſe ſterilis, cum amori amor correſpondeat, & debeatur ut merces.

Ex quibus infero, ſterilitatem illam quam aliis bonis operibus affingunt, eſſe meram otioſitatem & defectum, quo opus de ſe bonum ad debitum finem, qui Deus eſt, per amorem non dirigitur, quod Apoſtolicâ lege, imò & naturali ſtatutum eſt, ut alibi probavimus.

---

## SECTIO X.

### *De Objecto Actus Meritorii.*

*Objecta meriti.*

DICENDUM primò, Homo non poteſt de condigno mereri primam gratiam excitantem, neque primam gratiam juſtificantem. Prius nos docet Apoſt. 2. Timot. 1. *Vocavit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam.* Idem patet ex Concilio Trid. ſeſſ. 6. c. 5. Ratio hujus eſt, quòd ante gratiam excitantem, nihil in homine ſit, niſi voluntas in malo ſoporata, quæ à divina gratia excitatur. Deinde, meritum ſupponit ſtatum gratiæ. Denique jam gratia eſſet ex operibus, & conſequenter non eſſet gratia, ut argumentatur Apoſtolus ad Rom. 11.

Quòd autem nec primam gratiam juſtificantem mereri poſſimus, rurſum docet Apoſtolus ad Rom. 3. ubi dicit: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Vide Concilium Trid. ſeſſ. 6. c. 5. 6. 7. &c. Ante citatum. Hinc communiter dicitur, *Principium meriti* (quod eſt prima gratia) *non cadit ſub meritum.*

Ex data doctrina ſequitur non poſſe hominem mereri de condigno reparationem poſt lapſum, quam juſtificatio cauſat & infert.

*Augmentum gratiæ.* Dicendum 2. Poteſt juſtus mereri augmentum gratiæ. Hinc Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 32. *Si quis dixerit, hominem juſtificatum bonis operibus non mereri augmentum gratiæ, anathema ſit.* Et Jacobi 2. *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo*, ideſt accipit juſtitiæ augmentum, non gratiam juſtificantem primam. Cùm enim homo juſtus, bonis operibus mereatur gloriam, ut ante dictum eſt, conſequens eſt, eum iiſdem mereri gratiam, quæ debet ſecundùm gradus eſſe proportionata gloriæ, & eſt ſemen ejuſdem.

*Perſeverantia.* Dicendum 3. Homo Juſtus non poteſt de condigno mereri donum perſeverantiæ. Ratio eſt, quia omnes admonet Apoſt. ad Ppilip. 2. ut cum metu & tremore ſalutem noſtram operemur: & ad Rom. 11. *Tu autem in fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time*: Tali autem metu & timore non indigeret homo juſtus, ſi vel ſemel actum illum exercuiſſet, quo poſſet mereri perſeverantiæ donum. Hinc notandum eſt, meritum de condigno reſpectu gloriæ æternæ eſſe quidem infallibile hoc ſenſu, quòd merces illa bonis operibus debeatur, non tamen ſemper infallibiliter ſequatur, ſed tantum, ſi in gratia perſeveretur.

Hoc tamen notandum eſt, poſſe hominem juſtum promereri varia gratiæ auxilia, quibus poſſit perſeverare, quæ tamen aſſiduis ad Deum precibus & cum tremore flagitare debet: Poteſt enim mereri gratias ulteriores, quibus poteſt perſeverare, non quibus abſolute perſeveret.

Dicen-

Dicendum 4. Nemo purus homo poteſt alteri de condigno mereri. Dico *Purus Homo*, cùm certum ſit Chriſtum ſimul hominem & Deum, nobis meruiſſe omnia gratiæ auxilia de condigno uſque ad ipſam perſeverantiam & gloriam. Hoc autem nulli puro homini convenire poteſt; Ratio hujus eſt, quòd quamvis ſecluſo pacto & promiſſione Dei de danda mercede bonis operibus, opera bona juſtorum habeant condignitatem ad gloriam, uti ante probatum eſt; Tamen quòd merces illa danda ſit huic vel alteri, ex pacto & promiſſione conſtat, puta quòd laborantibus ipſis merces correſpondeat, adeo ut unuſquiſque recipiet, prout ipſe geſſit in corpore ſuo: Quòd autem ratione operis boni, alteri debeatur merces, nullo fundamento conſtat, aut adſtrui poteſt. *Alteri mereri.*

Dicendum 5. Bona temporalia cadunt ſub meritum, non ſecundum ſe conſiderata, ſed ut conducunt ad æternam ſalutem. Prius patet, quia aliàs quo quis eſſet juſtior, eſſet & bonis temporalibus abundantior, ubi tamen juſtiores quandoque egent, & peccatores abundant. Poſterius quoque patet ex eo, quòd ut conferunt illa bona ad ſalutem, ſint media ad eamdem, qui autem mereri poteſt finem, poterit mereri & media. Ex quo colligere potes, quomodo bona temporalia dentur, juſtis, vel parcius vel largius, prout noſcit divina providentia eadem juſtis eſſe conducentia ad gloriam: Unde alios egeſtate, alios abundantiâ ad ſalutem Deus deducit. *Bona temporalia.*

Dicendum 6. Solet à variis circa prædicta quæri, quid fieri poſſit de congruo, an quis alteri de congruo poſſit mereri primam gratiam, an perſeverantiam ſibi, an auxilia gratiæ alteri, &c. Verumtamen, cùm meritum de congruo, ſit tantum meritum impropriè dictum, ſequitur de eodem non eſſe anxiè inveſtigandum. Nec ita competit creaturæ indagare, quid creatori factu conveniat aut diſconveniat, cum quod infirmæ noſtræ rationi conveniens apparet, diſ- *Meritum de congruo non ſollicitè indagandum.*

conveniens æterna lex & ratio diſiudicat, & rationes, ob quas divina providentia aliqua negligit præſtare, nobis hominibus ſæpè ſint abſconditæ, quæ tamen præſtare, videtur nobis convenientiſſimum: Inveſtigabiles ergo ſunt viæ ejus, & abſcondita judicia, cui gloria & honor in ſæcula. Amen.

FINIS.

NOMINI TUO DOMINE DA GLORIAM.

---

*Errata Tomi primi corrigenda.*

fol. 44. lineâ 7. pro *ſecunda*, lege, *fæcunda*.
fol. 62. l. 16. antecedente, *lege*, conſequente.
fol. 100. l. 7. Concilium, *adde*, Tridentinum.
fol. 104. l. 13. Apoſtolus, *adde*, Petrus.
fol. 119. l. 19. teneſtria, *lege*, terreſtria.
fol. 125. l. 33. duraturum, *lege*, duraturam.
fol. 127. l. 28. affic. *lege*, affici.
fol. 164. l. ult. mediam, *lege*, mediorum.
fol. 176. l. 11. ejus, tamen, *lege*, tamen ejus motui, &c.
fol. 179. l. 22. cui, *lege*, cur.
fol. 181. l. 15. uti & hic, *adde*, uti & eſt hic.
fol. 188. l. 7. ut jure naturæ, *adde*, illicitum.
fol. ſeq. l. 19. Dei, *lege*, de.
& l. 35. furar, *lege*, furari.
fol. 191. l. 27. concupiſcenta, *lege*, concupiſcentiâ.
fol. 233. l. 3. *dele*, à.
fol. 237. l. 10. tantum, *lege*, tamen.
fol. 255. l. 24. poteſt, debet, *adde*, & debet.
fol. 396. l. 14. aut ab eâ ſuperetur, *adde*, non ſuperetur.
fol. 398. l. 14. Hugo Victorinus, *lege*, Richardus à S. Victore.

*Cætera minora prudens Lector per ſe facilè corriget.*

IN-

# INDEX
## PRÆCIPUARUM RERUM ET VERBORUM.
### TOMI PRIMI.

## A.

ACTUS *humanus, quid ſit.* 164. *Omnis actus humanus eſt propter finem.* ibid.
*Actus humanus eſt eſſentialiter liber.* 165.
*Quid ſit actus elicitus & imperatus.* ibid.
*Quid ſit actus proprius alicujus virtutis.* ibid.
*Quid actus naturalis & ſupernaturalis.* 166.
*Quid eſſe morale & naturale actus humani.* 195.
*Moralitas actus deſumenda eſt ex libero amore finis.* ibid.
*An etiam ex objecto, aut ex ratione.* 196.
*Ad actus bonitatem non eſt ſatis, quod ad Deum ordinabilis ſit.* 198.
*Actus humanus poteſt in ſpecie eſſe indifferens, non verò in individuo.* 207.
*An ſit eadem bonitas actus interni & externi.* 210.
*Actuum unitas numercia.* 228.
*Actus interruptio, ejuſque cauſa.* 230.
*Actuum diverſitas ſpecifica.* 231.

## Adam.

ADAM *ubi creatus ſit* 132. *Ejus fides* 143. *Ejus gratia* 139. *Ejus ſcientia.* 140. *Ejus tentatio* 142. *Quamdiu manſerit in ſtatu innocentiæ.* ibid. *Primum ejus peccatum* 143. *Quomodo Eva dicitur ſeducta, non Adam* 144.

144. *An Adam gravius peccarit, quam Eva.* ibid. *An ſit ſalvatus.* 145.
*Adjutorium quo & ſine quo non, quid ſit.* 376.
*Æternitas quid ſit,* 33. *eſt tota ſimul.* 35. *an æternitas ſit Deus.* ibid.
*Agere ſicut oportet, quid ſit.* 384.
*Amor Dei propter ſe eſt ex gratiâ* 389. *Quid ſit amor benevolentiæ & concupiſcentiæ.* ibid.
*Angelus quid ſit.* 119. *Quando creati.* 120. *Sunt incorporei.* 121. *Incorruptibiles.* 122. *Ejus notitia eſt perfecta, & poteſt eſſe diſcurſiva.* 123. *Voluntas ejus eſt libera.* ibid. *An ſint creati in beatitudine* ibid. *An in gratia* ibid. *Potuit mereri in primo inſtanti, non tamen demereri.* 124. *Quandonam meruit beatitudinem.* 125. *Data eſt Angelis gratia conformiter ad ſua naturalia.* 126. *Sunt peccabiles.* ibid. *Eorum primum peccatum.* 127. *An plures Angeli ſalvandi ſint, quam homines.* 94.
*Anima an ſit ex traduce.* 132.
*Aureola quid ſit.* 153.

## B.

BEATITUDO *quid ſit, & quotuplex.* 149. *An ſit homini naturalis.* 37. & 150. *Objectiva eſt ſolus Deus* 150. *Beatitudo naturalis non eſt vera beatitudo.* ibid. *Maximè ſita eſt in amore.* 151. *Quid ſit beatitudo accidentalis.* 152. *Dotes beatorum.* ibid. *Beatorum viſio eſt æqualis & inæqualis.* 38. *Beati quid videant in Deo.* 39. *Beatorum impeccabilitas undenam oriatur.* 153. *Beatitudo non poteſt deperdi.* 154. *Beati ſunt certi de gloria.* ibid. *Non poſſunt à Deo damnari* ibid. *An omnes beati Canoniſati, actualiter Deum videant.* 155. & ſeq.

## C.

CARTHUSIANUS *an poſſit edere carnes in periculo vitæ.* 274.
*Concupiſcentia, quid ſit, ejus nomina.* 172. *Actualis & habi-*

*habitualis*. ibid. *Eſt mala & odio habenda*. 173. *Concupiſcendo fit omne peccatum*. 176. *Concupiſcentia antecedens & conſequens*. 178. *Antecedens tollit aliquando voluntarium*. 179. *Conſequens neque illud auget, neque illud minuit*. ibid. *Concupiſcentia quomodo augeat voluntarium*. 178. *Lex non concupiſces, quid vetet*. 180. *Concupiſcentiæ motus, ſine reſpectu ad voluntatem, non ſunt peccata*. 234.

*Conſcientia quid ſit, quomodo differat à Synderesi*. 309. *Iudicium conſcientiæ*. 310. *Ejus objectum ſemper eſt verum*. ibid. *Quomodo dicitur eſſe bona*. ibid. *Ut ſit recta, debet objectum ejus eſſe moraliter bonum*. 311. *Judicium conſcientiæ ſemper eſt practicum*. 312. *Conſcientia recta quid ſit*. ibid. *Modus formandi conſcientiam*. 313. *Non licet agere contra conſcientiam*. ibid. *Sæpè eſt deponenda*. ibid. *Conſcientia erronea vincibiliter & invincibiliter, quid ſit*. 314. *Non licet contra illam agere*. ibid. *Quomodo ſit deponenda*. 315. *Conſcientia dubia*. 318. *Quomodo deponenda* 319. *Conſcientia probabilis*. 321. *Conſcientia ſcrupuloſa*. 333.

*Conſenſus quandonam ſit plenus, difficile eſt judicare*. 168.

*Conſuetudo habet vim legis*. 294. *Quid ad hoc requiritur*. 294. *Legem abrogat & ècontra lex Conſuetudinem*. 296.

*Contingentia in quo ſit ſita*. 48. *Futura contingentia ſunt vera vel falſa*. 50.

*Creatio an poſſit competere creaturæ*. 116. *Creatio mundi eſt toti Trinitati communis*. ibid. *Creaturis non licet inhærere*. 209.

## D.

*Declarationum Cardinalium obligatio*. 285. *Delectatio moroſa quid ſit*. 235. *Quando ſit de modo operis*. 136.

*Delectatio implicita & expreſſa*. ibid. *Delectatio moroſa ſequitur malitiam operis*. 237. *Delectatio licita & illicita, quid ſit*. 175.

*Deus quid ſit, non poteſt hic perfectè ſciri.* 22. *Quid ſit Deus meliùs inveſtigetur viâ negationis.* 22. *Deum eſſe an ſit per ſe notum* 15. *An Dei notitia omnibus inſit.* 17. *Media deveniendi in notitiam Dei.* 18. *An detur ignorantia Dei invincibilis.* 20. *Qualis notitia Dei haberi poſſit ſine gratiâ.* 21. & 22. *Deus eſt ſpiritualis.* 23. *est unus* 24. *eſt perfectus* 25. *quotuplex ſit ejus perfectio.* ibid. *Eſt ſolus bonus.* 26. *Eſt immenſus.* 27. *Immenſitatis ratio.* ibid. *Omnibus eſt præſens & quomodo* 28. 29. *Non eſt in ſpatiis imaginariis.* ibid. *Eſt immutabilis* 30. *Eſt æternbilis* 33. *Eſt naturaliter inviſibilis* 36. *Eſt incomprehenſinus.* 39. *In hac vita videri nequit.* 40. & ſeq.

*Dei ſcientia eſt infinita & perfectiſſima.* 43. *in Deo non eſt oblivio neque memoria.* ibid. *Scientia Dei non eſt diſcurſiva.* 44. *Quomodo ſcientia Dei ſit rerum cauſa.* 45. *Deus ſeſe comprehendit* 46. *Noſcit omnia* ibid. *Etiam peccata, etiam res nondum exiſtentes* 47. *Omnia noſcit in ſe ipſo.* ibid. *Noſcit infinita* 48. *Noſcit futura contingentia.* 49. *Omnia ſunt Deo præſentia & quâ ratione.* 50. *Ejus præviſio non inducit neceſſitatem.* 51. *Noſcit contingentia conditionatè futura.* 52. *Non competit Deo conjectura.* 53. *Scientia Dei eſt immutabilis.* 57.

*Dei voluntas eſt varia, ſigni & beneplaciti.* 58. *Antecedens & conſequens.* 59. *efficax & inefficax* ibid. *Quænam voluntas Dei ſemper impleatur.* 59. *Quomodo voluntas Dei ſit libera.* 60. *Libere ſeſe amat.* ibid. *Quomodo velit Deus omnes homines ſalvos fieri.* 61. *Deus aliquos baptiſari non vult.* 62. *Voluntas Dei eſt immutabilis.* 66. *Nec ideo adfert rebus volitis neceſſitatem.* ibid. *An voluntas Dei ſit malorum.* 67. *Peccata ſolum permittit, & quomodo illa definiat.* 68. *Quomodo Deus dicatur convertere cor in odium, obdurare, &c.* ibid. & 241.

*Dei omnipotentia in quo ſit ſita.* 115. *An omnia faciat optimè & optima.* ibid.

*Dei providentia fuit ab æterno, ſed ejus executio fit in tempore.* 70. *Ordinat etiam media ad finem neceſſaria, etiam impios ad finem.* 71. *Omnia reſpicit.* ibid. *Quomodo omnibus æqualiter provideat.* 72. *Quomodo hic juſtos permittat*

*mittat affligi, & impios proſperari* ibid. *Quomodo peccatores deſerat.* 73. *Non providet peccata.* ibid. *Providentia non adfert rebus proviſis neceſſitatem.* ibid.

*Doctores Scholaſtici qui ſint præferendi.* 10. *Qui cavendi.* ibid. & ſeq.

*Dæmonum pœnæ.* 127. *Quomodo torqueantur igne.* 128. *Quomodo pœniteant, credant, &c.* 128. *Loca dæmonum.* ibid. *Eorumdem præfectura* 129. *Eorum tentatio.* ibid.

*Diſpenſatio quid & quotuplex* 297. *Diſpenſatio voti.* 264. *Diſpenſatio legis poſitivæ* 297. 265. *non datur in lege naturæ.* 261. *Diſpenſatio data ſine cauſâ an & quomodo valeat.* 198. *Sine cauſâ illam petens an peccet.* 299. *Diſpenſatio ſubreptitia.* 199. *Obreptitia.* 300. *An ceſſante cauſâ diſpenſationis ceſſet diſpenſatio.* 301.

*Dubium poſitivum & negativum.* 318. *Dubium juris & facti.* ibid. *Dubium ſpeculativum & practicum.* 319. *In dubio quomodo ſit melior conditio poſſidentis.* 320. *In dubiis tutior pars eſt eligenda.* ibid.

## F.

FIDES *Theologica quæ ſit.* 1. *Fides Adæ eſt diverſa à noſtra* 141.

*Finis quid ſit* 191. *Finis actionis & agentis.* ibid. *Quid ſit agere propter finem.* 164. *Finis ultimus actus humani eſt ſolus Deus.* 198. *Ad hunc finem ex præcepto omnia ſunt dirigenda.* ibid. *Præceptum illud non eſt impoſſibile.* 200. *eſt naturale.* 204.

## G.

GENERATIO *in divinis non eſt mutatio.* 30. *Generatio in ſtatu innocentiæ qualis fuiſſet.* 134.

*Gratia quid ſit & quotuplex.* 350. & ſeq. *Quinam in materiâ de gratiâ ſint ſequendi.* 337. *Qui ibidem fugiendi.* 340. & ſeq. *gratia ſufficiens & efficax:* 354. *In quo ſita efficacia gratiæ.* 355. & ſeq. *An detur omnibus gratia ſufficiens.*

*ſufficiens.* 359. & ſeq. *Gratiæ defectus eſt ultimate ex homine.* 366. *Omnis gratia aliquo reſpectu eſt efficax.* 368. *Quomodo gratiæ poſſit reſiſti in hoc ſtatu, recipi in vanum, &c.* 369. 371. *Quæ gratia S. Auguſtino dicatur congrua.* 371. *Gratia Adæ qualis fuerit.* 139. *Quomodo illa dici poſſit naturalis & ſupernaturalis.* ibid. *Differentia gratiæ Adami & noſtræ.* 373. & ſeq. *An homo ſine gratiâ poſſit cognoſcere verum.* 379. *An ſine gratiâ poſſit agere undequaque bonum.* 381. *An ſine gratiâ poſſit Deum amare ſuper omnia.* 389. *An juſtus ad omne opus bonum indigeat gratiâ* 392. *An ſine gratia poſſit ſuperari aliqua tentatio.* 394. *An ſine gratia poſſit lex plene adimpleri.* 397.

## H.

HYPOSTASIS *quid ſit.* 110.
*Homo quomodo Deo ſit ſimilis.* 23. 130. *Hominis dignitas.* 130. *Quomodo creatus.* 131. *Creatus eſt immortalis.* 133. *Creatus eſt in gratiâ.* 135. *Cum libero arbitrio.* 136. *Non poterat ſine gratiâ facere aliquid boni.* 138. *Non potuit creari cum concupiſcentiâ ſine fræno.* 145.

## I.

INFIDELIUM *opera, non omnia ſunt peccata.* 204.
*Ignorantia quid ſit.* 181. *Ignorantia facti & juris.* ibid. *Vincibilis & invincibilis.* 182. *Craſſa & vincibilis ſtrictè.* ibid. *Antecedens & conſequens.* ibid. *Poteſt in uno eſſe vincibilis, in alio invincibilis.* 183. *Quid requiratur ad eam ſuperandam.* 183. *Quæ cauſet involuntarium.* 184. *An detur ignorantia invincibilis in jure humano.* 185. *An in jure divino.* 186. *An in jure naturæ.* 187. *Ignorantia juris naturæ aliquando excuſat à tanto, etſi non à toto.* 190. *Datur in ſpeculativis ignorantia juris naturæ invincibilis.* 192. *Ignorantia quando ſit peccatum.* 193. *Quando ſit peccatum ſpeciale.* 194. *Ignorantia legis Quomodo excuſet.* 293.
*Intentio bona quæ ſit.* 199.

*Imago Dei non eſt in homine per peccatum deleta.* 131.
*Intellectus eſt radicaliter liber, voluntas libera formaliter.* 158.
*Jus gentium quid ſit.* 259.
*Judicium ſpeculativum & practicum.* 311.
*Juſtificatio quid ſit* 399. *Exordium ejus eſt ex gratiâ.* 400. *Fides eſt ejus initium.* 401. *In quo juſtificatio ſit ſita.* 403. & ſeq. *Juſtificationis cauſa.* 405. *Non omnibus juſtificatio eſt æque facilis.* 407. *Non juſtificatur homo ordinariè in inſtanti.* 409.

## L.

LEx *quid ſit, ejus officium* 253. *Spectat ad intellectum* ibid. *Sine lege non potuit homo creari.* 254. *Requiſita ad legem* ibid. *Differt lex à concilio.* ibid. *Materia legis debet eſſe poſſibilis.* 255. *Debet vergere ad bonum commune.* 256. *Legis diviſio* 257. *ubi lex non eſt, non eſt peccatum.* ibid. *Omnis lex eſt à lege æternâ* 258.
*Lex naturalis quid ſit.* ibid. *Ejuſdem promulgatio.* 259. *Eſt eadem in omnibus.* ibid. *Ejus objectum.* 26c. *An poſſit mutari, in eâ diſpenſari, &c.* 261. *An poſſit deleri.* 262.
*Lex Eccleſiaſtica quid ſit.* 266. *Eſt neceſſaria* 267. *Non præcipit, niſi actus veræ virtutis.* 257. *Legis Pontificiæ obligatio in Belgio.* 286.
*Lex civilis.* 269. *Ejus obligatio.* 270. *Unde dignoſci poſſit obligatio legis.* 270. *Quando ſit contemptus formalis legis* ibid. *Obligatio legis ſequitur gravitatem materiæ.* 271. *An illa pendeat à nutu legiſlatoris.* 272. *Obligatio legis pœnalis.* 275. *Lex humana obligat cum periculo vitæ.* 275. *Lex humana an poſſit præcipere actus internos.* 274. *Lege civili quinam obligentur.* 276. *Legiſlator quomodo ſuis legibus poſſit ſubjici.* 277. *Quâ lege obligentur peregrini.* 278. *Lex quomodò juſto non ſit poſita.* 279. *Promulgatio quomodo ad legem ſpectet.* ibid. *Legis Imperatoriæ, Regalis, Pontificiæ obligatio.* 280. *Lex Epiſcopalis* 281.
*Lex revocatoria* ibid. *Quandonam lex obliget.* ibid. *Lex non ſervatur ſolo metu.* 288. *Lex debet fieri liberè & volun-*

*voluntariè.* 289. *Lex pœnalis quid ſit.* 291. *Quatenus illa obliget in conſcientia.* ibid. *Undenam illa poſſit cognoſci.* 292. *Lex ſententiæ latæ & ſententiæ ferendæ.* ibid. *An ceſſante cauſâ legis, ceſſet lex.* 302. *Lex Nova & Vetus.* 306. *V. L. eſt bona.* ibid. *Quomodo L. V. ſit jugum intollerabile.* 307. *Non fuit ad ſalutem ſufficiens.* ibid. *Ubi, quomodo data, quandonam abrogata.* ibid. & 308. *Differentia. N. L. à L. V.* ibid.

*Lex non eſt ideo impoſſibilis, etſi gratia proximè ſufficiens deſit.* 367.

*Lex quando obliget quoadmodum* 201. 288.

*Liber vitæ quid ſit.* 103.

*Libertas quid.* 157. *Eſſentialis & accidentalis.* 158. *Libertas Dei non eſt cauſa mutabilitatis.* 32. *Liberè agere, eſt voluntati proprium.* 159. *Peccare non ſpectat ad libertatem.* ibid. *Libertati non repugnat neceſſitas conſequentiæ.* ibid. *Neque amor beatificus.* 160. *Nec moralis neceſſitas.* ibid. *Nec efficacia gratiæ.* 161. *Libertas accidentalis requiritur ad meritum.* 161. *Libertas non ideo tollitur, quando aliquid ſequitur ex aliquo inimpedibili.* 163.

## M.

MATRIMONIUM *in ſtatu innocentiæ, an fuiſſet melius continentiâ.* 134.

*Meritum quid, & quotuplex* 411. *Meritum de condigno & de congruo.* ibid. *Conditiones requiſitæ ad meritum.* 412. & ſeq. *Omne opus undequaque bonum, eſt etiam meritorium.* 416.

*Mereri non poteſt homo de condigno primam gratiam.* 417.

*Mereri poteſt juſtus augmentum gratiæ.* 418. *Non tamen de condigno donum perſeverantiæ.* ibid. *Nullus homo purus poteſt alteri aliquid mereri.* 419. *Mereri poſſunt bona temporalia.* 419. *Poteſt quis mereri, quod gratis eſt decretum.* 90

*Metus an cauſet involuntarium.* 171. *Metus gravis & levis.* ibid. *Metus juſtus & injuſtus* ibid. *Non ſemper adeſt metui nolleitas.* ibid.

*Mors eſt ex peccato.* 133.

*Mundus non eſt æternus.* 117. *Eſt creatus ſucceſſivè.* ibid.

Quomo-

*Quomodo tamen omnia dicantur ſimul creata.* ibid. *Quandonam creata ſit Lux, Cælum. Firmamentum, Arida, &c.* 118.

*Mulier, an ſit ad imaginem Dei.* 130.

## O.

OBDURATIO *& excæcatio quid ſit.* 240.

*Officium actus quid ſit.* 197.

*Omiſſio eſt aliquid morale.* 168. *Omiſſio præcepti quandonam deſinit eſſe culpabilis.* 227.

*Opinio benignior, quid ſit in jure.* 330.

*Opus, quo quis occupatur, dum violat legem, an ſit peccatum.* 225. *Omne opus bonum, eſt etiam meritorium.* 416.

## P.

PARVULI *ſine baptiſmo diſcedentes, an torqueantur pœnâ ſenſus.* 249.

*SS. Patribus ſollicitè ſtudeat Theologus.* 8. *Non omnium Patrum eſt æqualis authoritas.* 9. *modus illos intelligendi.* ibid.

*Peccatum quid ſit.* 213. *Omne peccatum eſt frui utendis, & fruendis uti.* 214. *Peccatum eſt nihil.* ibid. *Eſt contra naturam.* ibid. *Quid ſit peccatum impropriè dictum.* 206. *Ad ejus malitiam non requiritur actualis reflexio malitiæ.* 212. *peccatum habituale, veniale, mortale.* 215. *Peccati mortalis gravitas in quo ſit ſita.* ibid. *Unde oriatur diſtinctio peccati mortalis & venialis.* ibid. *Peccatum mortale quomodo aliquando dicatur veniale.* 218. *Regulæ ad cognoſcendum an ſit peccatum mortale an veniale.* ibid. *Mortale, quomodo fieri poſſit veniale.* 219. *Veniale, quomodo fiat mortale.* 220. *Venialia multa non poſſunt conſtituere unum mortale.* ibid. *Diſponunt tamen ad mortale.* 221. *Qui poteſt peccare venialiter, an etiam poſſit peccare mortaliter.* ibid. *Veniale poteſt eſſe cum ſolo originali.* 222. *Quid ſit peccatum carnale & ſpirituale.* 223. *Peccatum cordis, oris & operis quid ſit.* ibid. *Peccatum in Deum & proximum.* 224. *Peccata ex ignorantia & ex malitia.* ibid. *Quid peccata capitalia.* ibid.

*Pecca-*

*Peccatum omiſſionis & commiſſionis*. ibid. *Peccata omiſſionis externa & interna quandonam committantur* 227.
*Peccatorum gravitas unde deſumatur*. 232. *Peccatum eſſe non poteſt ſine voluntate*. 233. *Non tamen ſemper eſt in voluntate*. ibid. *Quomodo omne peccatum ſit in intellectu*. 234.
*Peccatorum cauſa eſt voluntas & concupiſcentia*. 238. *Item ignorantia*. 239. *Deus non eſt cauſa peccati* ibid. *Quomodo Deus ad illud concurrat*. ibid. *Cauſa peccati interpretativa*. 240.
*Peccatum originale quid ſit*. 243. *Eſt ſitum in aliquo poſitivo*. 244. *Quomodo ſit nobis involuntarium*. ibid. *Quomodo traducatur ad poſteros*. ibid. *ejus pœnæ*. 247. *Effectus peccati*. 251. *Peccati macula*. ibid.
*Peccatum an ſit pœna peccati*. 252. & 69. *Peccato mortali juſtè infligitur pœna æterna*. ibid. *Peccatum veniale quomodo puniri poſſit pœnâ æternâ*. ibid.
*Quomodo peccet, qui putat generaliter aliquid eſſe malum*. 316.
*Perplexitas quæ ſit*. 317.
*Philoſophia debet Theologiæ ancillari*. 13. *Philoſophia à primis Theologis parum curata*. 14. *Philoſophiâ tamen rectè uſus eſt D. Thomas familiarius*. ibid.
*Prædeſtinatio quid & quotuplex*. 75. *Eſt actus voluntatis*. 76. *Prædeſtinationis beneficia*. ibid. *Prædeſtinatio gratiæ & meritorum*. 77. *Prædeſtinatio Angelorum fuit ex meritis*. 78. *Quomodo tamen Prædeſtinatio Angelorum ſit ſimilis Prædeſtinationi hominum*. 79. *Non datur cauſa Prædeſtinationis in homine lapſo*. 81. *Quare prædeſtinetur unus & non alter*. 82. *Prædeſtinatio hominis lapſi eſt planè gratuita, facta ante omnem præviſionem meritorum*. 83. & ſeq. *Prædeſtinatio abſoluta, non evertit libertatem*. 90. *Nec inducit fatum, nec dat occaſionem deſperandi, ſegnius agendi*, ibid. & ſeq.
*Privilegium quid ſit & quotuplex*. 302. *Quis illud poſſit concedere*. 303.

*Privilegia poſſunt interpretari.* 304. *Quando quis iis poſſit uti.* ibid.

*Privilegii notitia.* ibid. *Quandonam privilegiatus poſſit agere contra privilegiatum.* ibid *Privilegiorum extinctio.* 305. *Eorumdem abuſus.* ibid.

*Probabilitas ignorantiæ filia.* 321. *Ad illam conſtituendam an ſufficiat unius authoritas.* ibid. *Pſeudo axioma eſt:* Quòd ſpeculativè probabilè eſt, eſt practicè certum. 323. *An & quando liceat ſequi ſententiam probabilem.* 324. & ſeq. *An liceat ſequi ſententiam probabilem relictâ probabiliori.* 328. & ſeq. *An liceat ſequi probabile in jure naturæ* 331. & ſeq.

## R.

REPROBATIO *quid & quotuplex.* 98. *Aliquos ſine culpa negativè reprobare, eſt durius.* 93. *Reproborum nomina.* 98. *Reprobationis ordo.* ibid. *Reprobationis cauſa* 100. *Reprobationis effectus.* 101. *Reprobi ad quid reſerventur* 102. *Reprobatio quomodo ſit certa.* 103.

## S.

SCIENTIA *Adæ fuit maxima.* 140. *Scientia viſionis & ſimplicis intelligentiæ.* 34. *Scientia media quid ſit, & pro quo ſtatu poſſit admitti.* 54. & ſeq. *Non eſt neceſſaria ad conciliandam libertatem cum efficaciâ gratiæ: imo eam evertit.* 55. *Rejicienda eſt in prædeſtinatione hominis lapſi.* 75. *Scripturarum obſcuritas unde oriatur.* 4. *ratio intelligendi S. Scripturam* ibid. *Ex eâ malè intellectâ oriuntur hæreſes.* ibid. *quinque regulæ eamdem legendi.* 5.

*Scrupuli deponendi.* 333. *Scrupuloſorum ſigna.* 334. *Eorum cauſæ.* ibid. *Eorum remedia.* ibid. & ſeq. *Senſus compoſitus & diviſus.* 162.

## T.

TEMPUS *quid ſit.* 33.

*Timoris gehennæ utilitas.* 401.

*Theologia quid ſit.* 1. *innititur fidei.* ibid. *Quid Theologia Scholaſtica.* 2. *ejus utilitas.* ibid. *Theologia practica & ſpecu-*

*ſpeculativa.* ibid. *Tota eſt verè practica.* ibid. *Eſt omnium ſcientiarum perfectiſſima.* ibid. *Theologiæ fundamenta ſunt, S. Scriptura, traditio, &c.* 3. & ſeq. *Vera Theologia eſt antiqua.* 11. *Theologus procedat in medio tutus.* ibid. *Qui Theologi Scholaſtici ſint ſequendi.* 11. & 12.

*Traditio quid ſit, & quotuplex.* 7. *Regulæ eam dignoſcendi.* ibid. *Quandonam faciat aliquid eſſe de fide.* 121. & 7. *Traditioni debet Theologus feriò attendere.* ibid.

*Tridentinum Concilium, an ſit per omnia receptum in Belgio.* 286.

V.

VERITAS *Nuda eſt & libera, cui ſoli à Theologo adherendum.* 12.

*Violentia auſert liberum & voluntarium.* 170. *Ubi eam pati poſſit voluntas.* ibid.

*Ultimatè ſiſtere in creatura, quando ſit peccatum mortale.* 250.

*Volitio finis non ſemper eſt etiam volitio mediorum.* 97.

*Voluntas quomodo à Deo moveatur.* 162. *Voluntatis modus agendi naturalis.* ibid. *Poteſt voluntas gratiæ efficaci diſſentire.* 163.

*Voluntas connaturali modo agens ſemper eſt bona vel mala.* 196.

*Voluntas efficax quæ ſit.* 211. *Voluntas quomodo debeat divinæ voluntati eſſe conformis.* 336. *Non omnis voluntas ad veram converſionem eſt ſufficiens.* 407.

*Voluntarium quid ſit, & quotuplex.* 166. *Voluntarium voluntate propriâ & alienâ.* 168. *Voluntarium coincidit cum eſſentialiter libero.* 169. *Voluntarium expreſsè nolitum.* ibid. *Quid involuntarium.* ibid.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5-1

Digitized by Google

Digitized by Google